BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
5 G
37

M. TVLLII CICERONIS, DEMOSTENIS, AC ISOCRA-TIS,.

Necnon aliorum veterum Oratorum, Philoſophorum, & Poëtarum Sententiæ Inſigniores, Apophthegmata, & Similia.

Quibus acceſſit.

De Doctrina Philoſophorum ex eodem Cicerone Libellus.

Omnia ſumma diligentia caſtigata.

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs. Apud Aegidium Regazolam. Sub ſigno Pauonis. 1573.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX CAPITVM MATERIARVM RERVM, AC VERBORVM,

Quæ in hoc opere continentur.

A

ABſolutum nihil. 19
Accuſator omni vacet crimine. 186
Adulatio. 99
Aetas poſterior priori ſimilis. 173
Aetas non tam conſideranda quàm virtus. 122
Agricultura. 190
Aliena curamus, noſtra negligimus. 181
Alter alterius auxilio eget. 181
Ambitio. 108
Amicitia, & amor. 91.267.283 334

Amicitiam ſimilitudo contrahit. 181
Amor publicus priuato præferatur 192
Animus 76.316
Animus aliquando relaxandus. 178
Appetitus rationi obediant. 81
Arma legibus contraria. 46
Arrogantia. 109
Ars natura certior. 182
Artes coniunctæ. 15.338
Auaritia. 195
Non audire, vel quod audis non intellige-
re, vtrunque idem exiſtimandum. 197

B

Beatus. 136
Bellicæ res ab vrbanis præſtent. 34
Bellum, bellum ciuile. 200 201.360
Beneficium 339
Beneficentiæ laus. 287
Bona, omnia appetunt. 6
Bonum, Bonus vir. 134.135

C

Carendo magis quàm fruendo quid res
valeat cognoſcimus. 145
Celeritas in ſtudijs. 155
Circunſtantia 159
Ciuis, Ciuitas. 50
Clementia & humanitas. 90
Colligere cupienti, eſt ei ferendum. 237
Coniectura multa diſcimus. 215
Conſcien-

Conſcientia 133
Conſilium. 34.337
Conſeruatoribus idem quod genitoribus debemus. 199
Conſuetudo. 143
Contentus nemo. 193
Contentio probanda. 178

D

Debitio pecuniæ alia atque gratiæ. 104
Deſperandum non eſſe in literis. 15
Deus. 314
Dialecticæ & rhetoricæ differentia. 32
Dicendo, omnibus ſatisfacere, difficile. 185
Diligere ſe ſuosq; quenque. 6
Diſcendi ſtudio omnes teneri. 11
Diuitiarum contemptores. 108
Diues. 193.194.353
Doctus. 33
Doctrina multis cùm adſit, deeſt oratio. 124
Domus 263
Dolorem dies minuit. 170

E

Eligendum ex multis optimum. 192
Eloquentia & eloquens. 30.338
Emere malo quàm rogare. 199
Eruditio ac ſcientia. 289
Exemplum & ſimilitudo. 113
Exercitium. 272.353

Exilium. 116
Expetendorum tria genera. 73

F

Factum, infectum fieri non poteſt. 129
Factis non verbo probamur. 120
Famæ ſeruiendum. 116.352
Felicitas. 327
Fidem quæ faciant. 118
Fictis aliquando mouemur. eod.
Filium delicto patris puniri, acerbum. 198
Fortitudo & magnanimitas. 105.265.324
Fortuna. 165.274.358
Fronti nulla fides. 179
Furtum turpiſſimum. 199
Furtum vitari non poteſt. 129
Futura neſcire ſæpe bonum. 115

G

Gloria. 56.328
Gratiæ referendæ ratio. 103

H

Hæreditas quæ relinquenda. 196
Hiſtorici qui citandi. 185
Hominem eſſe calamitoſum. 277
Homo. 146.315
Honor. 353
Humanitas & clementia. 90
Humana ferenda omnia. 168

Honeſtum.

Honeſtum. 66

I

Ignominia & gloria. 203
Ignoſcitur quibus facile. 178
Imperator. 39.350
Impiorum cruciatus. 138.140
Inimicus domeſticus peſtilens. 179
Ingenioſus laborioſiſſimè docet. 33
Ingenio conferunt locus & patria. 184
Ingratus. 105
Innocentia. 333
Inuidia. 125
Ira. eod.
Iudex, eiuſq; partes. 47.
Iudicia hominum diuerſa. 156
Ius ciuile. 45
Iuſtitia. 88.328
Iuuentuti quæ permittenda. 175.340
Senum prudennia regitur. 176

L

Laborem vix ſubimus niſi propoſito præmio & gloria. 130
Lædendus nemo, vt tibi proſis. 131
Laus & metus. 203
Laudatores quidam ſiniſtri. 124
Lex. 43.344
Liberalitas. 106
Libertas. 114.350
Literarum laus & commendatio. 13
Loquendum de nobis in neutram partem. 123

M

Magiſtratus. 40
Magnanimitas & fortitudo. 105
Maledictum volucre. 193
Manſuetudo. 329
Medicus. 202
Mediocritatis optima regula. 87
Meminiſſe dulce,quod durum pati fuit. 129
Memoria. 183 341
Mendacium. 119
Mendacio & mendaci nulla fides. eod.
Metus & timor. 127
Metus grauior,plerunque magisq́; afficit, quàm res quæ timetur. 128
Militaris ars. 34.360
Minimà ſępe maxima rerũ momenta prębent. 193
Miſer. 138
Mores creſcunt cum ętate. 172
Mores corrupti. 141
Mors. 61
Mulieres antiquitatis viris amantiores. 198

N

Naſcimur non ſolùm nobis, ſed parentibus & patriæ. 171
Natura emendari poteſt. 15
Natura dux optima. 4
Natura quàm doctrina vtilior. 182
Naturam quiſque ſequatur. 157
Neceſſitas. 198

Nobilitati fauendum. 199
De nobis in neutram partem loquendum. 127
Noſtrum propriè quid. 197

O.

Obedientia. 332
Oculi dolorem augent. 197
Odium diſſimilitudo contrahit. 181
Odium vetus. 202
In Officio manendum ſemper. 83
Omnes malunt ſibi eſſe rectè, quàm alteri. 18
Onus non eſt, quod ſponte ſuſcipitur. 194
Olitor aliquando oportuna loquitur. 162
Opinio ſemel concepta vix deponitur. 112
Opinione ſæpè non ratione nos niti. 112
Oratio & ſermo. 122.339
Orator. 32

P

Parentes obſeruandi non violandi. 9
Parentes & amicos etiam ampliſſimam dignitatem nacti non negligamus. 172
Parta malè, dilabi malè. 178
Partus ſuo quenq; , ét feras diligenter. 8
Pati quod durũ fuit, meminiſſe dulce eſt. 129
Patria & reſpublica. 52.342
Pauper. 194.269
Pauperes multi. 196
Pax. 200

Peccandum

Peccandum nullo modo. 86
Pecuniam debere aliud, aliud gratiam. 104
Pecunia & diuitiæ. 194
Peregrinatio. 56
Perpetuum nihil. 162
Pertinacia & temeritas. 110
Philoſophiæ laus & vtilitas. 26.320
Pietas. 90
Populus. 112
Præceptores. 49
Præclara, rara: eaq; difficilia. 184
Princeps. 37.345
Principium. 183
Probitas. 322
Prodigus. 103
Promiſſa ſeruanda. 132
Proſperis rebus conſulendum eſt aduerſis. 189
Prudentia. 25:323
Pudicitia. 332

R

Ratio. 80
Repentina, grauiora. 145
Rerum expetendarum tria genera. 73
Reſpublica & patria. 52
Reſpub. præmio & pœna continetur. 182
Rhetoricam à dialectica differre. 32
Rogantur plerique fruſtra. 198

S

Sapientis laus & ſapientiæ commendatio. 20.341.

Sat cito, ſi ſat bene. 19
Sceleratus. 140
Scientiæ laus. 289
Scientiæ ſtudio teneri omnes. 15
Scribendum, niſi doctè. 183
Senectus. 177.340
Sermo & oratio. 122
Seruitus. 115.280
Similitudo & exemplum homines plurimum permouere ſolent. 112
Simulationes multæ, nec fronti vlla fides. 179
Sobriè viuendum. 84.286.330
Socius & eius officia. 189
Spes. 359
Stultitia. 24.25

T

Taciturnitas. 286
Temeritas & pertinacia. 110
Temperantia. 86
Teſtis nemo in re ſua. 193
Timor & metus. 127
Turpitudo fugienda. 85
Tirannus. 140

V

Valetudini ſeruiendum. 192
Varietas grata. 197
Verecundia. 88.331
Verum à quibus auditur. 118
Veritas. 117.320

Vicinitas quæ probanda. 181
Victoria 359. facilis victoria nemine repugnante. 201
Vincere vnus poteſt, multis eadem de re contendentibus. 200
Vir bonus. 135
Virtutis vis & commendatio. 65. 313
Virtutis ſpeciem vitia plerunque induũt. 73
Virtus in homine non ætas conſideranda. 122
Vitia, virtutis ſpeciem plerunq; induunt. 73
Vitiorum quàm virtutum magis meminimus. 185
Viuendum & honeſtè & benè. 84
Sobriè. 85
Voluptas. 34, 273
A voluptate multi ſe ad virtutem receperunt. 174
Voluntas punitur, etiam citra factum. 178
Vrbanæ res an bellicis præſtent. 34
Vtilitate mouemur omnes. 130
Vſus. 184
Vultus animum detegit. 179

FINIS.

M. T. CICERONIS Sententiarum.

LIBER PRIMVS.

De Deo. 1

ADiis immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. 2. de Leg.

Omnium rerum à dijs immortalibꝰ principia ducuntur. In Vatinium teſtem.

Deus eſt qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui præuidet, qui regit, & moderatur, & eſt æternus. Som Scip.

Ea eſt Dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari poteſt: nihil enim agit, nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur: ſua potentia & virtute gaudet, habet exploratum fore ſe ſemper tum in maximis, tum in æternis voluptatibus. 1. de Nat. deo.

In mũdo Deus eſt aliquis, qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordinesq́; conſeruat, terras & maria contem-

plans,hominum commoda, vitaſque tuetur. 1.de Nat. deor

De hominibus nulla gens eſt, neq; tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat,tamen habendum ſciat. 1. de Leg.

Omnibus innatum eſt, & quaſi inſculptum eſſe deos. 2. de Nat deor.

Quid poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum,cùm cœlum ſuſpeximus,cœleſtiaq; contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?

Quis eſt tam vecors, qui cũ ſuſpexerit in cœlum,Deos eſſe non ſentiat? & ea quæ tanta mente fiunt,vt vix quiſquam arte vlla ordinem rerum, atq; viciſſitudinem per ſequi poſſit,caſu fieri putet?de reſp.aruſp.

Dij ſemper fuerunt, nati nũquam ſunt, æterni ſunt futuri. 1.de Nat deor.

Deum agnoſcimus ex operibus eius. 1.Tuſcul.

Commoda quibus vtimur, lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus, à Deo nobis dari,& impartiri videmus.Pro Roſc. Amerino.

Diagoras. 3.de Nat.deor. In Apoph.7.

Illud videto, vt Deum noris, etſi ignores,& locum & faciem. 1.Tuſc.

Firmiſſimum hoc adferri videtur cur Deos eſſe credamus, quòd nulla gens tam fera,nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem nõ imbuerit deorum opinio. 1.Tuſcul.

Deus

Deus ipſe qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi non poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, & ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mo ueus, ipſaque prædita motu ſempiterno. 1. Tuſcul.

Cùm ipſa natura magnam homini facul tatem dederit, tamen Deus eſſe putatur, vt & ipſum, quod eſt hominum propriũ, non partum per nos, ſed diuinitus ad nos delatum videatur. 1. de Orat.

Nemo magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuit. 2. de Nat. deor.

Nihil eſt quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore vllo 3. de Nat deo.

Vt hominum membra. 3. de Nat. deor. In Similibus. 1.

Sit hoc à principio perſuaſum hominibus, dominos eſſe omnium rerum, ac moderatores Deos: eaq; quæ gerantur eorum geri ditione, atque numine, eosq; optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſ que ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intue ri, piorumque & impiorum habere rationem. 2 de Leg.

Thales, qui ſapientiſſimus. 2. de Legib. In Apophth. 5.

Deorum prouidentia mundus adminiſtratur, ijdemq; conſulunt rebus humanis, neq; ſolùm vniuerſis, verumetiã ſingulis. 1. de Diuin.

Deorum prouidentia mundus adminiſtratur. 2. de Nat. deor.

Mala, & impia conſuetudo eſt, contra Deos diſputandi, ſiue ex animo hoc fiat, ſiue ſimulatè. 2. de Nat deor.

Homini de poteſtate deorum, timidè & pauca dicenda ſunt. Pro leg. Manil.

Cum à Simonide. 1. de Natu. deor. In Apopht. 6.

Nihil eſt illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cœtusq́; hominum, quæ ciuitates appellantur. In Som. Scip.

Obſcurum Deo nihil poteſt eſſe. 3. de Nat. deor.

Ignorare Deus non poteſt, qua quiſque mente ſit. 2. de Diuin.

Immortalia parentibus, omnia dijs immortalibus debemus. Poſt red. ad Senat.

Dijs immortalibus nos primùm natura conciliat. De reſp. Aruſp.

Prima officia dijs immortalibus debentur. 1. Offic.

Donis impij ne placare audeant Deos, Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua ſit mente futurus Deus, cùm vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit. 2. de Leg.

Cùm multum animus præſtet, &c. 2. de Leg. In pijs ſent. 21.

Pietas grata eſt Deo, ſumptus &c. 2. de Leg. In pijs ſent. 19.

Natura dux optima. 2

NAtura, dux optima. Cato Maior.
Mater rerũ omniũ natura. Parad. 1.
Omniũ eſt natura cõmunis. 5. de Finib.

Sua

Sua cuiuſq; animantis natura eſt. 5. de Finibus.

Sua cuiq; natura eſt ad viuendum dux. 5. de Finib.

Multis ſignis natura declarat quid velit, ac quærat, ac deſideret: obſurdeſcimus tamen neſcio quo modo, nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Lælius.

Facilè indicat natura vim ſuam, cùm homines quod facere ipſi non poſſunt, id rectè in altero fieri indicant. Lælius.

Si tales nos natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eademq; optima duce curſum vitæ cõficere poſſemus: haud erat ſanè ꝙ quiſquam rationem, ac doctrinam requireret, cùm natura ſufficeret. Nũc verò paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusq; deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitã natura perduceret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cùm verò parentibus redditi, deinde magiſtris traditi ſumus, tũ ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni cõfirmatæ natura ipſa cedat. 3. Tuſcul.

A natura ipſa deſciſcimus, vt nobis optimam naturam inuidiſſe videamur. 3. Tuſc.

Omnes natura duce vehimur. 1. de Natur. deor.

Natura duce errari nullo modo poteſt. 1.de Leg.

Homo naturæ obediens,homini nocere non poteſt. 3.Offic.

Naturam ducem ſi ſequamur, nunquã aberrabimus. 1.Offic.

Nos naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipſa oculorum,auriumque comprobatione,fugiamus. 1.Offic.

Omnia quæ natura aſpernatur,in malis ſunt:quæ adſciſcit,in bonis. 1.Tuſc.

Quicquid homini naturaliter inſitũ eſt eo vti decet:& quicquid agat,agere pro viribus. Cato Maior.

Omnia quæ ſecundùm naturam ſunt, habenda ſunt in bonis. Cato Maior.

Nihil cenſeamus eſſe malum,quod ſit à natura datum hominibus. 1.Tuſc.

Nihil in malis ducamus, quod ſit vel à dijs immortalibus,vel à natura parente omnium conſtitutum. 1.Tuſc.

Nihil eſt aliud gigantum more pugnare cum dijs, quàm naturæ repugnare. Cato Maior.

Omnia, bona appetunt, ſeq; & ſua diligunt. 3

SEipſos omnes natura diligunt. 3. de Finib.

Omnis natura eſt diligens ſui. 4.de Fin.

Omnis natura eſt conſeruatrix ſui. 5.de Finibus.

Omne animal ſimul atque eſt ortũ, applicatur ad ſe diligendum, eſtq; in ſe conſeruando occupatum. 4. de Finib.

Omne

Omne animal ipſum ſibi commẽdatum eſt, vt ſe & ſaluum in ſuo genere, incolumeque eſſe velit. 4. de Finib.

Omne animal ſeipſum diligit: ac ſimul vt ortum eſt, ita agit, ſe vt conſeruet. 4. de Finibus.

Omne animal ſimul vt ortum eſt, & ſeipſum, & omnes partes ſuas diligit. 2. de Finibus.

Omnis natura vult eſſe cõſeruatrix ſui, & vt ſalua ſit, & in genere cõſeruetur ſuo. 4. de Finib

Principio generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea quæ ei nocitura videntur, omniaque, quæ ſunt ad viuendum neceſſaria, inquirat, & paret vt paſtum ac latibula 1. Offic.

Eſt non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Pro Milone.

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent. Pro Milone.

Natura, omnes ea quæ bona videntur, ſequuntur, fugiuntque contraria. 4 Tuſcul.

Vt bona, natura appetimus, ſic à malis, natura declinamus. 4. Tuſcul.

Appetuntur ea quæ ſecundùm naturam ſunt, declinanturq; contraria: & omne animal appetit quædam, & fugit à quibuſdã. 3. de Natur. deor.

Omnes malunt ſibi eſſe rectè, quàm alteri. 4

NEmo eſt tam demens, tamq́; parum de ſe cogitans, qui alienam vitam magis quàm ſuam diligat. Orat. in Vat.

Sibi vt quiſq; malit quod ad vitæ vſum pertinet, quàm alteri acquirere, cõceſſum eſt, non repugnante natura. 3. Offic.

Noſtræ vtilitates nobis omittendæ non ſunt, alijsq́ue tradendæ. 3. Offic.

Qui multorum cuſtodem ſe profitetur, eum ſapientes ſui primùm capitis aiunt cuſtodem eſſe oportere. Philip. 12.

Nemo ferè eſt, qui ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem, quàm reo præbeat. Pro Deiot.

Tibi potius, quàm cuiuis ſis amicus. Cicero Dolabellæ, lib. 9. epiſt. Famil.

Et nos, liberos: & feræ partus ſuos diligunt. 5

COmmune omnium animantium eſt, coniunctionis appetitus, procreandi cauſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. 1. Offic.

A natura ipſa, vt eos quos genuerimus, amemus, impellimur. 3. de Finib.

Beſtiæ pro ſuo partu ita propugnant, vt vulnera excipiant, nullos impetus, nullos caſus reformident. 5. Tuſc.

Feræ partus ſuos diligunt, & nos in libe-

ros

ros noſtros vti debemus indulgentia. 2. de Orat.

Id natura tributum eſt, vt ij qui procrea ti eſſent, à procreatoribus amarentur. 4. de Finib.

Nihil dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuique liberi. Poſt red. ad Quir.

Nihil nobis natura iucundius, nihil cari us eſſe voluit, nihil dignius, in quo omnis noſtra diligentia, indulgentiaq́; conſumatur. Quare dum habemus paruos liberos, & incertum eſt quàm longa noſtrum cuiuſque vita futura ſit; conſulere viui, ac proſpicere debemus, vt illorũ ſolitudo, & pueritia, quàm firmiſſimo præſidio munita ſit. 3. actio. in Ver.

Is pater eſt amẽs, qui odit eum ſine cauſa, quem procreauit. Pro Cluent.

Non eſt boni, neque liberalis parentis quem procrearit, & eduxerit, eum non veſtire, & ornare, præſertim cum ſe locupletém eſſe negare non poſſit. 2. de Orat.

Nullum eſt nomen amantius, indulgentiusq́;, quàm maternum. Pro Cluent.

Sunt obſeruandi parentes, non violandi. 6

Parentes cariſſimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt. Poſt red. ad Senat.

Parentibus nos primùm natura conciliat: quos non alere, nefarium eſt. de Reſpon. Aruſp.

Cuiuſmodicunque mater ſit, tamen in iudicio filij, de turpitudine parentis dici

vix oportet. Pro Cluent

Non modò reticere homines parentum iniurias,ſed etiam æquo animo ferre oportet. Pro Cluent.

Magnam vim,magnam neceſſitatem,magnam poſſidet religionem paternus, maternusque ſanguis:ex quo ſi qua macula concepta eſt,non modò elui non poteſt, verùm vſque eò permanat ad animum , vt ſummus furor,atque amentia conſequatur . Pro Roſc.Amer.

Vim neque parenti, neque patriæ afferre oportet. Cic.Lentulo, Epiſt.famil.1.

Peccatum eſt,parentes violare. 3 de Fin.

Magna eſt vis humanitatis: multum valet communio ſanguinis:portentum atque monſtrum certiſſimum eſt , eſſe aliquem humana ſpecie & figura,qui tantum immanitate beſtias vicerit,vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce priuarit : cùm etiam feras inter ſeſe partus, atque educatio , & natura ipſa conciliet. Pro Roſc.Amer.

Nullum ſupplicium ſatis acre reperiri poteſt in eum qui mortem obtulerit parenti:pro quo mori ipſum, res ſi poſtularet,iura diuina atque humana poſtulant. Pro Roſc.Amer.

Nemo parricidę ſupplicio,miſericordia commouetur. 4.Tuſc.

Maiores noſtri cùm intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum , quod non aliquando violaret audacia , ſupplicium in parricidas ſingulare excogitarunt: vt quos natura ip-

ſa retinere in officio non poſſet, ij magnitudine pœnæ maleficio ſubmouerentur, in ſui voluerunt in culeum viuos, atque ita in flumen deijci. Atque videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repentè cœlum, ſolem, aquam, terramque ademerunt: vt qui eum necaſſet, vnde ipſe natus eſſet, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Noluerunt feris corpus obijcere, ne beſtijs quoque, quæ tãtum ſcelus attigiſſent, immanioribus vteremur, non ſic nudos in flumen deijcere, ne cùm delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cætera quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cuius partem vllam reliquerint. etenim quid tam eſt commune, quàm ſpiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? ita viuunt dum poſſunt, vt ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, vt eorum oſſa terra non tangat: ita iactãtur fluctibus, vt nunquam abluantur: ita poſtremò eijciuntur vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Pro Roſc. Amer.

Solon, cùm interrogaretur. Pro Roſc. Amer. In Apophth. 34.

Omnes diſcendi ſtudio tenentur. 7

TAntus eſt innatus in nobis cognitionis amor, & ſcientiæ, vt nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Vide muſne vt pueri, ne verberibus quidem à contẽplandis rebus, perquirendisq; deter-

reantur, aut pulſi requirant, & aliquid ſe ſcire gaudeant, vt alijs narrare geſtiant? Quid verò, qui ingennis ſtudijs atq; artibus ita delectantur, vt nec valetudinis, nec rei familiaris habeant rationem: omniaq; perpeti ipſa cognitione & ſcientia captos, & cum maximis curis, & cum laboribus compenſare eam quam ex diſcendo capiant voluptatem? 5. de Finib.

Eſt inſita quædam, vel potius innata cupiditas ſcientiæ: natiq; ſumus ad congregationem, ad ſocietatem, ad communitatemq; generis humani. 4. de Finib.

Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem & errare, neſcire & decipi, & malum, & turpe ducimus. 1. Offic

Cum ſumus neceſſarijs negocijs, curiſque vacui, tum auemus aliquid videre, audire, diſcere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad bene, beateq; viuendum neceſſariam ducimus. 1. Offic.

Fictas fabulas è quibus vtilitas nulla duci poteſt, cum voluptate legimus. Quid? volumus nomina eorum quicquid geſſerunt, nota nobis eſſe, parentes, patriam, multa præterea non neceſſaria. Quid? homines infima fortuna, nulla ſpe rerum gerendarum, opifices denique delectantur hiſtoria, maximeque eos videre poſſumus res geſtas audire & legere velle, qui à ſpe gerendi abſunt, cõfecti ſenectute. 5. de Fin.

In ipſis rebus quæ diſcuntur & cognoſcuntur, inuitamenta inſunt, quibus ad diſcendum, cognoſcendumque mouemur. 5. de Finib.

Nemo eſt Orator, qui ſe Demoſthenis ſimilem eſſe nolit. De gen opt Orat.

Optimus & grauiſſimus quiſque confitetur ſe multa ignorare, & multa ſibi etiã atque etiam eſſe diſcenda. 3. Tuſc.

Omnia ſcire cuiuſmodi ſint cupere, curioſum eſt: duci verò maiorum rerũ contemplatione, ſummorum virorum eſt putandum. 5. de Finib.

[*Tu quàm ſit homo literarum cupidus, quinto de Finibus leges vberius.*]

Quàm certa ſint ſenſuum iudicia.

SEnſuum ita clara iudicia & certa ſunt, vt ſi optio naturæ noſtræ detur, & ab ea Deus aliquis requirat contentane ſit ſuis integris incorruptisq; ſenſibus, an poſtulet melius aliquid, non videam quid quærat amplius. 2. Acad.

Literarum laus, & vtilitas. 8

ARtes virtutis ſunt magiſtrę. 4. ad Her.

Suauitate ſcientiæ nihil eſt homini iucundius. 3. de Orat.

Scientia nulla res eſt præſtantior. 2. de Nat. deor.

Si ex literis delectatio tãtum peteretur, tamen hanc animaduerſionem, humaniſſimam & liberaliſſimam iudicaremus. Nam cæteræ, neque temporum ſunt, neq; ætatũ omnium neque locorum. Hæc ſtudia adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant, ſe

cundas

cundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur: quod ſi ipſi neq; attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſumus, tamen ea mirari debemus, etiam cum in alijs videamus. Pro Arch. Poeta.

Studijs ac literis res ſecundæ ornantur, aduerſæ adiuuantur. Ad Luceium. 5. Fam.

An vllum putas fieri poſſe ciuem egregium, qui non ſit ijs eloquentiæ artibus & bonis diſciplinis eruditus? An vlla alia eſſe putas rudimenta, & incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem alun tur? Reſp. in Sal.

Vt ager quãuis fertilis. 2. Tuſ. In ſim. 35.

Multi cùm in poteſtate eſſent hoſtium ac tirannorum, multi cùm in cuſtodia, mul ti in exilio dolorem ſuum doctrinæ ſtudijs leuarunt. 5. de Finib.

Literæ poſteritatis cauſa repertæ ſunt, q̃ obliuioni ſubſidio eſſe poſſent. Pro Silla.

Exempla oĩa iacerẽt in tenebris, niſi literarum lumen accederet. Pro Arch. Poeta.

Nullius agricolæ cultu ſtirps tam diuturna, quàm Poetæ verſu ſeminari poteſt. 1. de Leg.

Alexander cùm in Sigæo. Pro Archia Poeta. In Apophth. 77.

Non tam præclarum eſt ſcire Latinè, quàm turpe neſcire. Orat. ad Brut.

Neſcire quid antea q̃ natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerũ. Orat. ad Brut.

Præclarum mihi videtur adeptus is, qui

qua

qua re homines beſtijs prǽſtant, ea in re hominibus ipſis antecellat. 1. de Inuent.

Plato tum denique. Epiſt. ad Q. fratrem. In Apophth. 7.

Bias, cuius cùm patriam. 1. Parado. In Apophth. 65.

Quis in eo ſummè elaborandũ non arbitretur, vt quo vno hoĩes beſtijs præſtẽt, in hoc hominibus ipſis antecellat? 1. de Ora.

Artes coniunctæ. 9

OMnes artes quæ ad humanitatẽ pertinent, habent commune quoddam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Pro Arch. Poeta.

Omnis ingenuarum & humanarum artium doctrina, vno quodam ſocietatis vinculo continetur. 3. de Orat.

Cæteræ artes ſe ipſæ per ſe tuentur ſingulæ. 2. de Orat.

Non eſt in literis deſperandum. 10

QVibus natura minora data ſunt, tamen illud aſſequi poſſunt, vt his quę habeant, modicè & ſcienter vtantur, vt ne dedeceat. 1. de Orat.

Nihil eſt quòd quiſquam magnitudinẽ artium, ex eo quòd ſenes diſcunt, pertimeſcat nanque aut ſenes ad eas acceſſerunt, aut vſque ad ſenectutem in ſtudijs detinentur, aut ſunt tardiſſimi. 3. de Orat.

Literæ diſcuntur facilè, ſi & tantum ſumas, quãtum opus ſit, & habeas qui docere fideliter poſſit, & ſcias ipſe etiam diſcere: ita vt facilis vſus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria, ſtudium

que permaneat. 3. de Orat.

Non eſt interdictum aut à rerum natura, aut à lege aliqua, atque more, vt ſingulis hominibus ne amplius quàm ſingulas artes noſſe liceat. 1. de Orat.

Intereſt magni eius, qui diſcere vult, vtrum vnum omnia, an omnia neminem, ſed aliud alium putet conſequi poſſe. Si enim putabit omnia poſſe penes vnum conſiſtere, ipſe quoque ad omnium nitetur facultatem: ſi is deſperabit, in paucis ſe exercebit, ipſis enim contentus erit. 3. de Orat.

Multi ſunt, qui deſperatione debilitati, experiri id nolunt, quod ſe aſſequi poſſe diffidunt: ſed par eſt omnes omnia experiri, qui res magnas, & magnopere expetendas concipiunt. Quòd ſi quem aut natura ſua aut illa præſtantis ingenij vis deficiet, aut, minus inſtructus erit magnarum artiū diſciplinis: teneat tamen eum curſum quē poterit. Prima enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis, tertijsque conſiſtere. Non enim in Poetis, Homero ſoli locus eſt, aut Archiloco, aut Sophocli, aut Pindaro. Nec verò Ariſtotelem in Philoſophia deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis. Nec ipſe Ariſtoteles, admirabili quadam ſcientia, cæterorum ſtudia reſtinxit: nec ſolùm ab optimis ſtudijs excellentes viri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidē ſe artibus ſuis remouerunt, qui aut Ialiſi non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinē imitari, nec ſimulacro Iouis Olimpi, aut Doriphori ſtatua deterriti reliqui, minus experti

ti ſunt quid efficere, aut quò progredi poſ ſent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cuiuſque genere laus, vt cùm ſumma miremur, inferiora tamen probemus. In oratoribus verò, Græcis quidem, admirabile eſt quantum inter omnes vnus excellat. Attamen cùm eſſet Demoſthenes, multi Oratores magni & clari fuerunt, & antea fuerant, nec poſtea defecerunt. Quare nō eſt cur eorum qui ſe ſtudio eloquentiæ dediderunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Nam neque illud ipſum quod eſt optimum, deſperandum eſt: & in præſtantibus rebus magna ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima. in Orat.

Natura nulla eſt, quæ non habeat in ſuo genere res complures, diſſimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur. 3. de Orat.

Non dubium eſt quin multi, cùm ita nati eſſent, vt quædam contra naturā deprauata haberent, reſtituerentur & corrigerentur à natura, cum ſe ipſa reuocaſſet aut arte, aut medicina, aut quorum linguæ ſic inhærent, vt eloqui non poſſent, hæ ſcapello reſectæ liberarentur. Multi etiam naturæ vitium meditatione atq; exercitatione ſuſtulerunt: vt Demoſthenem ſcribit Phalereus cùm ρ dicere nequiret, exercitatione feciſſe vt planiſſimè diceret. 2. de Diuina.

In Demoſthene tantum ſtudium fuiſſe tantusq; labor dicitur, vt primùm impedimenta naturæ, induſtria, diligentiaq; ſuperaret: cumq; ita balbus eſſet, vt eius ipſius artis,

artis,cui ſtuderet,primam literam non poſſet dicere,perfecit meditando, vt nemo planius eo locutus putaretur. Deinde cũ ſpiritus eius eſſet anguſtior, tantum continenda anima in dicendo eſt conſecutus,vt vna continuatione verborum,binæ ei cõtentiones vocis, & remiſſiones continerentur. Quinetiam,vt memoriæ proditum eſt,conicctis in os calculis, ſumma voce, verſus multos vno ſpiritu pronunciare conſueſcebat:neq; is conſiſtens in loco, ſed inambulãs,atq; aſcẽſu ingrediẽs arduo. 1.de Orat.

Nihil eſt, quod longinquitas temporis efficere non poſſit. 1.de Diuinat.

Quærendi defatigatio turpis eſt, cùm id quod quęritur ſit pulcherrimũ. 1.de Finib.

Non eſt conſentaneum vllam honeſtam rem, actionemve, ne ſolicitus ſis, aut non ſuſcipere,aut ſuſceptam deponere. Quod ſi curam fugimus,virtus fugienda eſt, quæ neceſſe eſt vt cum aliqua cura, res ſibi contrarias aſpernetur,atque oderit, vt bonitas malitiam,temperantia libidinem,ignauiam fortitudo. Lælius.

Sine ſtudio & ardore quodã amoris,in vita nihil quicquam ſit egregium. 1.de Orat.

Diligentia in omnibus rebus plurimùm valet:hæc præcipuè colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda, hæc nihil eſt quod non aſſequatur: qua vna virtute omnes reliquæ virtutes continentur. 2.de Orat.

Parum valet doctrina,niſi induſtria,ſtudio, labore, diligentia comprobetur. 3.ad Heren.

Quæ

Quę bona ſunt, fieri meliora poſſunt doctrina: & quæ non optima, acui tamen aliquo modo & corrigi poſſunt. 1. de Orat.

In omni diſciplina, infirma eſt artis pręceptio ſine ſumma aſſiduitate exercitationis. 3. ad Heren.

Nulla ars literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poteſt. Cicer. Trebat. Fam. epiſt. 7.

Studia nihil proſunt perueniēdi aliquò, niſi illud, quod eò quò intendas, ferat, deducatque, cognoris. 1. de Orat.

Nihil ſtatim abſolutum. 11

NIhil eſt ſimul & inuentum & perfectum. De Clar. Orat.

Nihil eſt in natura rerū omnium, quod ſe vniuerſum profundat, & quod totum repentè euolet: ſic omnia quæ fiunt, quæque aguntur acerrimè, leuioribus principijs natura ipſa prætexuit. 2. de Orat.

Oīum rerū principia parua ſunt, ſed ſuis progreſſionibus vſa, augentur. 5. de Finib.

Nihil in ſimplici genere omni ex parte perfectum, atq; beatum natura expoliuit, tanquam cæteris non ſit habitura quod largiatur, ſi vni omnia cōceſſerit. 1. de Inuent.

Nihil refert, quàm citò ſi ſat bene. 12

ETſi vtile eſt ſubitò ſæpe dicere, tamen illud vtilius, ſumpto ſpacio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. 1. de Orat.

Non poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum. 2. de Orat.

Sapien-

Sapientis laus, & ſapientiæ commendatio. 13

SApientia, eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia, cognitioq́; quæ cuiuſque rei cauſa ſit: ex quo efficitur, vt diuina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. 4. Tuſcul.

Mater omnium bonarum artium eſt ſapientia, à cuius amore, Græco verbo Philoſophia nomē inuenit, qua nihil à dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum generi datum eſt. Hæc enim vna, nos cùm cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum, docuit, vt noſmetipſos noſceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, vt ea non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribuerentur. Nam qui ſeipſum norit, primùm aliquid ſe habere ſentiet diuinum, ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod putabit, tantoq́; munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet, & ſentiet: & cùm ſe ipſe perſpexerit, totumq́; tentarit, intelliget quemadmodum à natura ſubornatus, in vitam venerit, quantaq́; inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam: quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus, ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam cauſam, cernat ſe beatum fore. 1. de Legib.

Sapientia, eſt rerum diuinarum atq; humanarum ſcientia, in qua continetur deo-

rum

rum & hominum communitas, & ſocietas inter ipſos. 1.Offic.

Sapientia, ars viuendi putanda eſt, quæ mœſtitiam pellit ex animis, quæ exhorreſcere metu non ſinit: qua præceptrice, in tranquillitate viui poteſt cupiditatum ardore reſtincto. 1. de Finib.

Sapientia, eſt ſanitas animi. 3.Tuſc.

Sapientia ſola eſt, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, & ipſius fortunæ modeſtè ferre doceat iniuriam, & omnes doceat vias, quæ ad quietem: & tranquillitatem ferunt. 1.de Finib.

Sapientia, hominis eſt cuſtos & procreatrix. 4.de Finib.

Hæc eſt vna omnis ſapientia, non arbitrari ſeſe ſcire quod neſciat: ob eamque rem Socrates ab Apolline omnium ſapientiſſimus eſt dictus. 1.Acad.

Sapientia nihil eſt optabilius, nihil præſtantius, nihil homine dignius. Eſtque diuinarum rerum & humanarum ſcientia, cuius ſtudium ſi quis vituperat, haud ſanè intelligo quidnam ſit, quod laudandum putet. 2.Offic.

Illa eſt præſtans & diuina ſapientia, perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari cùm acciderit: nihil antequam euenerit, non euenire poſſe, arbitrari. 3 Tuſcul.

Sapientia nihil eſt melius. 2.de Natura Deorum.

Ad Rempublicam plurima veniunt cõmoda, ſi moderatrix omnium rerum præſtò

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſtò eſt ſapientia:hinc ad ipſos qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit. 1. de Inuent.

Oculorum eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus ſapientiam non cernimus: quàm illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur? 2. de Finib.

Laudem ſapientiæ ſtatuo maximam, nõ aliunde pendere, nec extrinſecus aut benè, aut malè, viuendi ſuſpenſas habere rationes. Ad Luceium, lib. 5. famil.

Nihil eſt turpius, quàm ſapiẽtis vitã, ex inſipientium ſermone pendere. 2. de Finib.

Qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, is in magnis viris non eſt habendus. 1. Offic.

Ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offenſio, ſapientem eſſe non prohibet. 5. Tuſcul.

Cùm ſapiens & bonus vir, qualis fuit ille, ſuffragijs pręteritur, non populus à bono Conſule potius, quàm ille à bono populo repulſam fert. 5. Tuſcul.

Sapientis animus magnitudine conſilij, tolerantia rerum humanarũ, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus vt mœnibus ſeptus, vinci aut expugnari non poteſt. Paradox. 4.

Sapientis animus nunquam eſt in vitio, nunquam turgeſcit, nunquam tumet, nunquam ſapiens iraſcitur 3. Tuſcul.

Eſt ſapientis quicquid homini accidere poſſit, id præmeditari, & ferendum modicè ſi aduenerit. Philip. 11.

Sapienti

Sapienti nihil poteſt videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota ſit magnitudo. Nam quid aut in ſtudijs humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate magnum ſapienti videri poteſt? qui ſemper animo ſic excubat, vt ei nihil improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum: atque idem ita in omnes partes aciem intendit, vt ſemper videat ſedem ſibi, & locum ſine moleſtia atque angore viuendi, vt quemcunque caſum fortuna inuexerit, hunc aptè & quietè ferat. 3. Tuſcul.

Neque lætabitur vnquam, neq; mœrebit nimis, qui ſemper in ſeipſo omnẽ ſpem reponet ſui. 5 Tuſcul.

Sapientia eſt vna quæ mœſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu nõ ſinat, qua præceptrice in tranquillitate viui poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. 5. de Finib.

Sapienti malũ videri nullũ poteſt, quod vacet turpitudine: aut ita parum malum, vt id obruatur ſapientia, vixque appareat, qui nihil opinione affingat, aſſumatque ad ęgritudinem: neque id putet eſſe rectum, ſed quàm maximè excruciari, luctuq; confici, quo prauius nihil eſſe poteſt. 3. Tuſc.

Quiſquis eſt, qui moderatione & conſtãtia polleat, qetus animo eſt: ſibiq; ipſe placatus, vt neq; tabeſcat moleſtijs, neq; frangatur timore, nec ſitienter quid expectans, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens, deliqueſcat, is eſt ſapiens. 4. Tuſc.

Vir temperatus, conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine alacritate vlla, ſine libidine, is eſt ſapiens. 5. Tuſc.

Omnes qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, ſapientes & habebātur, & nominabantur. 5. Tuſcul.

Qui omnibus virtutibus inſtructi & ornati ſunt, tum ſapientes, tnm viri boni dicuntur. 5. Tuſcu.

Sapientiſſimus eſt, cui quod opus ſit, ipſi venit in mentem. Pro Cluent.

Quicquid à ſapiente proficiſcitur, id continuò debet expletum eſſe ſuis partibus. 3. de Finib. nec eſt ſapientis dicere, Non putabam.

Qui ipſe ſibi ſapiēs prodeſſe nequit, nec quicquam ſapit, dicebat Ennius. Ad Treb. Famil. 7. & 3. Offic. In Apophth. 120.

Μισῶ. Ad Cæſar. Famil. lib. 3. in Apophthegmat. 86.

[*De felicitate ſapientis, plura leges tertio Tuſcul. & Paradox. final. & penultimo.*]

[*Stultus.* 14

SApientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo. Paradox.

Stulti, malorum conſcientia torquētur: Sapientes bona præterita renouata grata recordatione delectant. 1. de Finib.

Nullus ſtultus beatus, & ſapiens nō beatus. 1. de Finib.

Multa ſunt incommoda in vita, quæ ſapientes commodorum compenſatione leniunt: ſtulti, nec vitare venientia poſſunt

nec

ec ferre præſentia. 1. de Nat. deor.

Vt ſtultitia. 5. Tuſc. In ſimil. 71.

[Tu vide primo de Finibus pleniſſimè, quibus curis & angoribus ſtulti conficiantur, & quibus ſapientes perfruantur voluptatibus.]

Stultitia. 15

STultitia maius eſt malum, quàm omnia mala & fortunæ & corporis. 3. de Natu. deo.

Omnium malorum ſtultitia eſt mater. De pet. conſ.

Inſipientia nullum maius malum eſt. 3. Tuſc.

Miſerius ſtultitia quid dicere poſſumus? 1. de Natu. deo.

Quid abiectius ſtultitia dici poteſt. 1. de Legibus.

Omnes ſtulti inſaniunt. 4. Tuſc.

Eſt proprium ſtultitiæ, aliorum uitia cernere, obliuiſci ſuorum. 3. Tuſcul.

Stultorum plena ſunt omnia. Cic. Papy. Pæto. Famil. 9.

[Quarto Parad. & quinto plura legere potes.]

Prudentia. 16

PRudentia, eſt rerum expetendarum ſcientia. 1. Offic.

Nihil eſt hominis prudentia dulcius, aut ſagaci ac bona mente melius. 1. Tuſc.

Non poteſt eſſe iucunda uita, à qua abſit prudentia. 5. Tuſc.

Omnibus artibus uolumus attributã eſſe eam, quæ cõmunis appellatur prudẽtia, quam omnes, qui cuique artificio prſunt, debent habere. 5. de Finib.

In prudentia, duo vitia vitanda ſunt, vnum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſq; temere aſſentiamus Quod vitium ef fugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tēpus & diligentiam. Alterum eſt vitium, quòd quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias. 1. Offic.

Vt quiſq; maximè perſpicit quid in quaque re veriſſimum ſit: quique acutiſſimè & celerrimè poteſt & videre & explicare rationem, is prudētiſſimus & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet. 1. Offic.

Laus philoſophiæ, & vtilitas. 17

PHiloſophandi ratio eſt triplex, vna de vita, & moribus. Altera, de natura & rebus occultis Tertia, de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratione, quid prauum, quid cōſentiens, quid repugnet, iudicando. 1. Acad.

Philoſophia in tres partes eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores. 1. de Orat.

Cùm tota Philoſophia frugifera, & fructuoſa, nec vlla pars eius inculta ac deſerta ſit: tum nullus in ea feracior locus eſt, nec vberior, quàm de officijs, à quibus conſtanter, honeſteq; viuendi præcepta ducuntur. 3. Offic.

Philoſophia mater omnium bonarum artium, nihil eſt aliud, niſi (vt Plato ait) bonum & inuentum Deorum. Hæc nos

primùm ad deorum cultum,tam ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudiuit, eademque ab animo tanquam ab oculis caliginem diſpulit, vt omnia ſupera, infera,prima,vltima,media videremus. 1.Tuſculanarum.

Eſt laudatarum artium omnium procreatrix quædam, & quaſi parens ea,quam Philoſophiam Græci vocant. 1 de Orat.

Philoſophia nihil eſt aliud, ſi rectè interpretari volumus,quàm ſtudium ſapientię. 2.Officior.

Cultura animi Philoſophia eſt, quæ extrahit vitia radicitus,& pręparat animos ad ſatus accipiendos. 2.Tuſc.

Philoſophia medetur animis,ſolicitudines detrahit,cupiditatibus liberat,pellit timores. 2.Tuſc.

Eſt animi medicina, Philoſophia: cuius auxilium,non vt in corporis morbis petendum eſt foris,omnibusque opibus, viribuſque, vt noſmetipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum eſt 3.Tuſcul.

Philoſophia mater eſt omnium benefactorum,beneq; dictorum. De claris Orat.

Vitiorum peccatorumque noſtrorum, omnis à Philoſophia petenda eſt medicina. 5.Tuſcul.

Sine Philoſophia fieri nõ poteſt,vt ſanus ſit animus. 3.Tuſc.

Vt medici,toto corpore curando. 3.Tuſcul. In ſimil 1.

Radicem omnium malorum ſtirpitus Philoſophia ſe extracturam pollicetur:

demus ergo huic nos excolendos, patiamurq; nos ſanari ab ea, ſi boni & beati uolumus eſſe, omnia adiumenta, & auxilia petamus bene beateq; uiuendi 4. Tuſc.

Philoſophia uirtutes continet, & officii, & bene uiuendi diſciplinam: quam qui profitetur, grauiſſimam mihi perſonam ſuſtinere uidetur In Piſonem.

Eſt Philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinemq; conſultò fugiẽs, eiq; ipſa & ſuſpecta & inuiſa. 2. Tuſc.

Nunquã ſatis dignè poterit laudari Philoſophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis poſſit ſine moleſtia degere. Cat Maior.

Nullum bonũ Philoſophia optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi, deorum conſenſu, neq; dabitur. de Vniuer.

O vitæ Philoſophia dux, ò virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorũ, quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti. Tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione iunxiſti. Tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti. 5. Tuſc.

Nihil eſt dulcius otio literario, his dico literis, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipſo mundo cœlum, terras, maria cognoſcimus. 5. Tuſc.

Thales Mileſius, vt obiurgatores ſuos con-

conuinceret, oſtenderetq́; philoſophum, ſi ei cōmodum eſſet, pecuniam facere poſſe, omnem oleam antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coemiſſe dicitur. Animaduerterat fortaſſe quadam ſcientia, olearum vbertatem fore) de Diuin.

Qui cæteris rebus pro nihilo habitis rerum naturam ſtudioſe intuentur, & ſapientiæ ſtudioſi & philoſophi habentur. 5. Tuſc.

Philoſophi, virtutis magiſtri. 1. Tuſc.

Magiſtri virtutis, philoſophi. 5 Tuſc.

Non ex ſingulis vocibus philoſophi ſpectādi ſunt, ſed ex perpetuitate & cōſtantia, resq́; ſpectari oportet, non uerba. 5. Tuſc.

In Philoſophia res ſpectantur, nō verba penduntur. Orat ad Brutum.

A philoſopho, ſi adferat eloquentiā, non aſpernor, ſi non habeat, non admodum deſidero. 1. Tuſc.

Sunt qui in rebus contrarijs parum ſibi conſtent, voluptatem ſeueriſſimè contemnant, in dolore ſint molliores, gloriam negligant, frangantur infamia 1. Offic.

Vt ſi Grāmaticum profeſſus ſe quiſpiā. 2. Tuſc In Simil. 10.

Quotuſquiſq; philoſophorū inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac uita conſtitutus, ut ratio poſtulat, qui diſciplinam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitę putet, quiq́; obtēperet ipſe ſibi, ac decretis ſuis pareat? Videre licet alios tāta leuitate & iactatione, ijs vt fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, nonnullos glo-

riæ: multos libidinum ſeruos, vt cum eorũ vita mirabiliter pugnet oratio, quod quidem eſt turpiſſimum. 2.Tuſc.

Eloquentia. 18

PAcis eſt comes, otijq; ſocia, & iam bene conſtitutæ ciuitatis quaſi alumna quædam eloquentia. De claris Orat

Nemo eſt qui neſciat initio genus humanum, in montibus ac ſiluis diſſipatum, prudentium conſilijs compulſum: & diſertorũ oratione delinitum, ſe oppidis, mœnibuſq; ſepſiſſe. 1.de Orat.

Fuit quoddam tempus, cùm in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & victu ferino ſibi vitam propagabant: nec ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Nemo legitimas viderat nuptias, nemo certos inſpexerat liberos. Quo tempore quidam magnus videlicet vir, diſperſos homines in agris, & in locis ſilueſtribus abditos, ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit, & eos ex feris & immanibus, mites reddidit & manſuetos. 1.de Inuent.

Hoc tempore cùm homines nondum neque naturali, neq; iure ciuili deſcripto fuſi per agros, atq; diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per cædem ac vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent: extiterunt viri virtute & conſilio præſtanti, qui diſſipatos vnum in locum congregarunt, eoſque ex ferocitate illa ad iuſtitiam atq; manſuetudinem tranſtulerunt, & inuento diuino & humano iure

re eos mœnibus ſepſerunt. Pro Seſtio.

Duæ ſunt artes quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis: vna Imperatoris, altera Oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo, belli pericula repellnntur. Pro Muræna.

Grauis eſt & plena dignitatis dicendi facultas, quæ plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſæpe ſtudia peperit. Pro Muræna.

Eloquentia principibus maximè ornamento eſt. 4. de Finib.

Eloquentia grandis eſt verbis, ſapiens ſententijs, genere toto grauis: manus extrema non acceſſit operibus eius: præclarè inchoata multa, perfecta non planè. De claris Orat.

Nihil eſt eloquentia laudabilius vel præſtantius, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorũ qui defenſi ſunt gratia 2. Offic.

Nihil eſt tam inhumanũ, quàm eloquentiam à natura ad ſalutem & conſeruationẽ datam, ad bonorum peſtem, perniciemque conuertere. 2. Offic.

Nihil eſt tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile. Nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Parad.

Vt hominis decus eſt ingenium, ſic ingenij lumen, eſt eloquentia. De claris Orat.

Eloquens, & diſertus. 19

ELoquens hoc vel maximè differt à diſerto. Diſertus eſt enim, qui põt ſatis

acutè atq; dilucidè, apud mediocres homines, ex communi quadam hominum opinione dicere. Eloquens verò, qui mirabilius & magnificentius augere poteſt, atque ornare quæ vult, omnesq; omnium rerũ, quæ ad dicendum pertinent, fontes animo ac memoria continet. 1. de Orat.

[Si de laudibus Eloquentiæ, delectatione, & artis difficultate plura cupias, euolue diligenter librum de Oratore, & amplius, quod deſideres, nihil erit.]

Orator. 20

NOmine Oratoris & docti, ornandus eſt qui ſcelus, fraudemque nocentis poſſit dicendo ſubijcere odio ciuium, ſupplicioq; conſtringere: idemq; ingenij præſidio innocentiam iudiciorum pœna liberare: idemq; languentem, labentemq; populum, aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflãmare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique quemcunque in animis hominum motum res & cauſa poſtulet, eum dicendo vel excitare poſſit, vel ſedare. 1. de Orat.

Dialecticæ & Rhetoricæ quædam differentia. 21

ZEno Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem dicebat, quòd latius loquerentur Rhetores, dialectici autem compreſſius. 2. de Finib.

Zeno ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat quid inter Dialecticam & Rhetoricam intereſſet. Nã cùm compreſſerat digitos, pugnumq; fece

rat,

rat, Dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe. Cùm autem deduxerat, & manum dilatauerat, Eloquentiam eſſe dicebat, hæcque vno (ait Ariſtoteles) differunt, quòd hæc ratio dicendi, latior ſit: illa loquendi contractior. Orat ad Brutum.

Docti quid maximè ſit proprium. 22

ERuditus oportet ſemper aliquid ex ſe promat quod alios delectet, aut ſeipſum laudibus illuſtret. L. Lucius ad Ciceronem, Famil lib 7.

Docti non ſolùm viui ac præſentes, ſtudioſos diſcendi erudiunt atque docent, ſed hoc idem etiam poſt mortem, monumentis literarum aſſequuntur. 1. Offic.

Ingenioſus laborioſiſſimè docet. 23

QVò quiſque eſt ſolertior & ingenioſior, hoc docet iracundius & laborioſius: quod enim ipſe celeriter arripuit, id cùm tardè percipi videt, diſcruciatur. Pro Roſc. Com.

Doctus inuiſus, niſi probus. 24

QVò quis verſutior & callidior, hoc inuiſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. 2. Offic.

Si quis, omiſſis honeſtiſſimis ſtudijs rationis & officij, conſumit omnem operam in exercitatione dicendi: is inutilis ſibi, perniciofus ciuis patriæ alitur, qui verò ita ſe armat eloquentia, vt non oppugnare commoda patriæ, verũ pro ijs pugnare poſſit, is mihi vir, & ſuis & publicis rationibus vtiliſſimus, atque amiciſſimus ciuis fore videtur. 1. de Inuent.

Scientia, vt ait Plato. 1. Officiorum. In Apophth. 12.

Ars militaris. 25

REi militaris virtus præſtat cæteris virtutibus: omnia noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis: & ſimul atq; increbuit ſuſpitio tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt Omnia denique quæ ſunt in imperio, in ſtatu ciuitatis, ab ijs defendi & firmari putantur, qui militari virtute antecellunt. Pro Muræna.

Multò plus adfert dignitatis res militaris, quàm iuris ciuilis gloria. Vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas: Ille verò, quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit Tu caues ne tui conſultores, ille ne vrbes aut caſtra capiantur. Ille tenet & ſcit vt hoſtium copiæ: tu vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis. Pro Muræna.

Duæ ſunt artes. Suprà in cap. de Eloquētia. Pro Muræna.

Conſilium & prudentia, armis & rebus bellicis præferantur. 26

MInuenda eſt horum opinio, qui arbitrantur res bellicas maiores eſſe, q̃ vrbanas: quamuis enim Temiſtocles iure laudetur, & ſit eius nomen quàm Solonis illuſtrius: citeturq; Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis,

lonis,ei quo primum conſtituit Areopagitas:non minus pręclarum hoc,quàm illud iudicandum eſt: Illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit ciuitati. 1 Offic.

Non minorem vtilitatem adferunt qui togati publicè præſunt, quàm qui bellum gerunt. Itaq; eorum conſilio ſæpe,aut ſuſcepta,aut confecta bella ſunt. Quare expetenda magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo:temerè enim in acie verſari,& manu cum hoſte confligere, immane quiddam eſt,& beluarum ſimile. 1.Offi.

Conſiderati hominis eſt iure decertare, armis non contendere. Pro Cecin.

Cedant arma togæ,concedat laurea linguæ. 1.Offic.

Honeſtum efficitur,animi,non corporis viribus. 1.Offic.

Parua ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. 1.Offic.

Non viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio & autoritate & ſententia. Cato Maior.

Maximæ Reſpublicæ per adoleſcentulos labefactatæ, à ſenibus ſuſtentatæ & reſtitutæ ſunt. Cùm enim ad gubernacula Reipublicæ temerarij atq; audaces homines accedunt, maxima ac miſerrima naufragia fiunt. Cato Maior.

Dux ille Græciæ nunquam optat,vt Aiacis ſimiles decem habeat, ſed vt Neſtoris; quod ſi acciderit, non dubitat quin Troia breui ſit peritura. Cato Maior.

Temeritas cum ſapientia non commiſcetur. Pro Muræna.

[*Hæc plenius diſputantur primo Officiciorum capite. Sed cum pleriſque, quæ nos conſultò omiſimus.*]

Conſilium rem præcurrat. 27.

IN rebus magnis, memoriaq; dignis, conſilia primùm, deinde acta, poſtea euētus ſpectantur. 2.de Orat.

Bene præcipiunt qui vetant quicquam agere quod dubites, æquum ſit, an iniquū. 1.Offic.

Non debemus quicquam agere, cuius non poſſimus cauſam probabilem reddere. 1.Officiorum.

Ad rem gerēdam qui accedit, caueat ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit, ſed etiam vt habeat efficiendi facultatem, in quo conſiderandum eſt illi, ne aut temerè deſperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negociis prius quàm aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens. 1.Officiorum.

Suū quiſque noſcat ingenium, acremq; ſe, & vitiorum & bonorum ſuorum iudicem præbeat, ne ſcenici plus quàm nos videantur habere prudentiæ, neve hiſtrio videat in ſcena, quod non uideat ſapiens in vita. 1.Offic.

Non eſt incōmodum ex aliis iudicare, vt ſi quid dedeceat in alijs, vitemus & ipſi: fit enim neſcio quomodo, vt magis in alijs cernamus, quàm in nobiſmetipſis ſi quid

delinquitur 1. Offic

Vt pictores, & ij qui ſigna fabricantur. 1. Offic. In Similib. 90.

Ad ea eligenda, quę dubitationē afferūt, adhibere homines doctos debemus, vel ēt vſu peritos, & quid ijs unoquoq; officij genere placeat, exquirere. 1. Offic.

Non eſt ſatis iudicare quid faciendū, nō faciendumve ſit, ſed ſtare etiam oportet in eo quod ſit iudicatum. 1. de Finib.

Melius curantur ea, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. 1. Inuent.

Domus ea quę ratione geritur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quàm ea quæ temerè, & nullo conſilio adminiſtratur. 1. de Inuent.

Exercitus is cui præpoſitus eſt ſapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is qui ſtultitia & temeritate alicuius adminiſtratur. 1. de Inuentione.

Siniſtrum quorundam conſilium. 28

HOc plerunque facimus, vt conſilia euentis pōderemus: & cui bene quid proceſſerit, multum illum præuidiſſe: cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus. Pro C. Rabir. Poſthum.

Nedum hominum humilium, ſed etiam ampliſſimorum virorum conſilia ex euentu, non ex voluntate à pleriſq; probari ſolent. Lib. 9. ad Attic. epiſt. 10.

Princeps. 29

MAgnum eſt, perſonam in republica

tueri

tueri principis, qui non animis ſolùm debet, ſed oculis ſeruire ciuium. Philip. 8.

Nimis multa audire coguntur, neq; aliter facere poſſunt, quibus tota cõmiſſa eſt Reſpublica. Pro Milone.

Si quis de contentione principatus laborat, quæ nulla eſſe debet, ſtultiſſimè facit, ſi vitijs cum virtute contendit: vt enim curſus curſu, ſic in viris fortibus, virtus virtute ſuperatur Philip. 14.

Regium eſt ita viuere. Pro Sylla. Vide Appetitus. 51.

Vt cupiditatibus principum. 3. de Leg. In ſimil. 15.

Quales in Repu. principes. Lent. famil. 1. In Apophth.

Non tantum mali eſt peccare principes (quanquam eſt magnum per ſeipſum malum) quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre, quæcunq; mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecutã. Nobiliũ enim vita, victuq; mutato, mores ciuitatis mutari ſolent. Nec ſolùm vitia cõcipiunt ipſi principes, ſed ea infundunr in ciuitatem: neque obſunt, ꝙ ſolùm ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt: plusq; exẽplo, quàm peccato nocent. Pauci enim, atque admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere poſſunt. 3. de Leg.

Studioſè pleriq; facta principum imitantur. 1. Offic.

Turpe eſt eũ ex quo pudoris pudicitiæque

que petuntur exēpla, eundem in aliquo libidinis crimine comprehendi. Pro Deiot.

Imperator. 30

IMperatores appellandi ſunt, quorum virtute & conſilij felicitate, maximis periculis ſeruitutis atq; interitus liberati ſumus. Philip. 14.

In ſummo Imperatore, quatuor hæ virtutes ineſſe debêt: Scientia rei militaris, Virtus, Autoritas, Felicitas. Pro lege Manil.

Hæ ſunt virtutes imperatoriæ, labor in negocijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Pro lege Manil.

Non ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt, ſed multę ſunt artes eximię, huius adminiſtrę, comitesq; virtutis. Primùm quanta innocentia, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, fide, felicitate, ingenio, & humanitate, Imperatores eſſe debent? Pro lege Manil.

Refrænet primùm libidines, iracũdiam teneat, ſpernat voluptates, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cùm dedecori & turpitudini parere deſierit. Parad. 5.

Non poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet, frugi hominem dici non multum laudis habet in Rege: fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnaminum, largum, beneficum, liberalem, & manſuetum. hæ ſunt regiæ laudes. Pro lege Manil. Pro Rege Deiot.

Magiſtratus.

Magiſtratus. 31

MAgiſtratus, lex eſt loquens. 3. de Legibus.

Magiſtratibus opus eſt, ſine quorũ prudentia ac diligentia ciuitas eſſe non poteſt, quorum deſcriptione, omnis Reipub. moderatio continetur, neq; ijs ſolùm præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam ciuibus obtemperandi modus. Nam & qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt: & qui modeſtè paret, videtur qui aliquando imperet, dignus eſſe. 3. de Leg.

Omnino qui Reipublicæ præſunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne cùm partem aliquam tuẽtur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipubl. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. 1. Offic.

Huc omnia ſunt referẽda ab ijs qui præſint alijs, vt qui eorum in imperio erunt, ſint quàm beatiſſimi: eſtq; eius non modò qui ſocijs & ciuibus, ſed etiam eius qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit, eorũ quibus præſit commodis, vtilitatique ſeruire. Ad Q. frat. epiſt. 1.

Sudandum eſt ijs, qui magiſtratum gerunt, pro communibus commodis adeundæ inimicitiæ: ſubeundæ ſæpe pro Republica tempeſtates: cum multis audacibus, improbis nonnunquam etiam potentibus dimican-

dimicandum. Pro Seſt.

Eſt boni magiſtratus, cùm auxilia Reipublicæ labefactari, conuelliq; videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſque communibus: ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere, intercludere omnes ſeditionum vias. Pro C. Rabir.

Si populo conſulis, remoue te à ſuſpitione alicuius tui commodi: fac fidem, te nihil niſi populi vtilitatem & fructum quærere. Ex lege Agrar. ad pop.

Nulla re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis poſſunt ij qui Reipubl. præſunt, quàm abſtinentia, & continentia. 2. Officior.

Eſt boni magiſtratus, commoda ciuium defendere, non diuellere, atq; omnes æquitate eadem continere. 2. Offic.

Eſt proprium munus magiſtratus, intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis, debereque eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, & ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. 1. Offic.

Hi qui Rempublicam tuebuntur, in primis operam dabunt, vt iuris & iudiciorum æquitate ſuum quiſque teneat, vt neq; tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur, neq; locupletibus ad ſua vel tuenda, vel recuperanda, obſit inuidia. 2. Offic.

In primis videndum eſt ei, qui Rempu. adminiſtrabit, vt ſuum quiſque teneat: & earum rerum ſit copia, quæ ſunt neceſſariæ. 2. Offic.

Magiſtratus, nó obedientem, & noxium ciuem

ciuem mulcta, vinculis, verberibusq; coerceat: ni par, maiorve poteſtas, populuſve prohibeſſit. 3.de Leg.

Qui Reipublicę pręſunt, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. 1.Offic.

Munus eorum eſſe debet, reſiſtere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. Pro Milone.

Eſt ei, cui Reſpublica cōmiſſa eſt, neceſſaria oratio & ſapientia, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueat̃ bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta laudis & ſalutis aptè ad perſuadendum edat ſuis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos, factaq; & conſulta fortium & ſapiētum, cum improborum ignominia ſempiternis monumentis prodere. Plerunque tamen ad honores adipiſcendos, & ad Rempublicam gerendam nudi veniunt & inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. 1.de Leg.

Eſt boni magiſtratus, non ſolùm videre quid agatur, verumetiam prouidere quid futurum ſit. Pro Mur.

Bono viro, non minori curæ eſt qualis Reſpublica poſt mortem ſuam futura ſit, quàm qualis hodie ſit. In Lælio.

Caput eſt in omni procuratione negocij & muneris publici, vt auaritiæ pellatur vel minima ſuſpicio. 2.Offic.

Nullum eſt vitium tetrius, quàm auaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam

cam gubernantibus: habere enim quæſtui Rempublicam, nō modò turpe eſt, ſed ſceleratum & nefarium. 1. Offic.

Senatorius ordo vitio careat, cæteris ſpecimen ſit: nec veniat quidem in eum ordinem quiſquam, vitij particeps. 3. de Leg.

Imitemur noſtros Brutos, Camillos, Halas, Decios, Curios, Fabritios, Maximos, Sciptiones, Lentulos, & Aemilios, quos in Deorum immortalium cœtu ac numero repono. Amemus patriam, conſulamus bonis, prǽſentes fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus. Id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum. Speremus quod volumus: ſed quod acciderit, feramus. Cogitemus denique corpus virorum fortium, magnorumq; hominum eſſe mortale: animi verò motus & virtutis gloriam ſempiternam. Pro Seſt.

O conditiones miſeras adminiſtrandarū ciuitatum & prouinciarum, in quibus diligentia plena ſimulatum eſt, negligentia vituperationum: vbi ſeueritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata, ſermo inſidioſus, aſſentatio pernicioſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ: venientes prætores expectant, præſentibus inſeruiunt, abeuntes deſerunt. Pro Flacco.

Sunt qui quod ſentiunt, etiā ſi optimum eſt, inuidiæ metu nō audēt dicere 1. Offic.

Lex. 32

LEx, eſt ratio ſumma, inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibet-

bibetque contraria. 1.de Leg.

Lex, nihil eſt aliud, niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta prohibensq; contraria. Philip. 11.

Legibus propoſita ſunt ſupplicia vitijs, præmia virtutibus. 2. de Orat.

Vitiorum emendatricem legem eſſe oportet, commendatricemq; virtutum: ab ea enim viuendi doctrina ducitur. 1 de Legibus.

Docemur autoritate, nutuq; legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri: ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. 1.de Orat.

Leges ſunt inuētæ, quæ cum omnibus, vna, atq; eadem voce loquerentur. 2.Offi.

A maioribus noſtris nulla alia de cauſa leges ſunt inuentæ, niſi vt ſuos ciues incolumes conſeruarent. In Vatin.

Ad ſalutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, vitamq; hominum & quietam & beatam, conditæ ſunt leges. 2.de Leg.

Ea virtute & ſapiētia maiores noſtri fuerunt, vt in legibus ſcribendis, nihil ſibi niſi ſalutem, atque vtilitatem Reipublicæ proponerent. Neque enim ipſi quod obeſſet, ſcribere volebant: & ſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. 1.de Inuent.

Nihil eſt tam aptum ad ius cōditionemque naturę, quàm lex, ſine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mūdus poteſt. 3.de Legib.

Funda-

Fundamẽtum libertatis, fons æquitatis, mens & animus, & conſilium, ſententia ciuitatis, poſita eſt in legibus. Pro Cluent.

Vt membra. Pro Cluent. In ſimil. 17.

Ius amitti non poteſt ſine magno incommodo ciuitatis. Pro Cecin.

Omnia ſunt incerta, cũ à iure diſceſſum eſt. Ad Pap. Pætum lib. Fam. 9.

Maior hereditas venit vnicuiq; noſtrum à iure, & legibus, quàm ab ijs, à quibus illa bona relicta ſunt. Nam vt perueniat ad nos fundus, teſtamento alicuius fieri poteſt: vt retineamus quod noſtrum factum eſt, ſine iure ciuili non poteſt. Pro Cecin.

Hoc ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe ciuium cõiunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. 3. Offic.

Legis eſt perſuadere, non omnia vi ac minis cogere. 2. de Legib.

Si eſſet iſta cognitio iuris magna ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudo deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. 1. de Orat.

Domus Iuriſconſulti, eſt totius oraculum ciuitatis.

Omnia iudicia aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt. 1. de Orat.

Ius ciuile. 33

IVris ciuilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atq; interpretatio. 2. Offic.

Nihil eſt in ciuitate tam diligenter retinendum, quàm ius ciuile. Etenim hoc ſublato,

blato, nihil eſt quare exploratum cuiquā poſſit eſſe quid ſuum, aut quid alienum ſit. Nihil eſt quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus eſſe poſſit. Pro Cecinna.

Ius ciuile eiuſmodi eſſe debet, quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia poſſit. Quòd ſi non modò oppreſſum, ſed etiam deſertū, aut negligentius adſeruatum erit, nihil eſt quod quiſquam ſe habere certum, aut à patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. Pro Cecin.

Qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit non modò iudiciorum, ſed etiam vtilitatis, vitæq; communis. Qui autē interpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris eſſe dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit. Si imperitis non putat eſſe obtemperandum, nō homines lędit, ſed leges & iura labefactat. Pro Cecin.

Veri iuris, germanæq; iuſtitiæ ſolidā & expreſſam imaginem nullam tenemus, vmbra & imaginibus vtimur. 3. Offic.

[*Tu de iuris ciuilis commēdatione leges pleniſſimè apud Ciceronem in oratione pro A. Cec.*]

Arma legibus contraria. 34

NIhil eſt æquitati tam contrarium atq; infeſtum, quàm conuocati, armatiq; homines: nihil iuri tam inimicum, quàm vis. Pro Cecin.

Nihil eſt exitioſius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuile & humanum, quàm conſtituta & compoſita

poſita Republica quicquam agi per vim. 3.de Legib.

Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cùm ei qui expectare velit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Pro Milone.

Iudex, & quæ ſint eius partes. 35

IVdex eſt is, quem non minus bene de nobis exiſtimare, quàm ſecundùm nos iudicare velimus. Pro Roſc. Com.

Semper iniquus eſt iudex, qui aut inuidet, aut fauet, debetq; in iudicio imbecillis eſſe inuidia. Pro Planc.

Abducuntur nonnunquam iudices ab inſtitutis ſuis magnitudine pecuniæ. 6.act. in Verr.

Ingentes diuitiæ, iudiciorum religionem, veritatemque ſolent perfringere. 2. act. in Verr.

Plura iudicant homines, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mẽtis, quàm veritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. 2.de Orat.

Eſt ſapientis iudicis, meminiſſe ſe hominem, cogitare ſibi tantum eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit & creditũ. Et non ſolùm ſibi ſoli poteſtatem eſſe datã, verum etiam fidem habitam eſſe, meminiſſe poſſe quem oderit, abſoluere: quem non oderit, condemnare: & ſemper non quæ velit ipſe, ſed quid lex & religio cogat, cogitare. Animaduereere, qua lege reus citetur, de quo

reo

reo cognoſcat;quæ res in quæſtione verſetur. Cùm hæc ſunt videnda: tum illud eſt homini magni Iudicis atque ſapientis, habere in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem:libidinem autem, & inuidiam, metum,cupiditates omnes amouere: maximè æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à dijs immortalibus accepimus,quę à nobis diuelli non poteſt. Pro Cluent.

Cùm iudici dicenda ſententia eſt, meminerit ſe Deum habere teſtem,id eſt,mentē ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus diuinius. 3.Offic.

Eſt ſapientia iudicis in hoc,vt non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet:nec quantum ſibi permiſſum,meminerit,ſed etiam quatenus commiſſum ſit.Pro Rabir.Poſth.

Laborare debent iudices nō modò quid dicāt pro teſtimonio, ſed etiam quibus verbis vtantur,ne quid minus moderatè poſitum, ne quid ab aliqua cupiditate prolapſum verbum eſſe videatur. Vultu autem laborare, ne qua ſignificari poſſit ſuſpicio cupiditatis,vt & cùm prodeunt, exiſtimatio ſit quædam tacita de illis pudoris ac religionis:& cùm diſcedunt, ea diligenter cō ſeruata ac retenta videantur. Pro Font.

Neq; contra Rempublicam,neq; contra iuſiurandum ac fidē,amici cauſa vir bonus faciet, ne ſi iudex quidem erit de ipſo amico:ponit enim perſonam amici,cùm induit iudicis: Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed con-

iurationes putandæ ſunt. 3.Offic.

Iudicis ſemper eſt verum ſequi. 2.Offi.

Eſt boni iudicis, paruis ex rebus conie-cturam facere vniuſcuiuſq; , & cupiditatis & incontinentiæ. 6. in Verr.

Iudex bonus nemo eſſe poteſt,qui ſuſpitione certa non mouetur. 7.Act. in Verr.

Scriptum ſequi,calumniatoris eſt: boni verò Iudicis,voluntatem ſcriptoris, autoritatemq; defendere. Quę lex enim,quod Senatuſconſultum,quod magiſtratus edictũ, non infirmari aut conuelli poteſt,ſi ad verba deflectere voluerimus? conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem & autoritatem relinquamus. Non enim ex verbis pendet ius, ſed verba ſeruiunt hominũ conſilijs & autoritatibus: nec verba veniũt in iudicium, ſed ea res, cuius cauſa verba in leges coniecta ſunt. Pro Cecin.

Dubium non eſt quin omnes omnium pecuniæ poſitæ ſint in eorũ poteſtate, qui iudicia dant, & eorum qui iudicant, cùm nemo noſtrûm poſſit ædes ſuas, nemo fundum, nemo bona patriæ obtinere, cùm ad iudicandum detur iudex nequam,& leuis, qui de ijs iudicet. 4 Act. in Verrem.

Præceptores. 36

NVllum munus Reipu. afferre maius, meliuſve poſſumus, quàm ſi doceamus atq; erudiamus iuuentutem, ijs præſertim moribus atque temporibus,quibus ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refrænanda atque coërcenda ſit. 3.de Diuinat.

Nulli bonarum artium magiſtri nõ bea-

ti putandi,quamuis conſenuerint vires atque defecerint. Cato Maior.

Pædagogi negligendi non ſunt, ſed quodammodo colendi. Lælius.

Nemo eſt noſtrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui atque doctores,cui non locus ille mutus, vbi ipſe altus aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur. Pro Planc.

Ijdem erant antiquitus viuendi præceptores,atque dicendi. 3.de Orat.

Ciuitas. 37

CIuitas in ſeditione non poteſt eſſe beata. 1.de Finib.

Proprium eſt ciuitatis atque vrbis, vt ſit libera, & non ſolicita ſuæ rei cuiuſque cuſtodia. 2.Offic.

Millies perire eſt melius,quàm in ſua ciuitate ſine armorum præſidio non poſſe viuere: præſidium caritate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis. Philip.2.

Illa non eſt ciuitas,cùm leges in ea nihil valent, cùm iudicia iacent, cùm mos occidit patrius. Parad.4.

In hoc vel maximè vitioſa eſt ciuitas,quæ largitione interpoſita, virtutis & dignitatis obliuiſci ſolet. De Peti.conſul.

Ciuis. 38

QVi periculum non timet, propoſita inuidia, morte, pœna, qui nihilo ſegnius Rempub. defendit,is vir verè,& ciuis putandus eſt. Pro Milone.

Ciuis eſt is,qui patriam ſuam diligit, & bonos

bonos omnes ſaluos, incolumesq; deſiderat. In Vatin:

Ab omnibus, huiuſmodi ciuis laudãdus ac diligendus eſt, qui non ſolùm Reipubl. ciuem improbum remouet, verumetiam ſeipſum eiuſmodi fore profitetur ac præſtat, vt ſibi non modò communi voluntate virtutis atque officij, ſed etiam vt quadam magis neceſſaria ratione, rectè ſit honeſtèque viuendum. 5. Act. in Verr.

Ciuem oportet æquo & pari cum ciuibus iure viuere, neque ſummiſſum & abiectum, neque ſeſe afferentem: tum in Repu. ea velle, quæ tranquilla & honeſta ſint. 1. Officior.

Nihil viro bono & quieto & bono ciui magis conuenit, quàm abeſſe à ciuilibus controuerſijs. Ad Attic. 9. lib. epiſt.

Ciuis non eſt habendus, qui ciuile bellũ concupiſcit. Philip. 13.

Ingratus eſt, iniuſtusq; ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum. Pro Marc.

Ciuem ab hoſte non natura ac loco, ſed animo, factisq; diſtinguimus. Parad. 4.

Hi & audaces & mali & pernicioſi ciues putantur, qui incitant populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcant mentes imperitorum, aut qui fortes & claros viros, & bene de Republica meritos, in aliquam vocant inuidiam. Qui verò ſceleratorũ impetus & conatus repreſſerunt, qui autoritate, qui fide, qui magnitudine animi, conſilijs audacium reſtiterunt, ij boni

ciues ſemper habiti ſunt. Pro Seſtio.

Reſpublica & Patria. 39

RESpublica nomen vniuerſæ ciuitatis eſt, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia noſtra ponere, & quaſi conſecrare debemus. 2. de Leg.

Eò omnis vitæ noſtræ ratio tranſmittenda eſt, vt magnam nominis noſtri famam, ex maximis in Republicam meritis collatis. poſteris relinquamus. In Vat.

Bono viro. Lælius. In Magiſt. 31.

Omnibus bonis expedit ſaluã eſſe Rem publicam. Philip. 13.

Laudandus eſt is, qui mortem oppetit pro Republica, qui doceat cariorem eſſe patriam nobis, quàm noſmetipſos. Eſtque illa vox inhumana & ſcelerata eorum, qui negant ſe recuſare, quò minus ipſis mortuis terrarum omnium deflagratio conſequatur. 3. de Finib.

Qui pro Republica vitam reddiderunt, nuſquam mehercule eos mortem potius, quàm immortalitatem aſſecutos putaui. Pro Planc.

Nihil eſt ex omnibus rebus humanis præclarius aut præſtantius, quàm de Republica bene mereri. Ad Planc. Famil. 10.

Omni timore depoſito, debemus liberè Reipublicæ cõſulere. Bru. ad Cic. Fam. 11.

Imitemur noſtros Brutos. Pro Seſt. De Magiſt. 21.

His maiores noſtri qui ob Rempublicã mortem obierant pro breui vita diuturnã memoriam reddiderunt. Philip. 9.

Duo hæc moriens opto. Philipp. 2. In Apophth. 1. 8.

Non poteſt cuiquā malè de Republica merenti, iuſta eſſe cauſa. de reſp. Aruſp.

Magnus eſt in Republi campus, multis apertus curſus ad laudem. Philip. 14.

Patria, eſt communis omnium noſtrûm parens. 1 Inuect. in Catil.

Non poteſt cognatio vlla propior eſſe, quàm patriæ. 1. de Orat.

Ipſa patria dici vix poteſt quid caritatis, quid voluptatis habet. Philip. 5.

Patria nihil dulcius, nihil carius in vita eſſe debet. Ad Quir. poſt red.

Eſt patriæ caritas maxima. In Vat.

Commune patriæ ſolum, & clarum eſt, & iucundum & delectabile. Cicero Caio Caſſio, Famil. 12.

Nullus locus eſt domeſtica ſede iucundior. 4 in Catil.

Nullus locus nobis dulcior eſſe debet patria. Ad Marc. Famil. 4.

Noſtra patria delectat, cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati ante ponat. 1 de Orat.

Cari ſunt liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates patria vna complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? 1. Officiorum.

Patriæ nos primùm natura conciliat. de reſp. Aruſp.

Patria eſt. 5.Tuſcu. In Apopht.81.

Si contentio quædã & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij, principes ſunt patria & parentes, quorum beneficijs maximè obligati ſumus. 1.Offi.

Sapientis eſt carere patria, & duri non deſiderare. Ad Marc.Fam.4.

Malo ſine periculo domi meæ eſſe, quàm cum periculo alienæ. Ad Marc.Fam.4.

Pro patria,& in patria mori,prçclarum. Ad Attic.8.

Nemo eſt tam ingratus,tam impius, tãque nullius humanitatis, qui ſi patriæ merita reſumere velit,non eam magis, quàm ſeipſum diligat. In Vat.

Nullus eſt caſus pro dignitate & libertate patriæ non ferendus. Philip.13.

Omnia quæ à nobis geruntur, nõ ad noſtram vtilitatem & commodum,ſed ad patriæ ſalutem conferre debemus. In Vat.

Non ſolùm nobis nati ſumus. 1.Offic. In Apopht.11.

Nullum eſt periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ vitandum arbitretur: hæc enim ſecum loquitur. Non mihi ſoli, ſed etiam,atque adeò multo potius, natus ſum patriæ. Vita quæ fato debetur, ſaluti patriæ potiſſimum ſoluatur. 4.ad Heren.

Nihil eſt præſtabilius viro,quàm periculis patriam liberare:beatiq; ſunt hi,quibus ea res honori fuerit. Pro Milone.

Pericula, labores, dolorem etiam, optimus quiſq; pro patria & pro ſuis ſuſcipit: dolores denique ſuſcipere mauult, quàm

deſerere vllam officij partem. 1 de Finib.

Quoniam ſunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum eſt. At qui patriæ pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putandi ſunt, cùm & eum quem debent honorem Reip. reddunt, & pro multis perire malunt, quàm cum multis. Etenim vehementer eſt iniquum, vitam quam à natura acceptam propter patriam conſeruaueris, naturæ cùm cogat, reddere, patriæ cùm roget, non dare: & cùm poſſis cum ſumma virtute & honore pro patria interire, malle per dedecus & ignauiam viuere: & cùm pro amicis & parentibus & cæteris neceſſarijs adire periculum velis, pro Republica, in qua & hoc & illud ſanctiſſimum nomen patriæ continetur, nolle in diſcrimen venire. 4 ad Heren.

Cùm dies & noctes, omnia nos vndique fata circunſtent, non eſt dubitandum, eum ſpiritum, quem naturæ quiſque debet, patriæ reddere. Philip. 10.

O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria potiſſimũ eſt reddita. Philip. 14.

Cùm omnibus definita ſit mors, optandum eſt magis vt vita quæ neceſſitati debetur, patriæ potius donata, quàm reſeruata naturæ videatur. Pro Seſt.

Debemus grata eorum virtutem memoria proſequi, qui pro patria vitam profuderunt. Philip. 14.

Omnibus qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certus eſt in cœlo & de-

ſinitus locus, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. In Som. Scip.

Peregrinatio. 40

OMnis peregrinatio obſcura & ſordida eſt ijs, quorum induſtria in patria poteſt eſſe illuſtris. Ad Marc. Cælium, Famil. lib. 2.

Omnibus peregrinantibus gratum eſt minimarum quoque rerum quæ domi gerantur, fieri certiores. Cælius ad Ciceronem, Famil 8.

In externis locis, minor eſt ad facinus verecundia. Ad Marc. Famil. lib. 4.

Multi ſuam rem bene geſſére, & publicam patria procul. Ad Trebatium, Famil. lib. 7.

Gloria. 41

GLoria, eſt illuſtris & peruagata multorum & magnorum, vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. Pro Marcello.

Gloria, eſt ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata: ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantiũ de excellenti virtute: ea virtuti reſonat, tanquam imago gloriæ, quæ quia rectè factorum plerunq; comes eſt, nõ eſt bonis viris repudianda. Illa autem quæ ſe eius imitatricem eſſe vult, temeraria atque inconſiderata, & plerunq; peccatorum, vitiorumque laudatrix fama popularis, ſimulatione honeſtatis, formam eius, pulchritudinemque corrumpit. Tu ergo quæ habent ſpeciem gloriæ, collecta ex inaniſſimis ſplen-

doris

doris inſignibus,contemne:breuia,ſugacia & caduca exiſtima. 3.Tuſc.

Vera gloria radices agit,atq; etiam propagatur: ficta omnia tanquam floſculi celeriter decidunt: nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. 2.Offic.

Honos,eſt præmium virtutis,iudicio ſtudioque ciuium delatum ad aliquem. Qui eum ſententijs,qui ſuffragijs adeptus eſt,is mihi & honeſtus & honoratus videtur. De clar.Orat ad Brutum

Is verus triumphus eſt, cùm bene de Republica meritis, teſtimonium à conſenſu ciuitatis datur. Philip.14.

Is honos videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris viris defertur & datur: eſtque non inuitamentũ ad tempus, ſed perpetuæ virtutis præmium. Ad Planc. Fam.lib.10.

Ea eſt profectò iucunda laus, quę ab his proficiſcitur,qui ipſi in laude vixerunt. Ad Marc.Catonem,Famil.lib 15.

Is mihi videtur ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum peruenit, non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem. Pro Roſc.Amer.

Suſcepit vita. 2. de Nat.deor. De Virtute.45.

Quæ melior in genere hominum natura, quàm eorum qui ſe natos ad homines iuuandos,tutandos,conſeruandos arbitrãtur?Abijt ad eos Hercules: nunquam abijſſet, niſi cùm inter homines eſſet, eam ſibi viam muniſſet. 1.Tuſc.

Eò omnis vitæ noſtræ ratio. In Vatin. De Repub.39.

Actum præclarè cum ijs eſt, quorum virtus nec obliuione eorum qui ſunt, nec reticentia poſterorum ſepulta eſſe poterit. Philip.14.

Breuis vita data eſt, at memoria bene redditæ vitæ ſempiterna, quæ ſi non eſſet longior, quàm hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad ſummam laudem, gloriamq; contenderet? Philip.14.

Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ. Pro Caio Rabir.

Vita breuis eſt, gloriæ curſus ſempiternus. Pro Seſt.

Breue tempus ætatis, ſatis longum ad bene viuendum. 1.Tuſc.

Honos alit artes, omneſque incendimur ad ſtudia, gloria: iacentq; ea ſemper, quę apud quoſque improbantur. 1.Tuſc.

Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſq; maximè gloria ducitur. Ipſi illi philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribũt, nomen ſuum inſcribunt, in quo prædicationem & nobilitatem deſpiciunt, prædicari ſe, ac nominari volunt. Pro Arch.Poëta.

Opifices poſt mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clipeo Mineruæ, cùm inſcribere non liceret? Quid noſtri philoſophi? nónne in his ipſis libris quos inſcribunt, de contemnen-

temnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? 1.Tuſcul.

Nemo eſt tam auerſus à Muſis, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facilè præconium patiatur. Pro Archia Poëta.

Temiſtocles. Pro Archia Poëta. In Apophth.4.

Poëtæ poſt mortem nobilitari volunt: vnde illud.

Aſpicite ô ciues, ſenis Ennij imaginis vrnam.

Hic veſtrûm finxit maxima facta patrũ.

Mercedem gloriæ efflagitat ab his, quorum patres affecerat gloria. Idemq́;,

Nemo me lacrimis decôret, nec funera fletu

Faxit: cur? volito docta per ora virûm. 1.Tuſcu.

Vix inuenitur qui laboribus ſuſceptis, periculisq́; aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. 1.Offic.

Nemo vnquã ſine magna ſpe immortalitatis, ſe pro patria offert ad mortẽ. 1.Tuſc.

Perfecti homines, & excellentibus ingenijs præditi, excitantur ſpe gloriæ, quæ habet formam honeſtatis, & ſimilitudinem. Cato Maior.

Nemo noſtrum in Reipu. periculis, cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis, fructuq́; ducatur. Pro C.Rabir.

Cũ optimus quiſq; maximè poſteritati ſeruiat, eſſe aliquid veriſimile eſt, cuius is poſt mortem, ſenſum ſit habiturus. 1.Tuſc.

Licuit eſſe otioſo Temiſtocli, licuit Epaminondæ: ſed neſcio quomodo inhæret in mentibus, quaſi ſęculorum quoddam augurium futurorum: quo quidem dempto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus & periculis viueret? 1. Tuſc.

Pueri efferuntur lætitia cùm vicerint, & pudet victos: vt ſe accuſari nolunt, quàm cupiunt laudari: quos illi labores non perferunt, vt æqualium principes ſint? 5. de Finibus.

Quibus tantos labores diurnos, nocturnosque domi, militiæque ſuſciperet, ſi iiſdem finibus gloriam ſuam, quibus vitam eſſet terminaturus? Sed optimi cuiuſq; animus, maximè ad immortalitatem gloria nititur. Cato Maior.

Eſt anguſti animi atq; demiſſi, triumphi honorem atque dignitatem contemnere. Nam vt leuitatis eſt. In Piſo. In ſimil. 75.

Præſtantes viri, nunquam tanta conati eſſent, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent, ni animo vidiſſent poſteritatem ad ſe pertinere poſſe. Nónne melius multò fuiſſet, otioſam ætatem & quietem ſine vllo labore & contentione traducere? Sed neſcio quo modo animus erigens ſe, poſteritatem ſemper ita proſpicit, quaſi cùm exceſſerit è vita, tum denique victurus ſit. Cato Maior.

Sapiens, virtutis honorem, præmium, haud prædam petit. 3. de Orat.

Nullam virtus aliam mercedem laborum, periculorumq; deſiderat, præter hãc laudis

laudis & gloriæ: qua quidem detracta, Iudices, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? Certè ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpacium circumſcriptum eſt, eiſdē omnes cogitationes terminaret ſuas: nec tantis ſe laboribus frangeret, neq; tot curis vigilijsq; angeretur, nec toties de vita ipſe dimicaret. Nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat atq; admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam. Pro Archia Poëta.

Nullam mercedem tanta virtus, præter hanc laudis & gloriæ deſiderat: qua etiam ſi careat, tamen eſt ſeipſa contenta: quanquam in memoria gratorum hominum, tanquam in luce poſita lætetur. Philip. 5.

Ex omnibus præmijs virtutis, ampliſſimum eſt præmium, gloria: quæ vitæ breuitatem, poſteritatis memoria conſolatur: quæ efficit vt abſentes adſimus, mortui viuamus; cuius gradibus etiam homines in cœlum videntur aſcendere. Pro Milone.

Non vita hæc dicenda eſt quæ corpore & ſpiritu continetur: illa inquam, illa vita eſt, quæ viget memoria ſęculorum omniũ, quam poſteritas alit, quam ipſa æternitas ſemper intuetur. Pro Marco.

Veſtra quæ dicitur vita, mors eſt. Som. Scip.

Nihil

Nihil eſt vera gloria dulcius. Philip. 5.

Natura nihil præſtantius habet, nihil quod magis expetat, quàm honeſtatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus. 2. Tuſc.

Antiquior ſit poſſeſſionibus gloria. 1. de Diuinat.

Verum decus in virtute poſitum eſt. Cicero ad Plancum. Famil. lib. 10.

De morte. 42

OMnium rerum mors eſt extremum. ad Tor. Fam. 6.

Mors eſt diſceſſus animæ à corpore. 1. Tuſculanarum.

Mors, ſomno ſimilis eſt. 1. Tuſc.

Morti nihil eſt tã ſimile, quàm ſomnus. Cato Maior.

Somnus, imago mortis. 1. Tuſc.

Mors, quaſi ſaxum Tantalo ſemper impendet. 1. de Finib.

Moriendum certè eſt, & id incertum an eo ipſo die. Cato Maior.

Nemini exploratum poteſt eſſe, quomodo ſeſe habiturum ſit corpus, non dico ad annum, ſed ad veſperum. 2. de Finib.

Quis eſt, quamuis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſperum eſſe victurum? Cato Maior.

Mors omnibus eſt parata. 4. Inuect. in Catil.

Omnibus definita eſt mors. Pro Seſt.

Mortem oĩbus natura propoſuit. Phil. 4.

Neceſſe eſt mori. 2. Tuſc.

Moriendum eſt omnibus: eſtque finis miſeriæ

miſeriæ in morte. 1.Tuſcul.

Commorandi nobis natura diuerſoriũ, non habitandi dedit. Cato Maior.

Ex ipſa vita diſcedendum eſt, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Cato Maior.

Si hoc tempore diem nõ obieris, paucis poſt diebus eſt tibi moriendum, quia homo natus es. Sulpitius ad Cice.Fam.lib.4.

Hoc meditatum ab adoleſcentia debet eſſe, mortem vt negligamus, ſine qua meditatione, tranquillo eſſe animo quis non poteſt. Cato Maior.

Mortem omnibus horis impendentem timens, quis tranquillo animo poſſit conſiſtere? Cato Maior.

Qui id quod vitari non poteſt metuit, is viuere animo quieto nullo modo poteſt. 2.Tuſcu.

Quæ poteſt eſſe in vita iucunditas, cùm dies & noctes cogitandum ſit iamiam eſſe moriendum? 1.Tuſcul.

Qui mortem non timet, magnum is ſibi præſidium ad beatam vitam comparauit. 2.Tuſcul.

Non deterret ſapientem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe. 1.Tuſc.

Vtrum viuere, an mori ſit melius, dij im mortales ſciunt: hominem quidem ſcire arbitror neminem. 1.Tuſcu.

A malis mors abducit, non à bonis. 1. Tuſcul.

Ipſe

Ipſe animi diſceſſus à corpore fit ſine dolore,& fit plerunq; ſine ſenſu, nonnunquam etiam cum voluptate: totum hoc leue eſt,qualecunque ſit,fit enim ad punctũ temporis. 1.Tuſcu.

Tunc erimus beati,cùm corporibus relictis, cupiditatum & æmulationũ erimus expertes. 1.Tuſc.

Pellantur iſtæ ineptiæ penè aniles, ante tempus mori miſerum eſſe.Quod tandem tempus?naturæne? At ea quidem dedit vſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. Quid eſt igitur quod querare, ſi repetit cùm vult? ea enim conditione ac ceperas.Quæ verò ætas longa eſt?aut quid omnino homini longum?Nõne modo pueros, modo adoleſcentes in curſu à tergo inſequens, nec opinantes aſſecuta eſt ſenectus? Omnia iſta perinde vt cuique data ſunt,pro rata parte à vita, lõga aut breuia dicuntur. 1.Tuſcu.

Mors terribilis eſt ijs, quorum cum vita omnia extinguuntur, non quorum laus emori non poteſt. Parad.

Honeſta mors nunquam eſt fugienda, ſæpe etiam appetenda. Martius ad Ciceronem,Famil lib 11.

Vetat dominans in nobis Deus. 1.Tuſc. In pijs Sent 68.

Non eſt iniuſſu Imperatoris. Cato Maior.In pijs Sent 70.

Nobis ſi quid tale acciderit. 1.Tuſc. In pijs Sent.72.

Tibi & pijs omnibus. 1.Tuſcul. In pijs Sen-

Sententijs 69.

Niſi Deus. 1.Tuſc. In pijs Sent.71.

Sunt qui ſe gratũ mortuis facere, ſi grauiter eos lugeant, arbitrantur. Accedit ſuperſtitio muliebris quædam: exiſtimant enim dijs immortalibus ſe faciliùs ſatisfactu ros, ſi eorum plaga perculſi, afflictos ſe & ſtratos eſſe fateantur. 3.Tuſc.

Mortuorum corpora nihil ſentiunt in ſepultura: quantum autem conſuetudini, famæq; dandum ſit, id curent viui, ſed ita, vt intelligant nihil ad mortuos pertinere. 1.Tuſcul.

Cùm ab amicis rogaretur Diogenes. 1. Tuſc. In Apopht.37.

Quis eſt, aut quotuſquiſque cui mors cum appropinquet, nõ refugiat timido ſanguem, atq; exalbeſcat metu? 5 de Finib.

Emori nolo. 2.Tuſc. In Apoph. 43.

[*Mors, bonum ſit an malum: pleniſſimè primo Tuſculanarum leges, & in dialogo, qui Cato Maior inſcribitur.*]

Virtutis quæ ſit vis, & commendatio. 43

Virtus eſt per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poteſt. 2.de Orat.

Virtus nihil eſt aliud, quàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. 1.de Legibus.

Virtus, eſt affectio animi conſtans, conueniensq;, laudabiles efficiens eos in quibus eſt: & ipſa eſt per ſe ſua ſponte, ſeparata tamen vtilitate, laudabilis: ex ea proficiſcuntur honeſtæ voluntates, ſententiæ, actiones, omnisq; recta actio. 4.Tuſcul.

[*Virtutis*

[*Virtutis multæ diffinitiones conſultò à nobis omittuntur.*]

Honeſtum. 44

ID dicitur honeſtum, non quod laudetur à multis, ſed quia tale ſit, vt vel ſi ignorent id homines, vel ſi obtinuiſſent, pulchritudine ſua tamen eſſet, ſpecieque laudabile. 2. de Finib.

Honeſtum etiam ſi nobilitatum non ſit, aut ſi etiam à nemine laudetur, laudabile eſt natura: quod ſi oculis cerneretur, mirabiles amores citaret ſapientiæ. 1. Offic.

Honeſtum, eſt quod detracta omni vtilitate ſine vllis præmijs, fructibúſve, per ſeipſum iure poteſt laudari. 2. de Finib.

Si non ipſo honeſto mouemur, vt viri boni ſimus, ſed vtilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet is in tenebris qui nihil timet, niſi teſtẽ vel iudicem? quid in deſerto loco, nactus quẽ multo auro ſpoliare poſſit, imbecillum atque ſolum? 1. de Legib.

Si emolumentis, non ſuaptè natura virtus expetitur, vna erit virtus quæ malitia rectiſſimè dicetur. Nam qui virtutem pretio metiuntur, nullam virtutem, niſi malitiam putant. 1 de Leg.

Nulla poteſt eſſe virtus niſi gratuita. Nã quæ voluptate, quaſi mercede aliqua ad officium impellitur, ea non virtus, ſed fallax, & imitatio ſimulatioq; virtutis. 5. Tuſc.

Quicquid præter id quod honeſtum ſit expetendum eſſe duxeris, in boniſq; numeraris, & honeſtum ipſum quaſi virtutis lumen

men extinxeris, & virtutem penitus euerteris. 3.de Finib.

Difficile eſt hominibus perſuadere honeſtum propter ipſum eligendum. C.Caſſius Ciceroni,Famil.lib.15.

Si ipſam honeſtatem vndique perfectam & abſolutam, rem vnam præclariſſimam omnium, maximeque laudandam penitus videremus, quonam gaudio cóplerermur, cùm tantopere eius adumbrata opinione lætemur? 5.de Finib.

Sumus natura ſtudioſiſſimi, appetentiſſimiq; honeſtatis:cuius ſi quaſi lumen aliquod aſpeximus, nihil eſt quod vt eo potiamur, non parati ſimus & ferre & perpeti. 2.Tuſc.

Nihil eſt virtute amabilius: quam qui adeptus erit,vbicunque erit gentium,à nobis diligetur. 1.de Nat.deor.

Virtutem neceſſariò gloria ſequitur. 1.Tuſcu.

Gloria virtutem tanquam vmbra ſequitur. 1.Tuſc.

Nihil eſt virtute formoſius, nihil pulchrius,nihil amabilius. 1. de Nat.deor.

Nihil eſt amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligẽdum: quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.Cuius ea eſt vis,vt ea (quod maius eſt)in hoſte etiam diligamus. In Lælio.

Animi hominum mouentur ad diligendum,cùm eorum, quibus cum vſu coniun-

cti ſunt, virtutem & bonitatem perſpiciūt. In Lælio.

Conciliantur animi hominum dignitate hominis, rebus geſtis, æſtimatione vitæ: alienanturq; ab ijs, in quibus hæc nō ſunt. 1. de Orat.

Suſcepit vita, conſuetudoq; communis, vt beneficijs excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollamus. 2. de Nat deo.

Quæ natio non comitatem, non beneuolentiam, non gratum animum, & beneficij memorem diligit? Quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos nō aſpernatur, non odit? 1. de Legib.

Eos viros non ſuſpicimus, maximiſq; efferimus laudibus, in quibus exiſtimamus, excellentes quaſdam & ſingulares perſpicere virtutes Deſpicimus autem eos, & cōtemnimus, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum putatur. Quamobrem contemnuntur ij, qui nec ſibi nec alteri proſunt, vt dicitur, in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Admiratione autem quadam afficiuntur ij, qui anteire cæteris virtute putantur. 2. Offi.

Illud honeſtum, quod in alio cernimus, nos mouet: atque illi in quo id ineſſe videtur, amicos facit. Omnis enim virtus nos ad ſe allicit, facitque vt eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videtur. 1 Offic.

Quis eſt tam diſſimilis homini, qui non moueatur & offenſione turpitndinis & cōprobatione honeſtatis? Quis eſt qui non oderit libidinoſam, proteruam adoleſcentiam?

tiam? Quis contrà, in illa ætate pudorem, conſtantiam etiam ſi ſua nihil interſit, non tamen diligat? An obliuiſcimur quantopere in audiendo, in legendoq; moueamur, cùm piè, cùm amicè, cùm magno animo, aliquid factum cognoſcimus? 5. de Finib.

Quæ magno animo & elato, fortiter & excellenter geſta ſunt, ea neſcio quo modo quaſi pleno ore laudamus. 1. Offic.

Cùm aliquid clementer, mãſuetè, iuſtè, rectè, moderatè ſapienter factum aut legimus, aut audimus quo ſtudio incendimur, non modò in geſtis rebus ſed etiam in fictis, vt eos ſæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Pro Marcel.

Quis eſt qui non admiretur ſpledorem pulchritudinemq; virtutis? 2. Offic.

Conciliatrix amicitiæ eſt, virtutis opinio In Lælio.

Habet hoc virtus, vt viros fortes, ſpecies eius & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet. In Piſonem.

Eſt proprium virtutis conciliare ſibi animos hominum, & ad vſus ſuos adiungere. 2. Offic.

Virtus conciliat amicitias atque conſeruat. In ea enim eſt conuenientia rerum, in ea eſt ſtabilitas, in ea eſt conſtantia: quę cũ ſe extulit, & lumen ſuum oſtendit, & idem aſpexit, agnouitque in alio, ad id ſe admouet: viciſſimq; accipit illud quod in altero eſt, ex quo eorum exardeſcit ſiue amor, ſiue amicitia. In Lælio.

Propter virtutem iure laudamur, & in virtute

virtute rectè gloriamur. 3.de Nat.deor.
Vera laus verę virtuti debetur.3.de Or.
Nihil quicquam ſine virtute laudabile. 1.Tuſcu.
Quibus gradibus Romulus aſcendit in cœlum?rebus geſtis atq; virtute. Parad.1.
Bonus vir propriè & copioſè laudari ſine virtutum cognitione non poteſt. 2. de Orator.
Eos, quorum vita perſpecta eſt in rebus honeſtis atque magnis, & bene de Republica ſentientes,aut aliquo honore & imperio affectos obſeruare & colere ſolemus. 1. Offic.
Vehementer amor multitudinis commouetur ipſa fama & opinione liberalitatis,beneficentiæ,iuſtitiæ, fidei, omniumq; earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem ac facilitatem,eosq; in quibus eas virtutes ineſſe videmus, à natura ipſa diligere cogimur. 2.Offic.
Ea virtus videtur præſtantis viri,quę eſt fructuoſa alijs,ſibi autem laborioſa, aut periculoſa,aut certè gratuita. 2.de Orat.
Si quod optimum,maximumq; eſt,id volumus adipiſci,virtuti opera danda eſt,ſine qua nullam rem expetendam cõſequi poſſumus. In Lælio.
Verum decus in virtute poſitum eſt.Cicero ad Planc Famil.lib.10.
Digna eſt virtus gloriatione:tantumque præſtat cæteris rebus, vt dici vix poſſit quid interſit. 4 de Finib.
Neſciunt multi, neſciunt quantas vires
virtus

virtus habeat?nomen virtutis tantum vſurpant:quid ipſa valeat,ignorant. Parad.1.

Non ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt.In Lęlio.

Non eſt inhumana virtus, neque immunis,neque ſuperba,quę populos vniuerſos tueri,eiſq; optimè conſulere ſoleat: quod non faceret profectò,ſi à vulgi caritate abhorreret. In Lælio.

Virtus,quam ſequitur Caritas, minimè repudianda eſt. In Lælio.

Virtus altiſſimum locum in homine, & maximè excellentem tenet. Cùm autem aſſumpta eſt ratio, tanto in dominatu locatur, vt omnia prima naturæ, huius tutelæ ſubijciantur. 4.de Finib.

Virtus, omnia quæ cadere in hominem poſſunt,ſubter ſe habet: eaque deſpiciens, caſus contemnit humanos: culpaq; omni carens, præter ſeipſam, nihil cenſet ad ſe pertinere. 5.Tuſc.

Optimè virtus ſeipſa nouit, & quàm amabilis ſit,intelligit. In Lælio.

Virtutis tanta eſt vis, vt non poſſit vnquam eſſe vir bonus non beatus. In Piſo.

In virtute ſatis eſt præſidij ad bene viuendum,ſatis etiam ad beatè,ſatis vt fortiter viuamus,etiam vt magno animo,& quidem vt nulla re egeamus, ſemperq; ſimus inuicti:ſequitur vt nihil pœniteat, nihil deſit,nihil obſtet. 5.Tuſcul.

Præſidij ad viuendum in virtute ſatis eſt. 5.Tuſcul.

Virtus ad beatè viuendum ſeipſa contenta

tenta eſt. 5.de Finibus.

Cùm fateamur ſatis magnam vim eſſe in vitijs ad miſeram vitam, fatendum eſt etiam eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam Contrariorum enim contraria ſunt conſequentia. 5.Tuſc.

Quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neq; incēdio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporū permutatione mutatur? qua prędıti qui ſunt, ſoli ſunt diuites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas & ſempiternas: ſoliqúe (quod eſt proprium diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis. Satis eſſe putant quod eſt, nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Paradox. vlti.

Virtus in tempeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendetq; per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcit. Pro Seſtio

Amitti virtus non poteſt. 2 Tuſc.

Virtus eſt altiſſimis defixa radicibus, quę nunquam vlla vi labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco. Philip.4.

Ei non multùm poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute quàm in caſu præſidium collocauit. 4 ad Heren.

Omnes bene viuendi rationes in virtute ſunt collocandæ, propterea quòd ſola virtus in ſua poteſtate eſt. Omnia, præter eā, ſubiecta ſunt fortunæ dominationi. 4. ad Herennium.

Maior

Maior eſt virtutis iucunditas, quàm voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate. 3.act.in Verr.

[*Tu plura ſi deſideres, euolue diligẽter quintum Tuſculanarum: nos enim ea tantum quæ videbantur grauiora ſelegimus, ne potius ex integro librum tranſcripſiſſe, quàm ex præcipuis præcipua ſelegiſſe videamur.*]

Expetendarum rerum tria genera. 45

RErum expetendarum tria ſunt genera. Nam eſt quiddam quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus, virtus, ſcientia, veritas eſt. Aliud autẽ non propter ſuam vim & naturam, ſed propter fructum atque vtilitatem petendum: quod pecunia eſt. Tertium eſt, ex horum partibus iunctum, quod & ſua vi, & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe gerit quãdam vtilitatem quò magis expetatur, vt amicitia, bona exiſtimatio. 2.de Inuent.

Vitia virtutis ſpeciem plerunque induunt. 46

CErnenda ſunt diligenter, ne ea nos fallant vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis: & magnitudinem animi, ſuperbia in animis extollendis: & deſpicientia in cõtemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & religionem ſuperſtitio ſtudijsque bonis ſimilia videntur ea, quæ ſunt in eo genere nimia. In Part.

Aſtutiæ tollendæ ſunt,eaq; malitia,quæ vult quidem videri ſe eſſe prudentiam: ſed abeſt ab ea,diſtatq; plurimum: nec vlla pernicies vitæ maior inueniri poteſt, quàm cũ in malitia ineſt ſimulatio. 3.Offic.

Omnibus veris falſa quædam adiuncta ſunt,tanta ſimilitudine, vt nulla inſit iudicandi &aſſentiendi nota. 1.de Nat.deor.

Finitima ſunt falſa veris. 4.Acad.

Voluptas. 47

IMitatrix eſt boni voluptas, malorũ mater omniũ,cuius blanditijs corrumpuntur quæ natura bona ſunt. 1.de Leg.

Malorum eſca,voluptas:qua homines capiuntur,vt hamo piſces. Cato Maior.

Voluptate capimur omnes. 1. de Leg.

Voluptates, blandiſſimæ dominæ, ſæpe maiores partes animę à virtute detorquẽt. 2. Officior.

Maximas virtutes iacêre oportet, voluptate dominante. Ad Attic lib.5.

In voluptatis regno non poteſt virtus cõſiſtere. Cato Maior.

Qui voluptati deditus eſt, huic oĩa ſenſu,nõ ratione ſunt iudicanda: eaq; dicenda optima quæ ſunt ſuauiſſima.2.de Finib.

Impedit conſilium voluptas,rationi inimica, ac mentis, vt ita dicam, perſtringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium. Cato Maior.

Semouenda eſt voluptas, non ſolùm vt recta ſequamur, ſed etiam vt loqui deceat frugaliter. 2 de Finib.

Quò maior eſt voluptas, eò magis mentem

tem à ſua ſede & ſtatu dimouet. Parad. 1.

Non eſt neceſſe tanquam meretricem. 2. de Finib. In ſimil.46.

Nemo eſt dignus nomine hominis, qui vnum diem totum velit eſſe in voluptate. 2. de Finib.

Non eſt eius qui dolore ſummum malum metiatur, mentionem facere virtutis. 3. Tuſcu.

Qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenocinijs dediderunt, miſſos faciant honores, nec attingant Rempublicam, patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui. Pro Seſt.

Nihil altũ, nihil magnificum ac diuinum ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abiecerũt in rem tam humilem, tam contemptam. In Lælio.

Fieri non poteſt, vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, literis operã dare poſſit. Nec eſt alia cauſa, cur in tantis præmijs eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore tã ſint pauci, ſemperq; fuerint, qui in hoc labore verſarentur. Omittendæ enim ſunt omnes voluptates: relinquenda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuiũ, ſermo etiam penè omnium familiarium deſerendus: quæ res, in hoc genere homines à labore, ſtudioq; deterret. Pro M. Cælio.

Multa nobis blãdimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conuiueret: & multarum rerum iucundiſſimarum varie-

tatem dedit,quibus non modò prima ętas, ſed iam corroborata caperetur. Pro Marco Cælio.

Pleriq; propter voluptatem & paruam & non neceſſariam,tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrũt: ſæpe etiam legum, iudiciorumque pœnis obligantur. 1. de Finib.

Nulla capitalior peſtis, quàm corporis voluptas,hominibus à natura data eſt.Cato Maior.

Vitium ventris & gutturis non modò minuit ætatem hominibus, ſed etiam aufert. Pro M.Cælio.

Voluptatem dimittamus, & ſuis ſe finibus tenere iubeamus,ne blanditijs eius,illecebrisque capiatur animi voluptas. 3. de Finibus.

Amores & delitiæ maturè & celeriter deflorefcunt. Pro M.Cælio.

Fluit voluptas,& prima quæque euolat: ſæpiusq; relinquit cauſas pœnitẽdi,quàm recordandi. 2.de Finib.

Vnà cum ſatietate moritur memoria voluptatis. 2.Offic.

Omnibus in rebus,voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt. 2. de Orat.

[*Nos omnes,voluptate quemadmodum natura capiamur, plura primo de Finib.*]

Animus. 48

Opus eſt te animo valere, vt corpore poſſis. Caio Tironi,Fam 16.

Ex anima conſtamus & corpore. 4. de Finibus.

Conſta-

Conſtamus ex animo & corpore. 3.Tuſ.
Animus eſt rationis compos & particeps: quo nihil ab optimo & ſapientiſſimo genitore melius eſt procreatum. De Vniu.
Mente nihil homini dedit Deus ipſe diuinius. 3.Offic.
Nobis Deus, ſiue mater rerum omnium natura dedit animũ, quo nihil eſt præſtantius neque diuinius. Parad. 1.
Animus eſt ingeneratus à Deo. 1.de Legibus. In pijs, 3.
Eſt animus cœleſtis. C.Maior. In pijs, 36.
Dijs immortales. C.Maior. In pijs, 26.
Humanus animus deceptus ex mente diuina. 5.Tuſc.
Animus cum eſt ſecũ. 1.Tuſ. In pijs, 41.
Nulla eſt celeritas. 1.Tuſc. In pijs, 38.
Duæ ſunt viæ. 1.Tuſc. In pijs, 60.
Oportet vt ipſa ſe mẽs. 5.Tuſ. In pijs, 39
Eorum animi. Som.Scip. In pijs, 61.
Animus ſolus, nec cùm adeſt, nec cùm diſcedit apparet. Cato Maior.
Omniũ animi immortales ſunt: ſed bonorum, ac fortium diuini 2.de Leg.
Bonorum virorum mentes mihi diuinæ atque æternæ videntur & ex hominum vita, ad deorum religionem ſanctimoniamq; demigrare. Pro Caio Rabir.
Sic habeto, te nõ eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Som.Scip.
Corpus hoc eſt mortale, animi verò motus, ſempiterni. Pro Seſt.
Nihil intereſt, motu animi ſublato, inter pecudem & hominem: ſed ne inter homi-

nem & ſaxum aut truncum, aut quiduis generis eiuſdem. In Lælio.

Duplex eſt vis animorum: vna pars in appetitu poſita, altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum, fugiendúmve ſit: ita fit vt ratio præſit, appetitus verò obtemperet. 1. Offic.

Eſt animorum ingeniorumque noſtrorum naturale quaſi quoddam pabulum, conſideratio, contemplatioque naturæ: doctoque homini & erudito, cogitare, eſt viuere. Sapientis enim cogitatio, non fermè ad inueſtigandum adhibet oculos aduocatos. 4. Academ.

Animus perturbatus & incitatus nec cohibere ſe poteſt, nec quo loco vult, conſiſtere omnino. 4. Tuſc.

Animus æger. 3. Tuſc. In Apoph. 123.

Quemadmodum animus conturbatus. 3. Tuſc. In ſimil. 23.

Animi morbi, ſunt cupiditates immenſę, inanes diuitiarũ gloriæ, dominationis, libidinoſarum etiã voluptatum accedũt ægritudines, moleſtiæ, mœrores, quæ animos exedunt, conficiuntq; curis. 1. de Finib.

Aegris corporibus ſimillima eſt animi ægritudo. 1. de Finib.

Aequè animo dolemus, dum corpore dolemus. 3. Offic.

Errat qui vllum aut corporis, aut fortunæ vitium, animi vitijs grauius exiſtimat. 3. Tuſcu.

Morbi pernicioſiores pluresq; ſunt animi, quàm corporis. 3. Tuſc.

Corpora curari poſſunt, animorum nulla medicina eſt. 3. Tuſc.

Animi lineamēta pulchriora ſunt, quàm corporis. Rectè ſolus liber, nec dominationi cuiuſquam parens, neq; obediens cupiditati. Rectè inuictus, cuius etiam ſi corpus conſtringatur, animo tamen vincula inijci nulla poſſunt. 3. de Finib.

Corpori tantùm præſtat mentis excellēs perfectio, vt vix poſſit cogitari quid interſit. 5. de Finib.

Deus & ortu & virtute antiquiorem genuit animum, eumq́ue vt dominum atque imperantem obedienti præfecit corpori. De Vniuerſitate.

Vt multò maiora ſunt opera animi, quàm corporis: ſic eæ res, quas perſequimur ingenio ac ratione, gratiores ſunt, quàm hæ quas viribus. 2. Offic.

Quò maior eſt vis animi, quàm corporis: hoc ſunt maiora ea quæ concipiuntur animo, quàm illa quæ corpore. Philip. 11.

Cùm multùm animus corpori præſtet. 2. de Leg. In pijs Sent. 12.

Non viribus. Cat. Maior. Conſilium. 26.

Maior eſt animi voluptas, quàm corporis. 1. de Finib.

Voluptate animi, nulla poteſt eſſe maior. Cato Maior.

Corpore nihil niſi præſens & quod adeſt, ſentire poſſumus: animo autem & præterita & futura. 1. de Finib.

Corpus tamdiu gaudet, dum pręſentem ſentit voluptatem: animus & præſentem

percipit pariter cum corpore, & proſpicit venientem, nec præteritam præterfluere finit. 5.Tuſc.

Corpus eſt quaſi vas animi, aut aliquod receptaculum. 1.Tuſc.

Deus animum concluſit in corpore. De Vniuerſitate.

Exercendum eſt corpus, & ita efficiendum, vt obedire conſilio, rationique poſſit in exequendis negocijs, & in labore tolerando. 1.Offic.

Redditur terræ corpus 2.de Leg.

Formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate extinguitur. 4.ad Heren.

Ratio. 49

MVnus animi, eſt ratione vti. 3.Tuſc.

Nihil eſt, non dicam in homine, ſed in omni cœlo atque terra, ratione diuinius, quæ cùm adoleuit atque perfecta eſt, nominatur, ritè ſapientia. 1.de Leg.

Domina omnium & regina, ratio: connexa per ſe, & progreſſa longius, fit perfecta virtus: hæc vt imperet illi parti animi quæ obedire debet, id videndum eſt viro, velut ſeruo dominus, velut Imperator militi, velut parens filio. 2.Tuſc.

Bene adhibita ratio, cernit quid optimũ ſit: neglecta, multis implicatur erroribus. 4 Tuſcu.

Societatis humanæ vinculum, eſt ratio & oratio, quæ dicendo, communicando, diſceptando, iudicando, conciliat inter ſe homines, coniungitq; naturali quadam ſocietate. Neque vlla re alia abſumus à natura

ferarum.

ferarum. 1.Offic. De homine.119.

Ratione præſtamus beluis. 1.de Leg.

Vt patrimonium homini ab homine relinquitur,ſic ratio homini à Deo. 3.de Natura deor.

Nihil poteſt eſſe æquabile, quod non è certa ratione proficiſcatur. 2.Tuſc.

Nihil per ſe amplum eſt,niſi in quo iudicij ratio extat. Ad Brutum.16.

Plus apud nos vera ratio valeat, quàm vulgi opinio. Parad.1.

Grauior & validior eſt decem virorum bonorum ſententia, quàm totius multitudinis imperitæ. Pro Planc.

Sunt homines qui rationem bono conſilio à dijs immortalibus datam, in fraudem malitiamq́; conuertunt. 3.de Nat.deor.

Appetitus rationi obediant. 50

APpetitus omnes contrahendi,ſedandique ſunt, excitandaq́; eſt animaduerſio & diligentia, vt ne quid temerè ac fortuitò, inconſideratè, negligenterq́ue agamus. 1.Offic.

Efficiendum eſt vt appetitus rationi obediant, eamq́ue neque præcurrant,nec propter pigritiam aut ignauiam deſerant,ſintq́ue tranquilli,atq; omni perturbatione animi careant, ex quo elucebit omnis conſtantia,omniſq́ue moderatio. 1.Offic.

[*Tu in hanc ſententiam plura lege primo Officior.capite, Duplex eſt enim.*]

Moderari animo & orationi,cùm ſis iratus, aut etiam tacere & tenere in ſua poteſtate motum animi & dolorem,etſi non eſt

perfectæ ſapientię, tamen non eſt mediocris ingenij. Ad Q. frat. epiſt. 1.

Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, præclarũ eſt: Hæc qui faciat, non ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Pro Marcio.

Siquis hoc robore animi eſt, atq; hac indole virtutis ac continentiæ, vt reſpuat omnes voluptates, omnemq; vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atq; in animi contentione conficiat, quem non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectent: nihil in vita expetendum putet, niſi quod eſt cum laude & honore & cum dignitate coniunctum: hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum atq; ornatum puto. Pro M. Cælio.

Regium eſt ita viuere, vt non modò homini, ſed ne cupiditati quidem ſeruias: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere: populi vtilitati magis conſulere, quàm voluntati: nemini cedere, multis obſiſtere. Pro Sill.

Refrænet primum libidines. Parad. pen. In pijs. 30.

Eſſe abſtinentem, continere omnes cupiditates, præclarum magis eſt, quàm difficile. Ad Q. fratr epiſt. 1.

Cùm præcipitur, vt nobiſmetipſis imperemus, hoc præcipitur, vt ratio coërceat teme-

temeritatem. 2.Tuſculanarum.

Cupiditates ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt, totam etiam labefactant Remp. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur. Nec hæ ſeſe foris ſolùm iactant, nec tãtùm in alios cæco impetu incurrunt, ſed intus etiam animis incluſæ inter ſe diſſident atque diſcordant. 1.de Finib.

Semper manendum in officio. 51

NVlla vitæ pars, neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neq; ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt. In eoque excolendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. 1.Offic.

Nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec ſimultate à via recta oſtendemus oportere deduci: nec ab vlla re honeſta periculi, aut laboris magnitudine. 3.ad Heren.

Nullo caſu arbitror hoc conſtanti homĩni poſſe contingere, vt nulla intermiſſio fiat officij. In Lælio.

Nulla laſſitudo impedire officium & finem debet. Cic.Cornific.Fam.12.

Pericula, labores, dolorem etiam optimus quiſq; ſuſcipere mauult, quàm deſerere vllam officij partem. 1.de Fin.

Artium ſtudio à rebus agendis abduci, contra officium eſt. 1.Offic.

Si quis omiſſis. 1.de Inuent. Vide Doctus inuiſus 24.

Et bene & honeſtè viuendum. 52

OPtima viuendi ratio eſt eligēda: eam iucundam conſuetudo reddet. 4.ad Herennium.

Omnis noſtra cura debet in hoc verſari ſemper, ſi poſſumus, vt boni aliquid efficiamus. Sin minus, vt certè nihil mali. 2. de Orator.

Semper ita viuamus, vt rationem nobis reddendam arbitremur. 4.Act.in Verr.

Non ob ea ſolùm incommoda. 1.de Fin. Vide in pijs.3.

Si impietas. 3.de Finib. Vide in pijs. 3.

A recta cōſcientia tranſuerſum vnguem non oportet quenquā in omni vita ſua diſcedere. Cic.Attic.lib.13.

Nobis perſuaſum eſſe debet, ſi deos, homineſq; celare poſſimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incōtinenter eſſe faciendum: honeſta bonis, nō occulta quæruntur. 3.Offic.

Improbum eſt relinquere honeſtatem propter vtilitatis magnitudinem. 3.Offic.

[*Tu honeſtatem vtilitati præferendam eſſe diſces ex tertio Officiorum.*]

Sobriè viuendum. 53

ESſe oportet vt viuas, viuere non vt edas. 4.ad Heren.

Victus, cultuſq; corporis, ad valetudinē referantur, & ad vires, non ad voluptatem. 1.Officior.

Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, vt reficiantur vires, non opprimantur. Cato Maior.

Iucunditas

Iucunditas victus eſt in deſiderio, & nō in ſatietate. 5.Tuſc.

Cibi condimentum eſt fames: potionis, ſitis. 2.de Finib.

Darius. 5.Tuſc. In Apoph.59.

Ptolemæo. 5. Tuſc. In Apoph.60.

Timotheus. 5.Tuſc. In Apoph.58.

Cùm Dioniſius. 5.Tuſc. In Apoph.61.

Non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit parſimonia. Parad.

Quæritur in re domeſtica continentiæ laus:in publica,dignitatis. Pro Flacco.

Omnium perturbationum fons, eſt intemperantia,quæ eſt à tota mente,etiam à recta ratione defectio, ſic auerſa à præſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. 4.Tuſcu.

Mente rectè vti non poſſumus, multo cibo & potione completi. 5.Tuſc.

[*Quæ virum forma deceat, & qui victus eſſe debeat. primo Officiorum lege, capite. Cùm autem.*]

Turpitudo fugienda. 54

NIhil eſt tam tetrum,nihil tam aſpernandũ,nihil homine indignius,quàm turpitudo. 2.Tuſc.

Nihil eſt tam contra naturam,quàm turpitudo. 3.Offic.

Nihil eſt deteſtabilius dedecore. Phil.3.

Periculum minus fugiendum eſt, quàm turpitudo. Philip.7

Ne turpitudo ſuſcipiatur vitæ cupiditate. Philip.13.

Nihil

Nihil eſt malum, niſi quod turpe aut vitioſum eſt. 2.Tuſc.

Si vnum in locum collata ſint omnia mala, cum turpitudinis malo non erunt comparanda. 2.Tuſc.

Miſera eſt ignominia iudiciorum publicorum. Et cuius bona ex edicto poſſidentur, huius omnis fama & æſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur. Pro Quintio.

Nemo eſt tam agreſtis. In Parad. Vide Ignominia, 207.

Non peccandum. 55

PEccare, eſt tanquam tranſilire lineas. Parad.3.

Peccare certè licet nemini. Parad.3.

Accipere pręſtat, quàm facere iniuriam. 5.Tuſcu.

Peccati dolor & maximus & æternus eſt. Ad Attic. 11.

Quæ parua videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab ijs etiam diligentius eſt declinandum. 1.Offic.

Temperantia. 56

TEmperantia, eſt moderatrix omnium commotionum. 5.de Finib.

Eſt temperantia, libidinum inimica. 3. Officiorum.

Temperantia eſt quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem ſequamur monet, quæ animis pacem affert, & eos quaſi quadam concordia placat ac lenit. 1.de Finib.

Nihil reperiri poteſtatem eximiũ, quàm iſtam virtutem, moderatricem animi, temperan-

peran-

perantiam, non latêre in tenebris, neque eſſe abditam, ſed in luce. Ad Quint.fratr. Epiſto. 1.

Quemadmodum temperantia. 4.Tuſc. In Simil.38.

Frugalitatis eſſe videtur propriũ, motus animi appetẽtes regere & ſedare, ſemperq; aduerſantem libidini, moderatam in omni re ſeruare conſtantiam. 3.Tuſc.

Eas tres virtutes, fortitudinem, iuſtitiam, prudentiam, frugalitas eſt cõplexa. 3.Tuſc.

Non poteſt temperantiam laudare is, qui ponit ſummum bonum in voluptate: eſt enim temperantia, libidinum inimica. 3.Offic.

Qui voluptatem ſummum bonũ ſtatuit, eſſe temperans nullo modo poteſt. 1 Offic.

Quæ laus, quod decus erit tanti, quod adipiſci cum dolore corpus velit, qui dolorem ſummum malum ſibi eſſe perſuaſerit? 2.Tuſcu.

Mediocritatis optima regula. 57

NIhil eſt quod tam deceat, quàm omni in re ſeruare conſtantiam. 1.Offic.

His rebus quæ tractantur in vita, modũ quendam & ordinem adhibentes, honeſtatem & decus conſeruabimus. 2.Offic.

Mediocritas ad omnem vſum, cultumq; vitæ referenda eſt. In omnibus rebus mediocritas eſt optima. 1.Offic.

Modus eſt optimus, decus ipſum tenere, nec progredi longius. Orat.ad Brut.

Suus cuiq; modus eſt, tamen magis offendit nimium, quàm parum. De Orat.

[*Tu*

[*Tu quæ ſint in omni actione ſeruanda lege primo Officior. capite, In omni autem actione.*]

Verecundia. 58

CVſtos virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximã conſequẽs, verecundia eſt. Par. Orat.

Moderator cupiditatis eſt pudor. 2. de Finibus.

Sine verecũdia nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. 1. Offic.

Maximum amicitiæ ornamentum tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in ijs pernicioſus eſt error, qui exiſtimant libidinem, peccatorumq́; omnium patere in amicitia licentiam. In Lælio.

Sæpe videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur. 2. Tuſc.

Pudor in bello eſt maximè periculoſus. Plancus Ciceroni, Famil. 10.

Graue eſt homrni pudẽti petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet: ne id quod petit, exigere magis, quã rogare, & in mercedis potius, quàm beneficij loco numerare videatur. Cicer. Curioni, Famil. 2.

Iuſtitia. 59

IVſtitia, virtus omnium eſt domina & regina virtutum. 3. Offic.

Iuſtitia, omnium virtutum cauſa atque ſentina eſt. 1. de Legib.

Excellentiſſima virtus, iuſtitia. 1. de Natura deor.

Iuſtitia ſine prudentia plurimũ poterit: ſine iuſtitia nihil valebit prudentia. 2. Offi.

Funda-

Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ eſt iuſtitia, ſine qua nihil eſſe poteſt laudabile. 1.Offic.

Iuſtitię ineſt ſplēdor virtutis maximus, ex qua boni viri nominantur: cuius primū munus eſt, vt ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria: deinde, vt communibus pro communibus vtatur, priuatis autem vt ſuis. 1.Offic.

Iuſtitia, ex qua vna virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur, nec iniuria. quis eſt enim qui non admiretur ſplendorem, pulchritudinemque virtutis? 2.Offic.

Solitario homini, atq; in agro vitam degenti, opinio iuſtitiæ neceſſaria eſt. Atque ijs etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisq; negocijs implicantur, iuſtitia ad rem gerendā neceſſaria eſt: cuius tanta vis eſt, vt nec illi quidē qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. 2.Offic.

Iuſtitiæ partes ſunt, non violare homines. 1.Offic.

Totius iuſtitię nulla eſt capitalior peſtis, quàm eorum qui tū, dum maximè fallunt, id agunt vt boni viri videantur. 1.Offic.

Omne officium quod ad cōuentionem hominū, & ad ſalutem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione & ſcientia continetur. officijsq; ſcientiæ anteponenda ſunt officia iuſtitiæ: conſideratè enim agere plus eſt, quàm cogitare prudenter. 1.Offic.

[Tu,

[Tu, quæ dicantur propriè iuſtitiæ & officia & munera, leges pleniſſimè apud Ciceronem in libris Officiorum.]

Pietas. 60

PIetas, eſt fundamentum omnium virtutum: parentem vt Deum vereri, atque non multò ſecus ac parentes, liberos amare debemus. Pro Planc.

Pietati ſumma tribuenda laus eſt. 2. de Oratore.

Omnibus eſt amori pietas. Cice. C. Caſſio, Famil. 15.

Pietate aduerſus deos ſublata, fides etiã & ſocietas generis humani, & vna excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur neceſſe eſt. 1. de Nat. deor.

Pietas grata eſt Deo. 2. de Legibus. De Deo. 1.

Pietas maximè & religio. 2. de Legibus. In Apopht. 64.

Humanitas & clementia. 61

HOmines ad deos nulla re propius accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Pro Ligario.

Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. 1. de Orat.

Nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummũ imperium, acerbitatem naturæ adiungere. Ad Q. fratr. Epiſt 1.

Rectè præcipere videntur qui monent, quantò ſuperiores ſimus, tantò nos ſummiſſius geramus. 1. Offic.

Qui

Qui plus propter virtutem, nobilitatem que poſſunt, eo minus quantùm poſſint, debent oſtendere. Pro Quintio.

In bonis fortunæ ſumma laus eſt, non extuliſſe ſe in poteſtate, nó fuiſſe inſolentem in pecunia: non ſe prætuliſſe alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes & copiæ, nó ſuperbiæ videantur ac libidini, ſed bonitati ac moderationi facultatem ac materiam dediſſe. 2. de Orat.

Nihil eſt laudabilius, nihil magnó & pręclaro viro dignius placabilitate & clementia, quæ ita probãda eſt, vt adhibeatur Reipublicæ cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt. 1. Offic.

In rebus proſperis, & ad voluptatem noſtram fluentibus, ſuperbiam magnopere, faſtidium, arrogantiamq; fugiamus. Nam vt aduerſas, ſic ſecundas res immoderatè ferre, leuitatis eſt: præclaraq; eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eadem que frons. 1. Offic.

Omnibus eſt odio crudelitas, & amori pietas & clementia. Cicero Caio Caſſio, Famil. lib. 15.

Eſt hominum naturæ maximè inimica crudelitas. 3. Offic.

Satis eſt homines imprudentia lapſos nó erigere: vrgere verò iacentes, aut præcipitantes impellere, certè eſt inhumanum. Pro Rabir. Poſthu.

Amor & amicitia. 62

AMicitia, nihil aliud eſt, niſi omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum bene-

beneuolentia & caritate ſumma cõſenſio : qua quidem haud ſcio an excepta ſapientia, quicquam melius homini ſit à dijs immortalibus datum. In Lælio.

Amicitiam omnibus rebus humanis anteponamus. Nihil eſt enim tam naturæ aptum, tam conueniens ad res vel ſecundas, vel aduerſas. In Lælio.

Quæ videntur vtilia, honores, diuitiæ, voluptates, & cætera generis eiuſdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt. In Lælio.

Amicitia plurimas res continet: quoquò te verteris præſtò eſt: nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt. Itaq; non aqua, non igni, non aëre (vt aiũt) pluribus locis vtimur, quàm amicitia. Nã & ſecundas res ſplendidiores facit amicitia: & aduerſas partiens, communicansq; leuiores. Nec debilitari animos, aut cadere patitur: verumetiam iam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod dictu difficilius, mortui viuunt. In Lælio.

In amicitia omnia inſunt quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atq; iucunditas: vt cùm hęc adſint, beata vita ſit, & ſine ijs eſſe non poſſit. In Lælio.

De amicitia omnes ad vnum idem ſentiunt, & ij qui ad Rempublicam ſe contulerũt, & ij qui rerum cognitione, doctrina-

q́ue delectantur, & ij qui ſuum negocium gerunt otioſè: poſtremò ij qui ſe totos tradiderunt voluptatibus, ſine amicitia vitam eſſe nullam ſentiunt, ſi modò velint aliqua ex parte liberaliter viuere. Serpit enim neſcio quo modo per omnium vitam amicitia, nec yllam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. In Lælio.

Laus & caritas ſunt vitæ ſine metu degendæ præſidia firmiſſima. 1. de Finib.

Amicitia præſidium eſt firmiſſimum. 1. de Finibus.

Rerum omnium nec aptius eſt quicquã ad opes tuendas ac tenendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. 2. Offic.

Carum eſſe ciuem, bene de Repub. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt: metui verò, & in odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum. Philip. 1.

Diligi, & carum eſſe, iucundum: propterea quòd tutiorem vitam & voluptatem efficit pleniorem. 1. de Finib.

Sine amicorum beneuolentia, neq; in aduerſa, neq; in ſecunda fortuna quiſquam viuere poteſt. Marcel. Cice. Fam. lib. 4.

Amicitia colenda eſt, quòd ſine ea tutò, & ſine metu viui non poſſit, ne iucundè quidem. 2. de Finib.

Nulla poteſt eſſe iucunditas, ſublata amicitia. Pro Plancio.

Quis eſt, pro Deum fidem, qui velit vt neque diligat quenquam, ne ipſe ab vllo diligatur: circunfluere omnibus copijs, atq; in omnium rerum abundantia viuere? Hæc

enim

enim eſt tirannorum vita, nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis beneuolentiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita ſunt, nullus locus amicitiæ. In Lælio.

Omnis ratio & inſtitutio vitæ adiumenta hominum deſiderat. In primisq; vt habeas quibúſcum familiares conferre poſſis ſermones. 2. Offic.

Nullo modo ſine amicitia firmam & perpetuam iucunditatẽ vitæ tenere poſſumus. Nec verò ipſam amicitiam tueri, niſi æquè amicos, ac noſipſos diligamus. 1. de Finib.

Nullius opes tantæ ſuerunt, aut tantæ eſſe poſſunt, quæ ſine multorum amicorum officijs ſtare poſſint. Pro Plancio.

Omnium rerum quas ad beatè viuendũ natura parauit, nihil eſt maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius, cùm ſolitudo & vita ſine amicis, inſidiarum & metus plena ſit. Ratio ipſa monet amicitias comparare: quibus partis, conſeruatur animus, & à ſpe pariendarum voluptatum ſeiungi non poteſt. 1. de Finib.

Maximum eſt bonum amicitia: plurimæ ſunt delectationes in ea. 1. de Inuent.

Amicitia nihil eſt vberius. Cicer. Appio Pulchro. Famil. 3.

Hæc eſt vna via & laudis & honoris & dignitatis, à bonis viris & ſapientibus, & bene à natura conſtitutis laudari & diligi. Pro Seſtio.

Violari amicitiam, apud maiores noſtros nefas erat Cic. Appio Pulch. Fam. lib. 3.

Violare amicitiam, hoc grauiſſimum cri men iudico. Philip. 2.

Quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſu mus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur: quam qui lædit, oppugnat commune omnium præſidium & quã tum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem: non enim poſſumus per nos omnia agere. Alius in alia re eſt magis vtilis. Idcirco amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis officijs gubernetur. Pro Roſcio Amer.

Quoniã res humanæ fragiles, caducæq; ſunt, ſemper aliqui acquirendi ſunt quos diligamus, & à quibus diligamur. Caritate enim, beneuolentiaque ſublata, omnis eſt è vita ſublata iucunditas. In Lælio.

Eſt ea iucundiſſima amicitia, quam ſimi litudo morum coniugauit. 1. Offic.

Omnium ſocietatũ nulla prꝗſtantior eſt, nulla firmior, quàm cũ viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate coniuncti. Nihil enim amabilius, nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum. 1. Offic.

Nihil eſt aptius vitæ, nihil ad beatè viuen dum accommodatius, quàm cum viris bonis, iucundis, amantibus noſtri viuere. M. Cic Pap. Pæto, Fam lib. 9.

In quibus ſunt eadem ſtudia, eædem vo luntates, in his fit vt æquè quiſque altero delectetur ac ſeipſo: efficiturq; id quod Pitagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus. 1. Offic.

Nihil minus hominis eſſe videtur, quàm

non

non reſpondere in amore ſis,à quibus prouocêre. Cic.ad Brutum.

Beneuolentiam, non adoleſcentulorum more,ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius & conſtantia iudicemus. 1.Offic.

Eodem modo erga amicos affecti ſimus, quo erga noſmetipſos: & noſtra in amicos beneuolentia, illorum erga nos beneuolentiæ pariter,æqualiterq́; reſpondeat. In Lel.

Eſt in amicitia neceſſarium, vt alter nihilo ſeſe plus quàm alterum diligat: quòd ſi tantillum interſit, iam amicitiæ nomen occiderit: cuius eſt ea vis, vt ſimulatque ſibi aliquid,quàm alteri,maluerit, nulla ſit. 1. de Legibus.

Vetus eſt lex illa iuſtæ,veræq́; amicitiæ, vt idem amici ſemper velint,neq; eſt vllum certius amicitiæ vinculum, quàm conſenſus & ſocietas conſiliorum & voluntatum. Pro Plancio.

Non eſt ſancta amicitia, niſi ipſe amicus per ſe ametur toto pectore, vt dicitur: qui quidem amandus eſt, deſperatis emolumẽtis & fructibus. 1.de Legib.

Amicorum bona communia. 1.Offic.

Confirmata amicitia & perſpecta fide, commemoratio officiorum ſuperuacanea eſt. C.App.Pulch.Famil.lib.3.

Odioſum eſt ſanè genus hominum, officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is,in quem collata ſunt,non commemorare qui contulit. In Lælio.

Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius ſecuti ſunt, hi ſimul atque fortuna

elapſa

elapſa eſt, deuolant omnes. Cùm enim receſſit res ea, quæ fuit conſuetudinis cauſa, nihil ſupereſt quare poſſint in amicitia reti neri. 4.ad Herenn.

Vt hirundines. 4.ad Heren. In Simil.93.

Non facilè diiudicatur amor verus & fictus, niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit: cætera ſunt ſigna communia. Cic.Pap.Pæto. Famil.lib.8.

Amicus certus in re incerta cernitur. In Lælio.

Amare nihil aliud eſt, niſi eum ipſum di ligere quem ames, nulla indigentia, nulla vtilitate quæſita. In Lælio.

Nihil eſt aliud amare, à quo amicitiæ no men dictum eſt, niſi velle bonis aliquem affici quamplurimis, etiam ſi ad ſe ex ijs nihil redeat. 2.de Finib.

Carum ipſum verbũ eſt amoris, ex quo amicitiæ nomen eſt ductum: quam ſi ad fru ctum noſtrum referamus, non ad illius cõmoda quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum. Prata, & arua, & pecudum greges diliguntur iſto modo, quòd fructus ex ijs capiuntur: hominum caritas & amicitia gratuita eſt. 1.de Nat Deor.

Etiamſi nulla ſit vtilitas ex amicitia, tamen ipſi amici propter ſeipſos amentur. Etenim ſi loca, ſi fana, ſi vrbes, ſi gymnaſia, ſi campum, ſi canes, ſi equos, ſi ludicra exercendi aut venandi conſuetudine adamare

ſolemus, quantò id in hominum conſuetudine facilius fieri poterit, & iuſtius? 1. de Finibus.

Meipſum ames oportet, non mea, ſi verè amici futuri ſimus. 1. de Finibus.

Si fructibus & emolumentis & vtilitatibus amicitias colemus, ſi nulla caritas erit quæ faciat amicitiam ipſam ſua ſponte, vi ſua, ex ſe, & propter ſe expetendam: non dubium eſt quin fundos & inſulas amicis anteponamus. 2. de Finib.

Amicitia non ſub dubia vtilitatis ratione effici ſolet, ſed ipſa ex ſe oritur, & ſua ſponte naſcitur. 2. de Finib.

Pleriq; in rebus humanis, nihil quicquā bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos tanquam pecudes, eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos: ita pulcherrima illa & maximè naturali carêt amicitia: nec ſibi ipſi exemplo ſunt, hæc vis ámicitiæ qualis & quanta ſit. ipſe enim ſe quiſque diligit, non vt aliquam à ſeipſo mercedem exigat caritatis ſuæ, ſed quòd per ſe ſibi quiſque carus eſt. quod niſi idē in amicitiam transferatur, verus amicus nūquam reperietur. In Lælio.

Eſt honeſtius de amicorū pecunia laborare, quàm de ſua. Cic. ad Brut. Fam. lib. 13.

Multi vitam neglexerunt, vt eos, qui his cariores, quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent. Part Orat.

In omnibus nouis coniunctionibus intereſt, qualis primus aditus ſit, & qua commendatione

mendatione quaſi amicitiæ fores aperiantur. Cic. Bruto, Fam lib. 13.

Cùm in amicitia, quæ honeſta non ſunt poſtulantur: religio & fides anteponatur amicitiæ. 3. Offic.

Si in hominibus eligendis nos ſpes amicitiæ fefellerit, vt vindicemus, miſſos faciamus. 4. Act. in Verr.

Amicitias, quæ minus delectãt, & minus probantur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere, quàm repentè præſcindere. Cauendum erit igitur, ne non ſolùm amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videãtur. Nihil eſt enim turpius, quàm cum eo bellum gerere, quícum familiariter vixeris. 1. Offic.

Vna iſta ſit cautio, atque vna prouiſio in amicitia, vt ne nimis citò diligere incipiamus, néve non dignos. Digni autem ſunt amicitia, quibus in ipſis ineſt cauſa cur diligantur. In Lælio.

Nihil eſt quod ſtudio & beneuolentia, vel amore potius effici non poſſit. C. Rut. Famil. 13.

Sine ſtudio & ardore quodã amoris, in vita nihil quicquam fit egregium 1. de Orat.

[Tu de amicitiæ, amicorumq; officijs plura leges apud Ciceronem in dialogo, qui Lælius inſcribitur: eſt enim Cicero in eius laudibus multus.]

Adulatio. 63

NVlla in amicitijs peſtis eſt maior, quàm aſſentatio, blanditiæ, adulatio. In Lælio.

Simulatio, amicitiæ repugnat maximè:

delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt. In Lælio.

Semper auget aſſentatio id, quod is, cuius ad voluptatem dicitur, vult eſſe magnũ. In Lælio.

Cauendum eſt ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt: tales enim nos eſſe putamus vt iure laudemur. In Lælio.

Aſſentatio quamuis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei qui eam recipit, atq; ea delectatur. Ita fit, vt is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas, maximè qui ipſe ſibi aſſentetur, & ſe maximè ipſe delectet. In Lælio.

In obſequio comitas adſit, aſſentatio vitiorum adiutrix procul amoueatur, quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt. In Lælio.

Turpis eſt aſſentatio Ad Atticum, lib. 13.

Blanditia cùm vitioſa ſit ac turpis in cætera vita, tamen in petitione magiſtratus eſt neceſſaria: beneuolentiã tamen ciuium blanditijs & aſſentationibus colligere turpe eſt. De petitione Conſul.

Mihi hæreditates non honeſtę videntur, ſi ſunt blanditijs officiorum, non veritate, ſed ſimulatione acquiſitæ. 3. Offic.

Liberalitas. 64

LIberalitate nihil eſt naturæ hominis accommodatius, ſed habet multas cautiones. Vidẽdum eſt enim primùm, ne obſit benignitas & ijs ipſis, quibus videbitur benignè fieri, & cæteris. nam qui alijs no-

cent,vt in alios liberales ſint, non benefici, neq; liberales, ſed pernicioſi iudicādi ſunt. Deinde, ne maior ſit benignitas, quàm facultas. nam qui benigniores eſſe volunt, quàm res patitur,primò in eo peccāt,quòd iniurioſi ſunt in proximos. Videre etiam licet pleroſque non tam natura liberales, quàm quadam gloria inductos, vt benefici videantur facere multa, quæ videntur magis proficiſci ab oſtentatione,quàm à volūtate. Tum illud vnum conſiderandum eſt, vt pro dignitate cuiuſque tribuatur,in quo mores erunt ſpectandi eius,in quem beneficium conferetur. 1.Offic.

Danda eſt opera, vt ijs beneficijs quamplurimos afficiamus, quorum liberis,poſteriſq; prodatur memoria. 2.Offic.

Liberalitate qui vtuntur, beneuolētiam ſibi conciliant, & (quod aptiſſimum eſt ad quietè viuendum) caritatem. 1. de Finibus.

Beneficium & gratia, vincula ſunt concordiæ. 2.de Finib.

Ea liberalitas eſt probanda,quæ ſine periculo exiſtimationis eſt. 4 in Verr.

Non ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit:nec ita reſerāda,vt pateat omnibus.Sequuntur enim largitionem rapinæ. Cùm enim dando egere cœperint homines,alienis bonis manum afferre coguntur, nec tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum,quibus ademerunt. 1.Offic.

Cui res erepta eſt, eſt inimicus: cui data

eſt, etiam diſſimulat ſe accipere voluiſſe. 2.Offic.

Bene pręcipit Ennius, vt quicquid ſine detrimẽto poſſit commodari, id tribuatur, vel ignoto. Ex quo ſunt illa cõmunia. Non prohibere aquam profluẽtem: Pati ab igne capere ignem: Si quis velit conſilium fidele deliberanti dare: quę ſunt ijs vtilia qui accipiunt, danti non moleſta. Cuius verſus non pudebit ſubſcribere:

Homo qui erranti comiter monſtrat viã,
Quaſi lumẽ de ſuo lumine accẽdat, facit
Vt nihilo minus ipſi luceat, cùm illi accenderit. 1.Offic.

Sunt multi ſplendoris & gloriæ cupidi, qui eripiunt ab alijs, quod alijs largiantur: ijq́; arbitrantur ſe beneficos in ſuos amicos viſum iri, ſi locupletent eos quacunque ratione. Id autem tantùm abeſt ab officio, vt nil magis officio, poſſit eſſe contrarium. 1. Offic.

Propenſior liberalitas eſſe debet in calamitoſos, niſi fortè erunt digni calamitate. Benefacta enim, vt ait Ennius, malè locata, malefacta ſunt 2.Offic.

Melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocari puto. 2.Officiorum.

Liberalis eſt, qui ſuis facultatibus aut captos à prędonibus redimit, aut æs alienum ſuſcipit amicorum cauſa aut in filiarum collocatione adiuuat, aut opitulatur vel in re quærenda, vel augenda. 2 Officiorum.

[Tu

[*Tu ſi quid requiris amplius, leges primum & ſecundum Officiorum.*]

Prodigus. 66

PRodigi ſunt qui pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſunt relicturi omnino, 2.Offic.

Largitio fundum non habet. 2.Offic.

Multi patrimonia ſua effuderunt inconſultè largiendo. 2.Offic.

Sequuntur largitionem rapinę. 2.Offic.

Ne eos fideles tibi putes. 2 Officiorum. In Apophth. 72.

In referenda gratia quales eſſe debeamus. 67

IN collocando beneficio, & in referenda gratia, hoc maximè officij eſt, vt quiſque opis maximè indigeat, ita ei potiſſimùm opitulari. quòd contrà fit à pleriſq; : à quo enim plurimùm ſperant, etiam ſi illi ijs nō egent, tamen ei potiſſimum inſeruiunt. 1.Offic.

Quis eſt qui inopis & optimi viri cauſa, 2.Offic. Vide Corrupti mores. 1 4.

Acceptorū beneficiorum ſunt delectus habendi, & in primis quo quiſq; ſtudio, vel beneuolentia fecerit, ponderandū eſt. Multi enim multa faciunt temeritate quadam, ſine iudicio vel modo in omneis vel repentino quodam impetu animi, quaſi vēto incitati: quæ beneficia ęquè magna non ſunt habenda, atq; ea quæ iudicio, conſideratè, conſtanterq́; delata ſunt. 1.Offic.

In referenda gratia, ſi modò Heſiodo credimus, debemus imitari agros fertiles,

qui plus multò adferunt, quàm acceperſt. Etenim ſi in eos quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus qui iam profuerunt? 1 Offic.

Heſiodium illud laudatur à doctis, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis. De Claris Orat.

Leue eſt onus, beneficij gratia. Pro Plan.

Sera gratulatio reprehendi non ſolet, pręſertim ſi nulla negligentia prætermiſſa eſt. Cic. Curioni. Famil. 2.

Non eſt æquum, tēpore & die memoriā beneficij definiri. Ad Quirites poſt red.

Vlciſcēdę iniurię facilior ratio eſt, quàm beneficij remunerandi: propterea quòd ſuperiorem eſſe contra improbos, minus eſt negotij, quàm bonis exæquari, tum etiam ne tam neceſſarium quidem eſt malè meritis, quàm optimè meritis referre quod debeas. Ad Quirites poſt reditum.

Aliud pecuniam debere, aliud gratiam. 67

IN officio perſoluendo diſſimilis ratio debitæ pecunię eſt, propterea quòd pecuniā qui retinet, non diſſoluit: qui reddit, non habet: gratiam & qui reddit, habet: & qui habet, diſſoluit Ad Quirit. poſt red.

Diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum. Gratiam autem, & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipſo quod habet, refert. Pro Planc.

Com-

Commodè dixit, quicunque dixit, Pecuniam qui habeat, non reddidiſſe: & qui reddiderit, non habere. Gratiam autem & qui retulerit, habere: & qui habeat, retuliſſe. 2. Officiorum.

Ingratus. 68

NEmo gratiarum immemor, eſt gratus inuentus. Poſt reditum ad Senat.

Omnes, immemores beneficij oderunt, 2 Offic.

In ingratitudine, nihil mali non ineſt. Ad Attic. 8.

Nihil eſt tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere vt beneficio, non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. Pro Planc.

Non ſolùm gratus debet eſſe qui accepit beneficium, verumetiam is cui poteſtas accipiendi fuit. De prouinc. conſul.

Cum gratia referri non poteſt quanta debetur, habēda tamen eſt quantam maximā animi noſtri capere poſſunt. Philip. 3.

Fortitudo & magnanimitas. 69

VIri propria maximè eſt fortitudo, cuius munera duo maxima ſunt, mortis dolorisq; contemptio. 2. Tuſcul.

Eſt fortitudinis proprium & magnitudinis animi, nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. 3. Offic.

Fortitudo, eſt ſcientia præferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo & perferendo, ſummæ legi parens ſine timore. 4. Tuſcul.

Fortitudo eſt virtus pugnans pro æquitate. 1.Offic.

Fortes & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. 1.Offic.

Nemo poterit eſſe celſus & erectus, & ea quæ homini accidere poſſunt, omnia parua ducere, niſi omnia bona ſibi in ſe poſita cenſebit. 5.Tuſcul.

Fortes viri, non tam prǫmia ſequi ſolent rectè factorum, quàm ipſa rectè facta. Pro Milone.

Eſt virorum fortium, virtute prǫſtare tantùm, vt poſſint fortunæ culpam non extimeſcere. Philip.13.

Magna laus & admirabilis videri ſolet tuliſſe caſus ſapienter aduerſos: non fractũ, eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. 2.de Orat.

Eſt viri fortis, ne ſupplicijs quidẽ moueri vt fortiter feciſſe pœniteat. Pro Milone.

Qui magno animo eſt atq; forti, omnia quæ cadere in hominem poſſunt, deſpicit, & pro nihilo putat: atq; iſte vir altus & excellens magno animo, verè fortis, infra ſe omnia humana ducit. 3.de Finib.

Homines magno animo erectoq; viuentes, ſemper ſunt beati, qui omneis motus fortunæ, mutationesq; rerum & temporũ, leues & imbecilles fore intelligant, ſi in virtutis certamen venerint. 5.de Finib.

Eſt ſitũ in nobis, vt & aduerſa quaſi perpetua obliuione obruamus, & ſecũda iucũdè ac ſuauiter meminerimus. 1.de Finib.

Ea

Ea quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parua ducere, eaq; ratione ſtabili firmaq; contemnere, fortis animi magniq; ducendum eſt: & ea quæ videntur acerba, ita ferre vt nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnæq; conſtantiæ. 1.Offic.

Si qui inducant animum, illa, quorum ſplendore capiuntur, vires, valetudinem, pulcritudinem, diuitias, honores, opes contemnere, eaq; quæ ijs contraria ſunt, pro nihilo ducere: tum poterunt clariſſima voce confiteri, ſe neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, nec paupertate terreri, omniaq; ſibi in ſe poſita, neque eſſe quicquam extra ſuam poteſtatē quod ducant in bonis. 5 Tuſc.

Robuſtus animus & excelſus omni eſt liber cura & angore, cùm & mortem contemnit, & ad dolores ita paratus eſt, vt meminerit maximos luctus morte finiri, paruos multa habere interualla requietis, mediocriū nos eſſe dominos, vt ſi tolerabiles ſint, feramus: ſin minus, æquo animo è vita, quum ea non placent, tanquam ex theatro exeamus. 2.de Finib.

Diuitias contemnere, & pro nihilo ducere, magni animi & excelſi eſt. 3.Offic.

Nihil eſt tam anguſti animi, tamque parui, quàm amare diuitias. Nihil honeſtius, magnificentiusque, quàm pecuniam contemnere ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre. 1.Officiorum.

Maximè admiramur eum, qui pecunia non mouetur: quod in quo viro perſpectũ ſit, hũc dignum ſpectatu arbitramur, quòd eas res ſpernit & negligit, ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur. 1. Offic.

[*Tu plura Offic. primo, & de Orat. tertio.*]

Contemptores diuitiarum. 70

MVlti diuitias deſpiciunt, quos paruo contentos, tenũis victus cultusq́; delectat. Honores verò, quorum cupiditate quidam inflammantur, quàm multi ita con temnunt, vt nihil inanius eſſe, nihil leuius exiſtiment. Item cætera, quæ quibuſdam admirabilia vidẽtur, permulti ſunt qui pro nihilo putent. In Lælio.

Caduca ſemper & mobilia hæc eſſe duxi, non virtutis atque ingenij, ſed fortunæ, ac temporum munera, quorum ego non tam facultatem vnquam, & copiam expetendam putaui, quàm & in vtendo rationem, & in carendo patientiam. Pro domo ſua.

Ambitio. 71

MIſerrima eſt omnino ambitio, honorumq́; contentio. 1. Offic.

Maximè adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cùm in imperiorum, honorum, glorięve cupiditatem inciderint. 1. Offic.

Quicquid eſt huiuſmodi, in quo nõ poſſunt plures excellere: in eo plerunque fit tanta contentio, vt difficillimum ſit ſanctã ſeruare ſocietatem: difficile eſt enim, cùm pręſtare cęteris cõcupiueris, ſeruare æquitatem.

tatem. 1.Offic.

Multi iniqui. 3.Offic.In Apophth.81.

Nulla ſancta ſocietas.1.Offi in Apo.110

Peſtis maior eſſe nulla in amicitijs poteſt, quàm in quibuſdã honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitiæ maximæ ſępe inter amiciſſimos extiterunt. In Lælio.

Facillimè ad res iniuſtas impellitur vt quiſque eſt altiſſimo animo & gloriæ cupido. 1.Offic.

Complures ſe ſcelere contaminarunt imperij cupiditate. 3.Offic.

In liberis ciuitatibus regnandi cupiditate nihil tetrius,nihil fœdius excogitari poteſt. 3.Offic.

Cauẽda eſt glorię cupiditas: eripit enim libertatẽ, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. 1.Offic.

Timida eſt ambitio, & ſolicita cupiditas Magiſtratus: omnia non modò quæ reprehendi palàm,ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt,timeamus:rumorem, fabulam fictam,falſam perhorreſcimus: ora omnium atque oculos intuemur.Nihil enim eſt tam molle,tam tenerũ, tam aut fragile,aut flexibile,quàm voluntas erga nos, ſenſuſque ciuium: qui non modò improbitati iraſcuntur candidatorum, ſed etiam rectè factis ſæpe faſtidiunt. Pro Milone.

Arrogantia. 72

EX copia,atque rerum omnium affluentia, primo arrogantia nata eſt. De lege Agr.ad pop.contra Rullum.

Deforme eſt de ſe ipſo prædicare, falſa

præſertim,

præſertim,& cum irriſione audiētium imitari militem glorioſum. 1.Offic.

Cùm omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij atque eloquentiæ multò moleſtiſſima. Diuin. in Verr.

Eſt minimè inepti hominis, & eiuſdem etiam faceti, cùm de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſam detrahere, eis tribuere illudentem,qui eam ſibi arrogant, vt apud Platonem, Socrates in cœlum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiã, cæteros: ſe autem omnium rerum inſcium fingit & rudem. De clar. Orat.

Temeritas & pertinacia. 73

OMnis actio vacare debet temeritate & negligentia. 1.Offic.

Nihil eſt temeritate turpius, nec quicquam tam indignum ſapientis grauitate & conſtantia: quàm aut falſum ſentire: aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum, ſine vlla dubitatione defendere. 1.de Nat deor.

Nihil eſt à grauitate ſapientis, errore, leuitate, temeritate diſiunctius. 4 Acad.

Nihil ſentire eſt melius, quàm praua ſentire. Pro Cluent.

Vt hoc pulcherrimum eſt vera videre, ſic pro veris probare falſa turpiſſimum eſt. 4. Academ.

Satius eſt idipſum de quo ambigitur, concedere, quàm impudenter reſiſtere. 1.de Natur deor.

Quid eſt tam futile, quàm quicquam approbare non cognitum? 1. Acad.

Inſignis eſt temeritas, cùm aut falſa aut incognita res approbatur. Nec hoc quicquam eſt turpius, quàm cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationemq; prę currere. 1.Acad.

Quid eſt ſtultius, quàm incerta pro certis habere, ac falſa pro veris? Cato Maior.

In parum cognitis ſtultè, & diu perſeuerare, turpe eſt. 2.de Inuent.

Ne cui rei temerè aut arroganter aſſenſerimus. 2.de Inuent.

Ipſa conſuetudo aſſentiendi periculoſa eſſe videtur, & lubrica. 1.Offic.

Temerè affirmare de altero, eſt periculoſum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesq; naturas. Cic.Bruto.

Cauendum eſt nè incognita pro cognitis habeamus, iiſq; temerè aſſentiamus, ſed adhibeamus ad conſiderandas res & tempus & diligentiam. 1.Offic.

Nos refelli, redarguique patiamur: quod hi ferunt animo iniquo, qui certis quibuſdam, deſtinatiſque ſententiis, quaſi adiecti & conſecrati ſunt, eaque neceſſitate conſtricti, vt etiam quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſa defendere. 2.Tuſcu.

Plerique errare malunt: eamque ſententiam quam adamauerunt, pugnaciſſimè defendere, quàm ſine pertinacia, quod cõnſtantiſſimè dicatur, exquirere. 4.Academicarum.

Vt neceſſe eſt lancem in libra. 4.Acad. In Simil 68.

Sæpe, nulla ratione, quorundam tantùm opinione & autoritate nitimur. 74

ID ratum habent homines, quod ab eo quem probant, iudicatum vident. 1.de Nat deor.

Tuemur ea, quæ dicta ſunt ab ijs quos probamus. 1.de Finib.

Non tam autoritatis in diſputãdo, quàm rationis momenta quærenda ſunt. Quinetiam obeſt plerunq; ijs qui diſcere volunt, autoritas eorum qui ſe docere profitẽtur. Deſinunt enim ſuum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quẽ probant, iudicatum vident. Nec verò probare ſoleo id quod de Pithagoreis accepimus, quos ferunt, ſiquid affirmarent in diſputãdo, cùm ex eis quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. 1.de Nat deor.

Concepta ſemel opinio vix deponitur. 75

IMpetrari non poteſt, quin quale quidq; videatur ei, talem quiſq; de illo opinionem habeat Cic Bruto.

Difficile eſt mutare animum, & ſiquid eſt penitus inſitum moribus, id ſubitò euellere. Cic. Quintio fratri.

Similitudo & exemplum, homines plurimum permonere ſolent. 76

DVo illa nos maximè mouent, ſimilitudo & exemplum. 3 de Orat.

Quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant homines. C.Seruio Sulp.Famil.4.

Populus. 77

MAximus magiſter, populus. 3.Tuſc.

Populus ſine comparatione probat,

bat, eſſe melius non ſentit: illud quod eſt, qualecunque eſt, probat. De clar. Orat.

Sic eſt vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat. Pro Roſc. Com.

Homines opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri ſolent. Pro lege Manil.

Fama, & multitudinis iudicio mouentur homines, vt id honeſtum putent, quod à pleriſque laudetur. 2. Tuſc.

In imperita multitudine eſt varietas & inconſtantia, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. Pro Domo ſua.

Qui in oculis eſt multitudinis, tamen illius iudicio ſtare nolit: nec quod illa putat, idem putet pulcherrimum. 2. Tuſc.

Nos opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. 2 de Leg.

Plus apud nos ratio valeat, quàm vulgi opinio. 1. Parad.

Grauior & validior eſt decem virorum bonorum ſententia, quàm totius multitudinis imperitæ. Pro Planc.

Non comitijs iudicat ſemper populus, ſed mouetur plerunque gratia, cedit precibus, facit eos, à quibus eſt maximè ambitus: denique ſi iudicat, non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam & quadam etiam temeritate. Non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes ea quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt.

xerunt. Pro Plancio.

Nullum fretum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum. Dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam ſine vlla aperta cauſa fit aliud atque exiſtimamus, vt nonnunquam ita factum eſſe etiam populus admiretur, quaſi verò non ipſe fecerit. Pro Muræna.

Timida eſt. Pro Milone. Ambitio. 71.

Libertas. 78

Libertas, eſt poteſtas viuendi vt velis. Is viuit vt vult, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via conſiderata atque prouiſa eſt: qui ne legibus quidem propter metum paret, ſed eas ſequitur atq; colit, quod ſalutare maximè iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter ac liberè: cuius omnia conſilia, resq; omnes quas gerit, ab ipſo proficiſcuntur, eodemq; feruntur: nec eſt vlla res quæ plus apud eum polleat, quàm ipſius voluntas atq; iudicium. Cui etiam fortuna ipſa cedit. Parad penult.

Liber eſt is æſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. 4 ad Heren.

Libertatis proprium eſt, ſic viuere vt velis. 1. Offic.

Ille mihi non videtur liber, cui mulier imperat, cui lex imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur: qui nihil imperanti negare

gare poteſt, nihil recuſare audet. Si poſcit, dandum eſt: ſi vocat, veniendum: ſi eijcit, abeundum: ſi minatur, extimeſcendum. Parad. penult.

Ita præclara eſt recuperatio libertatis, vt ne mors quidem ſit in repetenda libertate fugienda. Philip. 10

Beſtiæ, quas delectationis cauſa concludimus, cùm copioſius alantur, quàm ſi eſſent liberæ, non facilè tamen patiuntur ſeſe contineri. 5. de Finib.

[Tu plenius vide qui propriè liberi ſunt. Parad. penult.]

Seruitus. 79

SEruitus, eſt obedientia fracti animi & abiecti, arbitrio carentis ſuo. Para. pen.

Omnibus graue ſeruitutis iugum eſſe debet in libertate educatis. Antequam iret in exilium.

Nemini animus bene informatus à natura parere debet, niſi præcipienti aut docenti, aut vtilitatis cauſa, iuſtè & legitimè imperanti, ex quo animi magnitudo exiſtit, humanarumque rerum contemptio. primo Officiorum.

Omnis eſt miſera ſeruitus. Philip. 10.

Nihil eſt fœdius ſeruitute: ad decus & libertatem nati ſumus. Philip. 11.

Cùm omnis ſeruitus eſt miſera, tum verò intolerabile eſt ſeruire impuro, impudico, effœminato. Philip. 3.

Mors, eſt ſeruitute potior. Philip. 10.

Mors ſeruituti, turpitudiniq; anteponenda. 1. Offic.

Exilium.

Exilium. 80

EXilium, eſt ſcelerum pœna. Parad.4. Exilium ibi eſt, vbi virtuti non eſt locus. Pro Milone.

Omnes ſcelerati & impij, quos leges exilio affici volunt, exules ſunt, etſi ſolum nõ mutant. Parad.4.

Exilium terribile eſt ijs, quibus quaſi cõſcriptus eſt habitandi locus, non ijs qui omnem orbem terrarum, vnam vrbem eſſe dicunt. Parad.4.

Si abeſſe à patria miſerum eſt, plenæ miſerorum ſunt prouinciæ, ex quibus admodum pauci in patriam reuertuntur. 5 Tuſ.

Ad omnem rationem Teucri vox accommodari poteſt: Patria eſt, vbicunq; eſt bene. 5.Tuſcu.

Exilium, non ſupplicium eſt, ſed profugium, portuſque ſupplicij: nam qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere aut calamitatem, eò ſolum vertunt, hoc eſt ſedem ac locum mutant: qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent, non prius ciuitatem, quàm vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur ijs ciuitas, ſed ab ijs relinquitur atq; deponitur. Pro Cecin.

Exilium id, quod fit propter alienam, & offenſam populi voluntatem, malum eſt. 1.Tuſcu.

Famæ ſeruiendum. 81

NOn eſt res vlla tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni & ſplendorem & nomen amittas. 3.Offic.

Non eſt negligenda fama: nec mediocre

telum

telum ad res gerendas exiſtimare oportet beneuolentiam ciuium. In Lælio.

Negligere quid de ſe quiſq; ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti 1. Offic.

Perditiſſima ratio eſt diligere formam, negligere famam. 4. ad Heren.

Ex ſententijs omnium noſtra fama pendet. In Piſo.

Eſt hominis ingenui & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris: & futuræ poſt mortem famæ, etiam detracto vſu, conſulẽdum eſt. 3. de Finib.

Bona exiſtimatio pecunijs præſtat. 2. de Oratore.

Antiquior fit poſſeſſionibus gloria. 1. de Diuinat.

Danda eſt diligenter opera, vt hominum aures optimo de nobis ſermone compleantur. Noſtrum.

Veritas. 82

TAntam ſemper potentiam veritas habuit, vt nullis machinis, aut cuiuſquã hominis ingenio aut arte ſubuerti potuerit. Et licèt in cauſis nullum patronum aut defenſorem obtineat, tamen per ſe ipſa defenditur. Ex Orat in Vatin.

O magna vis veritatis, quæ cõtra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias, facilè ſe per ſeipſa defendat Pro M Cælio.

Multorum improbitate depreſſa veritas emergit, & innocentiæ defenſio intercluſa

reſpirat.

reſpirat. Pro Cluentio.

Eſt interdum ita perſpicua veritas, vt eã infirmare nulla res poſſit, tamen eſt adhibenda interdum vis veritati vt eruatur. Pro Quintio.

Homini eſt propria veri inquiſitio atque inueſtigatio. 1.Offic.

Quod verum, ſimplex, ſincerumque eſt, id eſt naturæ hominis accommodatiſſimũ. 1.Officiorum.

Veritas odium parit. In Lælio.

Quæ valeant ad fidem faciendam, & quibus maximè credamus. 83

IN ſuadendo nihil eſt optabilius, quàm dignitas. 2 de Orat.

Genus hoc ſermonum poſitum in hominum veterum autoritate, & eorum illuſtrium, plus neſcio quo pacto videtur habere grauitatis. In Lælio.

Opulentos homines, & ętatis ſpacio probatos, dignos quibus credatur putamus. Non rectè fortaſſe: ſed vulgi opinio vix mutari poteſt. In Topicis.

A quibus verum auditur. 84

PVeritia, ſomnus, imprudentia, vinolentia, inſania, eiuſgeneris ſunt, ex quibus ſæpiſſimè verum auditur. In Topicis.

Multa finguntur, vt ijs tanquam rebus geſtis moueamur. 85

FIt plerunq;, vt ij, qui boni aliquid volunt afferre, effingant aliquid, quò faciant id quod nunciant, lætius. Philip. 1.

Conficta ſunt multa à Poëtis, vt effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſ-

ſamq;

ſamq; imaginem vitæ quotidianæ videremus. Pro Roſc. Amer.

Mendacium. 86

TOllendum eſt ex rebus contrahendis omne mendacium. 3. Offic

In virum bonum non cadit mẽtiri, emolumenti ſui cauſa. 3. Offic.

Cùm iudici. 3. Offic. Vide Iudex. 33.

Nihil eſt turpius vanitate. 1. Offic.

Sordidi putantur qui mercantur à mercatoribus quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. 1. Officiorum.

Mendacio & mendaci nulla fides. 87

QVi ſemel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad periuriũ, quàm ad mendacium perduci cõſueuit. Et quæ pœna à dijs immortalibus periuro, hæc mendaci conſtituta eſt. Non enim ex pactione verborum, quibus iuſiurandum comprehenditur, ſed ex perfidia ac malitia, per quàm inſidiæ tenduntur alicui, dij immortales iraſci ac ſuccensẽre conſuerunt. Pro Roſc. Com.

Vbi quis ſemel peierarit, ei credi poſtea, etiam ſi per plures deos iuret, non conuenit. Pro C. Rab. Poſth.

Non ex libidine aut ſimultate aut leuitate teſtium, cauſæ honeſtorum hominum ponderari debent. Pro Silla.

Ementiuntur ſæpe homines in eos quos oderunt. In Par. Orat.

Si qui ob emolumentum ſuum cupidi aliquid dicere videntur, ijs credere non conue-

conuenit. Pro Font.

Autoritatem nullam debemus, nec fidẽ cõmentitijs rebus adiungere. 2.de Diuin.

Non verbis,ſed facto probamur. 88

OMnis virtus in actione conſiſtit. 1. Officiorum.

Non paranda nobis ſolùm, ſed fruenda etiam ſapientia eſt. 1.de Finib.

Non procacitate linguæ, vitæ ſordes eluuntur. Cic. in Salluſt.

Non ex ſingulis vocibus philoſophi ſpectandi ſunt,ſed ex perpetuitate atque conſtantia: resque ſpectari oportet,non verba. 5. Tuſcu.

Virtus, integritas, probitas in homine, non linguæ volubilitas,non ars, non ſcientia requiri ſolet. Pro Plancio.

Ea magna voluptas eſt,æqualem ac parẽ verbis vitam agere:atq; ita viuere,vt omnis oratio moribus conſonet. Cic in Sal.

Miſera eſt ſenectus,quæ ſe oratione duntaxat defendit. Cato Maior.

Ita viuunt quidam, vt eorum vita refellatur oratio:atq; cæteri exiſtimantur dicere melius,quàm facere, cùm ſit melius facere,quàm dicere. 2. de Finib

Sunt qui cùm populi non ſolùm commoda,verumetiam ſalutem oppugnent & impediant, oratione aſſequi volunt vt populares eſſe videantur. Vt C. Gracchus, cùm largitiones maximas feciſſet, & effudiſſet ærarium,verbis defendebat ærariũ. 3.Tuſ.

Epicurus tãtummodo induit perſonam philoſophi, & ſibi hoc ipſe nomẽ inſcripſit,

cum

cum non multum differret à iudicio ferarum, præſertim cùm omne malum dolore definiat, bonum voluptate. 5.Tuſc.

Cum philoſophorũ vita mirabiliter pugnat oratio. 2.Tuſc.

In philoſophia. Orator. ad Brut. Vide Philoſophia, 17.

Non eſt ſatis iudicare. 1.de Finib. Vide Conſilium rem præcurrat. 27.

Plus in negocijs gerendis res, quàm verba proſunt. 4. Acad.

Sunt facta verbis difficiliora. Cicero ad Quint. fratr.

Eſt alienum viro, quod alteri præceperit, id ipſum facere non poſſe. 3.Offic.

Quid verba audiam, cùm facta videam? 3.Tuſcu.

Qui ſuos caſus aliter ferunt, atque vt alijs autores ipſi fuerunt, non ſunt vitioſiores, quàm ferè plerique, qui auari auaros, gloriæ cupidos glorioſi reprehendunt. 2. Tuſculanarum.

Noli imitari malos medicos, qui in alienis malis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ſe ipſos curare non poſſunt. Sed potius alijs quæ tute præcipere ſoles, ea tibi ſubijce, atque apud animum propone. Seruius Cic. Fam 4

Tu qualis es, talem te eſſe exiſtimes, vt quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate ſeiungas. Deinde vt ea in alterum ne dicas: quæ cùm tibi falsò reſponſa ſint, erubeſcas. Pro Marco Cælio.

Non ætas in homine, ſed virtus conſideranda. 89

NOn cani, non rugæ repentè autoritatem afferre poſſunt, ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus autoritatis præbet extremos. Cato Maior.

Virtutis, quàm ætatis, curſus celerior. Philip. 5.

Sermo & Oratio. 90

VErba inuenta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarẽt voluntatem. Pro A. Cecin.

Interpres mẽtis eſt oratio, verbis diſcrepans, ſententijs congruens. 1. de Leg.

Sermone eo debemus vti, qui notus eſt nobis. 1. Offic.

In primis prouideamus, nè ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus: quod maximè tum ſolet euenire, cùm ſtudioſè de abſentibus detrahendi cauſa, aut per ridiculum, aut ſeuerè, aut maledicè, contumelioſeque dicitur. 1. Offic.

Quoties aliquid aut dicimus aut loquimur, toties de nobis iudicatur. 1. de Orat.

Moderari animo & rationi. Cice ad Q. frat. Vide Appetitus. 51.

Diligentiſſimè linguam continere, mihi virtus interdum non minor videtur, quàm omnino non iraſci. Cicero ad Quintum fratrem.

Idipſum dicere nunquam eſt non ineptum, niſi cùm eſt neceſſarium. 1. de Orat.

Habent ſuum modum quæcunq; opportuna dicuntur. 3. de Finib.

Tacêre noli vbi non oportet. Pro Roſc. Comœd.

Non eſt neceſſe omnium flagitia proferre. Pro Milone.

Sæpe grauius offendunt animos auditorum, qui aliena flagitia apertè dicũt, quàm qui committunt. Cic. in Salluſt.

Homines notiſſimos ſumere odioſum eſt, cùm & illud incertum ſit, velíntne hi ſe ſe nominari. Pro Roſc Amer.

Debemus conſiderare. Orat ad Brut. Vi de Circunſtantia. 122.

Alia eſt ratio. Pro M Cælio. Vide Circunſtantia. 122.

Cauendum eſt, nequid agendo, faciendóve facias, cuius imitatio rideatur. De claris Orator.

Fit neſcio quo pacto. 1. Officior. Vide Aliena & videmus. 146.

Oratio debet eſſe ornatior ſententijs, quàm verbis. Part. Orat.

Non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt. Pro lege Man.

Decôrus eſt ſermo ſenis, quietus, & remiſſus, facitq; perſæpe ſibi audientiam diſerti ſenis compta oratio & mitis. Cato Maior.

Difficile eſt dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque ſermonis. 2. Offic.

[Sermo familiaris quatenus moderandus ſit, lege plenius 1. Offic. cap. Et quoniam, cum ſeq.]

De nobis in neutram partem loquendum. 91

MInimè ſibi quiſque notus eſt, & difficillimè de ſe quiſque iudicare ac ſen

tire poteſt. 3.de Oratore.

Nemo de ſe ſatis honeſtè, ac ſine multorum inuidia loqui poteſt Cic in Vatin.

Vt verecundius ipſi de ſe omnes ſcribãt neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum: & prætereant, ſi quid reprehendendum eſt: accedit etiam vt minor ſit fides, minor autoritas. Cic.L Luceio, Famil.5.

Multis doctrina non deeſt, ſed oratio. 92

FIeri poteſt vt rectè quis ſentiat: & id quòd ſentit, politè eloqui non poſſit. 1. Tuſcu.

Sunt qui ſe ita literis abdiderũt, vt nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aſpectum, lucemque proferre. Pro Arch.Poëta.

Sunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, motuque corporis vaſti atque agreſtes, vt etiamſi ingenijs atque arte valeant, tamen in doctorum numerum venire non poſſint. Sunt autem quidam, ita naturæ muneribus in ijſdem rebus habiles, ita ornati, vt non nati, ſed ab aliquo Deo ficti eſſe videantur. 1.de Oratore.

Siniſtri quidam laudatores. 93

SVnt qui nihil laudant, niſi quod ſe imitari poſſe confidunt. 2.Tuſc.

Nunc tantum quiſque laudat, quantum ſe poſſe ſperat imitari. Orat.ad Brut.

Eſt iniqua, in omni re accuſanda, prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio. 3.de Legib.

Eſt liberum, alterum laudare, de quo, quic-

quicquid detrahas, neceſſe eſt aut infirmitati, aut inuidiæ aſſignetur. Cecin. Ciceroni, Famil. 6

Inuidia. 94

INuidentia, eſt ægritudo ex alterius rebus ſecundis. 3. Tuſc.

Virtutis comes inuidia, plerunq; bonos inſectatur. 4. ad Heren.

Latè patet hoc vitium, & eſt in multis, inuidere ſcilicet. Cic. Appio Pulch Fam. 3.

Mos eſt hominum, vt nolint eundẽ pluribus rebus excellere. De clar. Orat.

Pleriq; ſunt inuidi, maximeque eſt hoc commune vitium & peruagatum: inuidetur autem præſtanti florentique fortunæ. 2. de Orat.

Inuident homines maximè paribus aut inferioribus, cùm ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe: ſed etiam ſuperioribus inuidetur ſæpe vehementer, & eò magis, ſi intolerantius ſe iactant, & æquabilitatem communis iuris, præſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt. 2. de Orat.

In iudicijs inuidia imbecillis eſſe debet: nihilque homini eſt tam timendum, quàm inuidia: nihil innocenti ſuſcepta inuidia, tam optandum, quàm æquum iudicium. Pro Cluentio.

Inuidia ſummus ordo caret. 3. de Leg.

Inuidia, virtute parta, gloria, non inuidia, putanda eſt. 1. Inuect. in Catil.

Ira. 95

IRa (vt inquit Ennius) eſt initium inſaniæ. 4.

Prohibenda eſt maximè ira in puniendo. Nunquam enim iratus,qui accedet ad pœnam,mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum:cauēdum eſt igitur nè maior ſit pœna,quàm culpa. 1.Offic.

Omnis animaduerſio & caſtigatio, contumelia vacare debet. 1.Offic.

Monitio acerbitate, & obiurgatio contumelia careat. In Lælio.

Non ſunt audiendi qui grauiter iraſcendum inimicis putant. 1.Offic.

Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt neceſſariæ, in quibus vtendum eſt fortaſſe & vocis contentione maiore,& verborum grauitate acriore, atque etiam illud ipſum quod acerbitatis habet obiurgatio, ſignificandum eſt ipſius id cauſa, qui obiurgetur, ſuſceptum eſſe. Id agendum etiam eſt,vt ne ea facere videamur irati: ſed vt ad vrendum & ſecandum,ſic ad hoc genus caſtigandi rarò, inuitique veniemus: nec vnquam niſi neceſſariò, ſi nulla reperiretur alia medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. 1.Offic.

Semper ira procul abſit, cum qua nihil rectè, nihil conſideratè fieri poteſt. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, neque ijs qui adſunt,probari. 1.Offic.

Proprium eſt irati,cupere à quo læſus videatur, ei quàm maximum dolorem inurere. 5.Offic.

Non eſt in noſtra poteſtate, fodicantibus

ijs rebus, quas malas eſſe opinamur, diſſimulatio vel opinio. 3. Tuſc.

Difficile eſt tacêre, cùm doleas. Pro Silla.

Omnes læſi dolent, irati efferuntur. Pro Marc. Cælio.

Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac boni viri difficillimè poſſunt. Ex 5. act. in Verr.

Doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dat & tribuit. Ad Attic. lib. 4.

Leuiora ſunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ præmeditata atque præparata inferuntur. 1. Offic.

[*Tu plura in eo libro, quæ ad hanc ſententiã pertinent, leges.*]

Timor, & Metus. 96

RErum omnium nec aptius eſt quicquam. 2. Offic. Vide Amicitia, 67.

Carum eſſe ciuem, Phil. 1. Vide Amic. 67

Beneuolentiæ vis eſt maxima, metus imbecillis. 2. Offic.

Nulla vis imperij tanta eſt, quę premente metu poſſit eſſe diuturna. 2. Offic.

Multorum odijs nullæ opes poſſunt obſiſtere. 2. Offic.

Quem metuunt, oderunt: quem quiſq; odit, perijſſe expetit. 2. Offic.

Oderunt, dum metuunt. Philip. 1.

Timor, non diuturni magiſter eſt officij. Philip. 2.

Malus eſt cuſtos diuturnitatis, metus: cõtraq;, beneuolentia fidelis eſt ad perpetuitatem: id igitur amplectamur, vt metus abſit, caritas retineatur. 2. Offic.

Millies perire eſt melius, quàm in ſua ciuitate ſine armorum præſidio non poſſe viuere: præſidium caritate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis. Philip 2.

[*Tu pleniſſimè ſecundo Officior. cap. Rerum autem omnium.*]

Grauior eſt plerunq; metus, & grauius afficit, quàm res ipſa quæ timetur. 97

PLus in metuendo eſt mali, quàm in eo ipſo quod timetur. Cice.A.Torq. Famil.lib.6.

Maior eſt ea vis, quę periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco ſæpe, & certo de ſtatu dimouet, quàm quæ ad corpus noſtrum, vitamq; peruenit. Itaq; saucij ſæpe homines cùm corpore debilitantur, animo tamen non cedũt, neq; eum relinquunt locum, quem ſtatuerunt defendere. Atq; alij pelluntur integri: vt non dubium ſit quin maior adhibita vis ei ſit, cuius animus ſit perterritus, quàm illi, cuius corpus vulneratum ſit. Pro A.Cecin.

Exercitus maximi ſæpe pulſi ac fugati ſunt terrore ipſo, impetuq́ue hoſtium, ſine cuiuſquam nõ modò morte, verùm etiam vulnere. Pro Cecin.

Magna eſt ſtultitia, id ipſum quod vereare, ita cauêre, vt cùm vitare fortaſſe potueris, vltrò accerſas & attrahas Cic.Bruto.

Omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant quid poſſit is, cuius in ditione ac poteſtate ſunt, quàm quid debeat facere Pro lege Manil.

Nos

Nos omnia tum venientia metu augentes, tum mœrore præſentia, rerum naturã, quàm errorem noſtrum damnare malumus. 5. Tuſc.

Quod futurum eſt, vitari non poteſt. 98

EFfugere nemo poteſt quod futurũ eſt. Et ſæpe vtile eſt non ſcire quod futurum ſit. Miſerum eſt enim nihil proficientem angi. 3. de Nat deor.

Nihil eſt pro certo futurum, quod poſſit aliqua procuratione accidere, nè fiat. 2. de Diuin.

Factum, infectum eſſe non poteſt. 99

QVod ſemel iam miſſum eſt, coërceri reprimiq; non poteſt. 1. de Finib.

Præterita mutare non poſſumus. In Piſonem.

Non poteſt dies eſſe ſæpius, qui ſemel fuit. 2. de Finib.

De præteritis non eſt quærendum. Cic. Curioni, Famil. lib. 7.

Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt. 100

ETſi optabilius eſt vitæ curſum conficere ſine dolore & iniuria, tamẽ ad immortalitatem gloriæ, plus adfert deſideratum eſſe à ſuis ciuibus, quàm omnino nunquam fuiſſe violatum. Pro domo ſua.

Habet præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. Cic. Luceio, Fam. lib. 5.

Iucunda eſt memoria præteritorum malorum. 2. de Finib.

Suauis eſt præteritorum malorum memoria. 2. de Finib.

Iucundi ſunt acti labores. 2.de Finib.
Non tam cumulus bonorũ iucũdus eſſe poteſt, quàm moleſta deceſſio. 1.Tuſc.

Vllum vix laborem ſubimus, niſi propoſita præmio, aut gloria. 101

NEmo noſtrum in Reipublicæ periculis cũ laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis, fructuque ducatur. Pro Caio Rabir.

Vix inuenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculisq; aditis, non quaſi mercedẽ rerũ geſtarum deſideret gloriam 1.Offic.

Pro ſua patria pauci poſt genus hominum nati reperti ſunt, qui nullis præmijs propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis objicerent. Pro Caio Rabir.

Omnes vtilitate mouentur. 102.

OMnes expetimus vtilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter vllo modo poſſumus. Nám quis eſt qui vtilia fugiat? aut quis potius, qui ea non ſtudioſiſſimè perſequatur. 3.Offic.

Cùm aliqua ſpecies vtilitatis obiecta eſt, nos commoueri neceſſe eſt. 3.Offic.

Nemo eſt quin putet expetendã maximè dignitatem, ſed vincit vtilitas plerũq; , cùm ſubeſt ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem poſſe retineri. 2.de Orat.

Cùm vtilitas ad ſe rapere, honeſtas contrà reuocare ad ſe videtur; fit vt diſtrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. 1.Offic.

Hæc res plus proficit, ſi proponatur ſpes vtilitatis futuræ, quàm præteriti beneficij recor-

recordatio. 2. de Orator.

Alterum ne læſeris, tibi vt proſis. 103

QVi alteri exitium parat, Eum ſcire oportet ſibi paratam peſtem, vt participet parem. 2.Tuſc.

Quod cuiq; obtigerit, id quiſq; teneat: eo ſi quis plus appetet, violabit ius humanæ ſocietatis. 1.Offic.

Animaduertamus, cùm alios iuuare velimus, ne quos offendamus. Sæpe enim aut eos lædimus, quos non debemus, aut eos quos non expedit. Si imprudenter, negligentiæ eſt: ſi ſcienter, temeritatis. 2.Offic.

Res familiaris quæri debet ijs rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſeruari autem diligentia & parſimonia, ijſdē etiam rebus augeri. 2.Offic.

Noſtræ vtilitates nobis omittendæ non ſunt, alijſque tradendæ, cùm ijs ipſis egeamus: ſed ſuæ cuiq; vtilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt. 2.Offic.

Alienum eſt à iuſtitia, ad quam nati eſſe videmur, detrahere quid de aliquo, quod ſibi aſſumat. 3.de Finib.

Non eſt permiſſum, vt impunè nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. 4.Act.in Verr.

Vt ſi vnumquodque membrum. 3.Offi. In Similib.5.

Suum cuiq; incommodum ferendum eſt potius, quàm de alterius commodis detrahendum. 3.Offic.

Rei familiaris amplificatio nemini nocens, non eſt vituperāda, ſed fugienda ſem-

per iniuria. Sed detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo, ſuum augere commodum, magis eſt contra naturã, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Illud enim natura nõ patitur, vt aliorum ſpolijs noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neq; verò hoc ſolùm natura, id eſt iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpublicæ continentur eodem modo conſtitutum eſt, Vt non liceat ſui cõmodi cauſa, nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe ciuium coniunctionem. 3. Offic.

[Tu pleniſſimè leges tertio Officior. quatenus commodis proprijs ſit inſeruiendum.]

Promiſſa ſeruanda. 104

PActa ſemper & promiſſa ſeruãda ſunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta ſunt: illi ſeruanda non ſunt, quæ non ſunt ijs ipſis vtilia, quibus illa promiſeris. 3. Offic.

Illis promiſſis ſtandum non eſt, quæ coactus quis metu aut deceptus dolo promiſerit. 1. Offic.

Promiſſa non ſunt ſeruanda ijs quibus promiſeris, inutilia ſi ſint: nec ſi tibi plus noceant, quàm illi proſint cui promiſeris. 1. Officior.

Scelerum promiſſio, & ijs qui expectant perniciosa eſt, & ijs qui promittunt. Phil. 8.

Semper in fide quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum eſt. 1. Offic.

Quod affirmatiuè, quaſi Deo teſte promiſeris,

miſeris, id tenendum eſt. 1. Officior.

Quod ex animi tui ſententia iuraueris, id non facere periurium eſt. 3. Offic.

Quod ita iuratum eſt, vt mens conciperet fieri oportere, id ſeruandum eſt: aliter ſi non feceris, nullum periurium eſt 3. Offic.

Conſcientia. 105

Conſcientiæ graue pondus. 3. de Natura Deorum.

Nullum theatrum virtuti cõſcientia maius eſt. 2. Tuſc.

Conſcientiam à dijs immortalibus accepimus, quæ à nobis auelli non poteſt. Pro Cluentio.

Si optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita nobis conſcientia fuerit, ſine vllo metu ſumma cum honeſtate viuemus. Pro Cluent.

Conſcientia rectæ voluntatis, maxima conſolatio eſt rerum incommodarum. Cicero A. Torq. Famil. lib. 6.

Vacare culpa, maximum eſt ſolatium. Cic. M. Mario Famil. 7.

Nihil eſt melius, quàm memoria rectè factorum, & libertate contentum, negligere humana. Cic. Bruto.

Conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, iucundiſſima eſt. Cato Maior.

Magna eſt vis conſcientiæ in vtranque partem, vt neq; timeant qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccarint. Pro Milone.

Ego ſemper hac opinione tractus fui, vt

eum

eum qui nihil commiſerit, ſibi nullam pœnam timêre exiſtimarem. In Vatin.

Bonum. 106

QVod rectum & honeſtum & cum virtute eſt, id ſolùm opinor bonum. Parad. 1.

Tria ſunt genera bonorum: maxima, animi: ſecũda, corporis: externa, tertia. 3. Tuſc.

Alia ſunt in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinſecus, aut corpori, non habent in ſe veram laudem, quæ deberi vni ſolùm virtuti putatur, ſed tantùm quòd ipſa virtus in earum rerum vſu ac moderatione maximè cernitur. 2. de Orat.

Nihil bonum, niſi quod honeſtum: nihil malum, niſi quod turpe. Cic Attic. libr. 10.

Quicquid eſt quod bonũ ſit, id expetendum eſt: quod autem expetendum, id certè approbandũ: quod verò approbaris, id gratum, acceptumq; habendum. 5. Tuſc.

Non ſunt dicenda bona illa, quibus abũdantem licet eſſe miſerrimum. Parad. 1.

Bona non ſunt, quę quis habeat, & miſerrimus eſſe poſſit. 5. Tuſc.

Nec bonum eſt illud, quod aut cupias ardenter, aut adeptus, te efferas inſolenter. 4. Tuſcu.

Diuitias, quia quiuis, quamuis indignus, habere poteſt, in bonis non numero. 2. Tuſculanarum.

Neq; pecuniæ, neq; tecta magnifica, neque opes, neq; imperia, neq; eæ quibus maximè

ximè aſtricti ſint, voluptates, in bonis rebus aut expetendis numerandę ſunt, quippe homines ijs rebus affluentes, ea deſiderãt maximè quibus abundant. Parad. 1.

Bias. Parad. In Apophth. 65.

[*Plura primo Academicarum, tertio Tuſculanarum, primo Parad. & in lib. de Finib. bonorum & malorum legere potes.*]

Vir bonus. 107.

VIr bonus eſt, qui prodeſt quibus poteſt, nocet autem nemini. 3. Offic.

Vir bonus non modò facere, ſed ne cogitare quidem quicquã audebit, quod non audeat prædicare. 3. Offic.

Homo frugi, omnia rectè facit. 4. Tuſc.

Fas nec eſt, nec vnquam fuit, quicquam, niſi pulcherrimum, facere eum qui eſſet optimus. 3. Offic.

Vir bonus, nihil cuiquã, quod in ſe tranſferat, detrahet. Itaq; in virum bonum non cadit mentiri, emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere. De Vniuer.

Non eſt res vlla tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni & ſplendorem & nomen amittas. 3. Offic.

Neque contra Remp. 3. Offic. Vide de Iudice, 35.

Probus inuidet nemini. De Vniuerſ.

Vtquiſque eſt vir optimus, ita difficillimè eſſe alios improbos ſuſpicatur. Cic. ad Quint. fratr.

Omnes boni, beati. 3. de Finib.

Cùm ſapiens, & bonus vir. 5. Tuſc. De Sapientia. 13.

Nec

Nec bono quicquam mali euenire poteſt, nec viuo, nec mortuo: nec vnquam eius res à dijs immortalibus negligentur. 5. Tuſcu.

Qui omnibus bonis inſtructi ſunt & ornati, tum ſapientes, tum viri boni dicuntur 5 Tuſc.

Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, impij ſæpe paruo. Pro Milone.

Sancti viri, & religionem colentes, ſunt qui meritum dijs immortalibus, gratiam iuſtis honoribus & meritis & memori mente perſoluunt. Pro Planc.

Omnes viri boni æquitaté & ius ipſum amant. Nec eſt viri boni errare, & diligere quod per ſe non ſit diligendum & colendum. 1. de Legib.

Nemo eſt omnino negligendus, in quo aliqua virtutis ſignificatio appareat. 1. Offi.

Beatus. 108

BEatus eſſe ſine virtute nemo poteſt. 1. de Nat. deor.

Tunc erimus beati. 1. Tuſcula. In pijs Sententijs 66.

Is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut minus lætabile ad efferendum videri poteſt. 4. Tuſc.

Beati dicuntur, qui ſunt in bonis, nullo adiuncto malo. 5. Tuſc.

Beati ſunt, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines excedunt, nullæ libidines cruciant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciūt voluptatibus. 5. Tuſc.

Vir

Vir temperans, conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine alacritate vlla, ſine libidine, is eſt beatus. 5. Tuſc.

Nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe vno ſua ponit omnia. Cui autem ſpes omnis & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihilque quod exploratum habeat, permanſurum ſibi, ne vnum quidem diem. In Parad.

Niſi ſtabili & fixo & permanente bono beatus eſſe nemo poteſt: nihil enim inueteraſcere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, quæ in vita beata conſiſtunt. Nam qui timebit ne quid ex his deperdat, beatus eſſe non poterit. 5. Tuſc.

Qui beatus eſt, non intelligo quid requirat vt ſit beatior, ſi eſt enim quiddam quod deſit, ne beatus quidem eſt. 5. Tuſc.

Beatus eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt. Nemo igitur eſſe beatus poteſt: neq; enim in aliqua parte, ſed in perpetuitate temporis vita beata duci ſolet. Nec appellatur omnino vita beata, niſi confecta atque abſoluta: nec enim poteſt aliâs quiſquam beatus eſſe, aliâs miſer. Qui enim exiſtimabit poſſe ſe miſerum eſſe, beatus non erit. Nam cùm ſemel eſt ſuſcepta beata vita, tam permanet, quàm ipſa illa effectrix beatæ vitæ ſapientia, nec expectat vltimum tempus ætatis, quod Crœſo ſcribit Herodotus præceptum eſſe à Solone. 2. de Finibus.

Eſt verè fortunatus ille, cuius ex ſalute

non minor penè ad omnes, quàm ad illum, cui ventura ſit lætitia, peruenerit. Pro M. Marcio.

Omne beatum eſt, cui nihil deeſt: & quod in ſuo genere expletum atque cumulatum eſt: idq́ue virtutis eſt proprium. 5. Tuſculanarum.

[*Reliqua tu lege ſecundo Parado. & Tuſculanarum libro quinto.*]

Miſer. 109

PRæſtans valetudine, viribus, forma, acerrimis, integerrimisq́; ſenſibus, etiam ſi libet, velocitatem da, diuitias, honores, imperia, opes, gloriam: ſi fuerit is qui hæc habeat, iniuſtus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo, is erit profectò miſerrimus. 5. Tuſc.

Beatus eſt nemo, qui ea lege viuit, vt nō modò impunè, ſed etiam cū ſumma interfectoris gloria interfici poſſit. Philip. 1.

Cui vita poteſt eſſe vtilis, cùm eius vitæ conditio ſit, vt qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit, & gloria? 3. Officiorum.

Ita viuere, vt non ſit viuēndum, miſerrimum eſt. Cic. Caio Mario, Fam. 7.

Impÿ ſemper cruciantur. 110

SVa quenque fraus, & ſuus error maximè vexat, ſuum quenque ſcelus agitat, amentiaq́; afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæq́; animi terrent. Hæ ſunt impijs aſſiduæ, domeſticæq́ue furiæ, quæ dies noctesq́; pœnas à ſceleratiſſimis repetunt. Pro Roſc. Amer.

Suæ quenque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. In Piſonem.

Non ob ea ſolùm incommoda, quæ eueniunt improbis, fugienda improbitas eſt: ſed multò etiam magis, quòd cuius in animo verſatur, nũquam ſinit eum reſpirare, nunquam acquieſcere. 1. de Finib.

Si qui ſatis opibus hominum contra conſcientiam ſepti eſſe & muniti videntur, deorum tamen numen horrent, easq; ipſas ſolicitudines, quibus eorum animi noctesque diesque exeduntur, à dijs immortalibus ſupplicij cauſa importari putant. 1. de Finibus.

Morte, dolore corporis, aut luctu animi, aut offenſione iudicij, hominum miſerias ponderamus, quæ fateor humana eſſe, & multis bonis viris accidiſſe. Sceleris etiam pœna triſtis: & præter eos euentus qui ſequuntur, per ſe ipſa maxima eſt. 2. de Legibus.

Animi conſcientia improbi cruciantur, tum etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu, ne afficiantur aliquando. 2 de Finib.

Si impietas improbè molita quidpiam eſt, quamuis occultè fecerit, nunquam tamen confidet id ſemper fore occultum. Plerunque enim improborum facta primò ſuſpitio inſequitur: deinde ſermo atque fama: tum accuſator: tum iudex: multi etiam ipſi ſe indicant. 1. de Finib.

Omnibus quorum mens abhorret à ra-

tione,

tione,ſemper aliquis talis terror impendet. 4.Tuſcu.

Eorum animi qui ſe corporis voluptatibus dediderunt. Som.Scip. In pijs Sententijs.61.

Improbo nemini bene poteſt eſſe. Paradox.2.

Impij pœnas luũt,non tam iudicijs (quæ quondam nuſquam erant,hodie multifariã nulla ſunt) quàm angore conſcientiæ, fraudisq́; cruciatu. 1.de Legib.

Impijs apud inferos ſunt pœnæ præparatæ. 2.de Inuent.

Impij apud inferos pœnas luunt. Phili. 14. In pijs Sentent.76.

[Tu pleniſſimè leges Parad. ſecundo, quibus curis ſcelerati conficiantur.]

Sceleratorum & latronum beneficium. 111

NVllum eſt aliud latronum beneficiũ, niſi vt commemorare poſſint, ijs ſe vitam dediſſe quibus non ademerint. Phil.2.

Impius meritò, & Tirannus iure percuti, occidiq́; poſſunt. 112

INſidiatori & latroni non poteſt afferri iniuſta nex. Pro Milone.

Non ſe obſtrinxit ſcelere, ſiquis tirannũ occidit,quamuis familiarem. 3.Offic.

Quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eum ex numero hominum eijciendum, ex finibus humanæ naturæ cenſeo exterminandum. Philip.13.

Nulla nobis cum tirannis ſocietas eſt, ſed ſumma potius diſtractio: neq; eſt con-

tra naturam ſpoliare eum, quem honeſtum eſt necare. 5. Tuſc.

Corrupti mores. 113

A Multis ipſa virtus contemnitur, & vẽditatio quædam, atque oſtentatio eſſe dicitur. Philip. 13.

Iuſtitia vacillat, vel iacet potius: omneſq; hæ virtutes, quę in cõmunitate cernuntur, & in ſocietate generis humani. 3. Offic.

Virtuti & gloriæ maximè inuideri ſolet. 2 de Orat.

Iam pudori, probitati, virtuti, rectis ſtudijs, bonis artibus nihil eſt loci. Cic. Titio, Famil. 5.

Eſt huius ſęculi labes quædam & macula, virtuti inuidere, velle ipſum florem dignitatis effringere. Pro Cor. Balbo.

Durior eſt conditio ſpectatæ virtutis, quàm incognitæ. Bru. Cic.

Cuius eſt ſpectata multis, magniſq; rebus ſingularis integritas, minus admirabilem facit honeſtiſſimi facti gloriam. Phil. 3.

Sapiẽtia & magnitudo animi, qua omnes res humanæ geruntur, tenues, & pro nihilo putantur. 2. de Orat.

Videmus quanta ſit in inuidia, quantoq; in odio apud quoſdam homines nobiles, nouorum hominum virtus & induſtria, ſi tantulum oculos deiecerimus, præſto eſſe inſidias: ſi vllum locum aperuerimus ſuſpitioni aut crimini, accipiendum eſſe ſtatim vulnus, eſſe nobis ſemper vigilandnm, ſemper laborandum videmus. Inimicitiæ ſunt? ſubeantur: labores? ſuſcipiantur: etenim ta

citæ

citæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quàm indictæ & apertæ. Hominum nobilium non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ fauet: nullis noſtris officijs beneuolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi natura & genere diſiuncti ſint, ita diffident à nobis animo ac voluntate. ſeptima act. in Verrem.

Vigilandum eſt ſemper: multæ inſidiæ ſunt bonis Pro Planc

Ad multorum amicitiam faciliorem aditum habet nequitia & audacia, quàm cuiuſquam virtus & integritas. 3 act. in Verr.

Quis eſt qui inopis & optimi viri cauſæ non anteponat in opera danda gratiam fortunati & potentis? A quo enim expectatur, & celerior remuneratio fore videtur, in eum ferè eſt voluntas noſtra propenſior. 2. Offic.

Fraudis atq; inſidiarum & perfidiæ plena ſunt omnia. De pet. conſ.

Largitione corrupta ſunt ſuffragia. 3. de Legibus.

Ingentes diuitiæ. 2. act. in Verr. Vide Iudex, 35.

Malè ſe res habet, cùm id quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. 2. Offic.

Qui opibus plus valent, etiam autoritate plus poſſunt. Cic. Lentulo, Fam. 1.

Hoc tempore obſequium amicos, veritas odium parit. In Lælio.

Omnes qui in paupertate ſunt, malunt maleficio parare diuitias, quàm officio paupertatem tueri. 2. ad Heren.

Qui

Qui pauperes ſunt, ijs antiquior officio pecunia eſt. 1.de Inuent.

Sunt homines qui rationem bono conſilio à dijs immortalibus datam, in fraudem, malitiamq; conuertunt. 3.de Nat deor.

Sunt homines quos libidinis, infamiæq; ſuæ neq; tædeat, neq; pudeat: qui quaſi de induſtria in odium, offenſionemque populi irruere videantur. 2.act.in Verr.

Sunt quidam non re, ſed nominè homines. 1.Offic.

O ſuperbiam inauditam, in facinore glòriari. Cic.Bruto, Fam.11.

Eſt in quibuſdam tanta peruerſitas, vt inuentis frugibus, glande veſcantur. Orat. ad Brut.

Quidam habent aures tam inhumanas, tamque agreſtes, vt ne doctiſſimorum quidem virorum eos mouêre poſſit autoritas. Orat. ad Brut.

Conſuetudo. 114

MAxima eſt vis vetuſtatis & conſuetudinis, non modò in hoc quod eſt animal, ſed in ijs etiã, quæ ſunt in animo, conſuetudo valet, cùm locis etiam ipſis montuoſis delectemur & ſilueſtribus, in quibus diutius commorati ſumus. In Lælio.

Conſuetudinis magna eſt vis: pernoctant venatores in niue, in montibus vri ſe patiuntur. 2.Tuſc.

Conſuetudo laborum, perpeſſionem dolorum efficit faciliorem. Nam ferre laborẽ, contemnere vulnus, conſuetudo docet. 2.Tuſculanarum.

Qui multa ſunt ſæpe perpeſſi, facilius ferunt quicquid accidit, obduruiſſeque ſeſe contra fortunas arbitrantur. Vt ille apud Euripidem,

Si mihi nunc triſtis primùm illuxiſſet dies,
Nec tam ærumnoſo nauigaſſem ſalo:
Eſſet dolendi cauſa, vt iniecto equulei
Fræno, repente tactu exagitantur nouo.
Sed iam ſubiectus miſerijs obtorpui.

3. Tuſculanarum.

Corruptela malæ conſuetudinis, igniculi extinguuntur à natura dati, exoriunturque & confirmantur vitia contraria. 1. de Legibus.

Non ingenerantur hominibus mores tã à ſtirpe generis & ſeminis, quàm ex ijs rebus quæ ab ipſa natura loci, & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur. De Leg. Agr. ad pop. contra Rul.

O conſuetudo peccandi, quãtam habes iucunditatem in improbis & audacibus, cùm pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt. 5. in Verr.

Magna eſt illecebra peccandi, impunitatis ſpes. Pro Milone.

Conſuetudo peccandi, maleficij ſuſcipiẽdi remouet dubitationem. 2. ad Heren.

Quotuſquiſq; reperitur, qui impunitate & ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſſit iniuria? 3. Offic.

Omnes religione mouentur, & deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur. 6. act. in Verr.

Repentina

Repentina grauiora. 115

VIdentur omnia repentina grauiora. Nam præmeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum, quæ venientia longè antè videris. 3.Tuſc.

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem viro. 3.Tuſc. In Apopht 129.

Non eſt dubium quin omnia quæ mala putentur, ſint improuiſa grauiora. 3 Tuſc.

Quoniam multum poteſt animi prouiſio & præparatio ad minuendum dolorem, ſint ſemper omnia homini humana præmeditata. 3.Tuſc.

Quod poſſit accidere, diu cogitare oportet: hæc cogitatio vna maximè omnes moleſtias extenuat & diluit 3.Tuſc.

Hoſtium repentinus aduentus, magis aliquanto conturbat, quàm expectatus: & maris ſubita tempeſtas, quàm antè prouiſa, terret nauigantes vehementius. 3.Tuſ.

[*Tu plura tertio Tuſc. legere potes.*]

Sæpe bonum eſt ignorare quid futurum eſt. 116

SAepe vtile eſt non ſcire quid futurum ſit: miſerum eſt enim nihil proficientem angi. 3.de Nat.deor.

At hoc ne homines quidem probi faciūt, vt amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi nullo modo effugere poſſint. 2.de Diuin.

Rem, carendo magis, quàm fruendo, quòd valeat, cognoſcimus. 117

GRauitas morbi facit vt medicinæ egeamus: eaque nunc appareat, cuius

vim non ſentiebamus cùm valebamus. Cicer. Varroni, Famil. 9.

Amicitię, cõſuetudines, vicinitates, quid habeant voluptatis, carendo magis intelligimus, quàm fruendo. Ad Quir. poſt red.

Homo. 118

HOmines mortales ſunt. 1. de Nat deo. Omnia aliorum cauſa ſunt generata, vt fruges atque fructus, quos terra gignit animantium cauſa: animantes autem hominum, vt equum, vehendi cauſa, arandi bouem, venandi & cuſtodiendi canem. Ipſe autem homo ortus eſt ad mundum contemplandum & imitandum. 2. de Natura deorum.

Homines hominum cauſa ſunt generati, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſent. 1. Offic.

Proximè & ſecundùm Deum, homines hominibus maximè vtiles eſſe poſſunt. 2. Officiorum.

Hoc natura pręſcribit, vt homo homini, quicunq; ſit, ob eam ipſam cauſam tantum quòd is homo ſit, conſultum velit. 3. Offic.

Sic nos nati videmur, vt inter omnes eſſet ſocietas quædam. In Lælio.

Homo naturæ obediens, homini nocere non poteſt. 3. Offic.

Oportet hominem ab homine, ob hoc ipſum quòd homo ſit, non alienum videri. 3. de Finib.

Impellimur natura, vt prodeſſe velimus quàm plurimis, in primiſq; docendo rationibuſq; prudentiæ tradendis. Itaque non

facile

facile eſt inuenire,qui quod ſciat ipſe, non tradat alteri. Ita non ſolùm ad diſcendum propenſi ſumus, verùm etiam ad docendum. 2. de Finib.

Vt magnas vtilitates adipiſcimur conſpiratione hominum atque conſenſu: ſic nulla tam deteſtabilis peſtis, quæ non homini ab homine naſcatur. 2. Offic.

Duplex eſt natura generis humani, ſed præſtantius genus eſt eorum qui ſunt viri. De Vniuerſi.

Hominum duo ſunt genera: alterum indoctum & agreſte, quod antefert ſemper vtilitatem honeſtati: alterum expolitũ, quod rebus omnibus dignitatem anteponit. Itaq; huic generi, laus, honos, gloria, fides, iuſtitia, omniſq; virtus: illi autem alteri, quæſtus, emolumentum, fructuſq; proponitur, atque etiam voluptas, quæ eſt maximè inimica virtuti, boniq; naturam fallaciter imitando adulterat: quam immaniſſimus quiſque acerrimè ſequitur, neque ſolùm honeſtis rebus, ſed etiam neceſſarijs anteponit. In Part. Orat.

Hoc ſolùm animal homo natum eſt, pudoris ac verecundiæ particeps, appetens coniunctionem hominum ac ſocietatem, animaduertenſq; in omnibus rebus quas ageret aut diceret, nequid ab eo fieret, niſi honeſtè & decorè. 4 de Finib.

Nihil eſt vnum vni tam ſimile, tam par, quàm oẽs inter noſmetipſos ſumus. Quòd ſi deprauatio cõſuetudinum, ſi opinionum varietas non imbecillitatem animorũ tor-

queret & flecteret quocunque cœpiſſet: ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quàm omnes eſſent omnium. Itaque quæcunq; eſt homi nis definitio, vna in omnes valet: quod argumenti ſatis eſt, nullam diſſimilitudinem eſſe in genere: quæ ſi eſſet, non vna omnes definitio contineret. 1. de Legib.

Homini natura præſcripſit, vt nihil pulchrius, quàm hominem putaret: eſt enim vis tanta naturæ, vt homo nemo velit niſi hominis ſimilis eſſe, & quidem formica formicæ. 1. de Oat. deor.

Omnium animantium formã vincit hominis figura. 1. de Nat. deor.

Nullum eſt animal prçter hominẽ, quod habeat aliquam notitiam Dei. 1. de Leg.

Eſt homini cum Deo rationis ſocietas. 1. de Legib.

Deus, animal vnum ſpectabile hominẽ, in quo omnia animalia contineret, effecit. De Vniuerſ.

Sunt ex terra homines, non vt incolæ atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atq; cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Senſus autem interpretes ac nuncij rerum, in capite tanquam in arce, mirificè ad vſus neceſſarios & facti & collocati ſunt. Nam oculi tãquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes fungantur ſuo munere. Et aures cùm ſonum percipere debeãt, qui natura in ſublime fertur, rectè in altis corporum partibus collocatæ ſunt. Itemque

nares,

nares, eò quòd omnis odor ad ſupera fertur, rectè ſurſum ſunt: & quòd cibi & potionis iudicium magnum earum eſt, non ſine cauſa vicinitatem oris ſecutæ ſunt. Iam guſtatus, qui ſentire eorum quibus veſcimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, quam eſculentis & poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fuſus eſt, vt omnes ictus, omnesq; nimios & frigoris & caloris appulſus ſentire poſſimus. Atque vt in ædificijs architecti auertunt ab oculis naribusque dominorum ea quæ profluentia neceſſariò tetri eſſent aliquid habitura, ſic natura res ſimiles procul amandauit à ſenſibus. Adde quòd ipſa natura primùm oculos membranis tenuiſſimis veſtiuit & ſepſit, quas primùm perlucidas fecit, vt per eas cerni poſſet: firmas autem, vt continerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, vt declinarent ſi quid nocêret, & aſpectum quò vellent, facilè conuerterent. Naſus ita locatus eſt, vt quaſi murus oculis interiectus eſſe videatur. Auditus autem ſemper patet: eius enim ſenſu etiam dormientes egemus: à quo cùm ſonus eſt acceptus, etiam à ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet nequid intrare poſſit, ſi ſimplex & directum pateret. Prouiſum etiam, vt ſi qua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium tanquam in viſco inhæreſceret. Quàm verò aptas manus, quamq; multarum rerum miniſtras natura homini dedit? &c. 2. de Nat. deor.

Principio corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quæ formam noſtram, reliquamq; figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in próptu: quæ autē partes corporis ad naturæ neceſſitatem datę, aſpectum eſſent deformem, habituræ atq; formam, eas contexit atq; abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominū verecundia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis, ipſiq; neceſſitati dant operam, vt quàm occultiſſimè pareant: quarumque partium corporis vſus ſunt neceſſarij, eas neq; partes, neque earū vſus ſuis nominibus appellant: quodque facere turpe non eſt, modo occultè, id dicere, obſcœnum eſt. 1. Offic.

Ipſum hominem eadem natura non ſolùm celebritate mētis ornauit, ſed & ſenſus tanquam ſatellites attribuit ac nuncios, & rerum plurimarum obſcuras & neceſſarias intelligentias enudauit, quaſi fundamentá quædam ſcientiæ: figuramque corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cùm cæteras animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit: & ad cœli, quaſi cognationis, domicilijq; priſtini conſpectum, excitauit. Tum ſpeciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret. Et oculi quemadmodum animo affecti ſumus, loquuntur: & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe, præter hominem, poteſt, indicat mores. 1. de Legib.

Natura

Natura corpus hominis ſic formauit & genuit, vt alia in primo ortu perficeret, alia progrediente ætate fingeret: neq; ſanè multum adiumentis externis & aduentitijs vteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit, vt corpus: ſenſibus enim ornauit ad res percipiendas idoneis, vt nihil aut nõ multùm adiumento vllo ad ſuam confirmationem indigeret. 5. de Finib.

Parui primo ortu ſic iacent, tanquam omnino ſinę animo ſint. Cùm autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo vtuntur & ſenſibus, conituntur que vt ſeſe erigant, & manibus vtuntur, & eos cognoſcunt à quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenterq; ſe cum his congregant, dantque ſe ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur: denique eo quod ipſis ſuperat, alijs gratificari volunt, animaduertuntq; ea quæ domi fiunt curioſius, incipiuntq; commentari aliquid & diſcere; & eorum quos vident, volunt non ignorare nomina: quibusq; rebus cum æqualibus decertant, ſi vincunt, efferunt ſe lætitia: victi debilitantur, animosq; demittunt. 5. de Finib.

Pueri efferuntur lætitia cum vicerint, & pudet victos: vt ſe accuſari nolunt. &c. 5. de Finib. Vide Gloria, 41.

Semper in promptu habere debemus, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque beſtijs antecellat. Illæ enim nihil ſentiunt niſi voluptatem, ad eamq; ferũtur toto impetu. Hominis autem mens diſcen-

do alitur, & cogitando ſemper aliquid, aut inquirit, aut agit, videndiq́ue aut audiendi delectatione ducitur 1. Offic.

Si conſiderare volemus quæ ſit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus quàm ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere: quamq; honeſtũ, parcè, continenter, ſeuerè, ſobriè. 1. Offic.

Cũ diſpicere cœperimus, & ſentire quid ſimus, & quid animantibus cæteris differamus, tum ea inſequi incipiemus ad quæ nati ſumus. 5. de Finib.

Si nihil haberet aliud hominis animus, niſi vt appeteret aut refugeret, id quoq; ei eſſet commune cum beſtijs. Habet primùm memoriam, & eam infinitam innumerabilium, quam quidem Plato recordationem eſſe vult. 1. Tuſc.

Hoc vnum animal homo ſentit quid ſit ordo; quid ſit quod deceat: in factis dictis; qui ſit modus. Itaque eorum ipſorum, quę aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, & conuenientiam partium ſentit, cauetq; ne quid indecorè effœminatéve faciat: tum in omnibus & opinionibus & factis, ne quid libidinosè faciat aut cogitet 1 Offic.

Eſt natura ſic generata vis hominis, vt ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamq; cauſam praui virtutum ſimulacris, quarum in ſe habent ſemina, ſine doctrina mouentur. 5 de Finib.

Nec figura corporis, nec ratio excellens ingenij humani ſignificat ad hanc vnam rē

natam

natam hominem vt frueretur voluptatibus. 2. de Finib.

Nemo eſt dignus nomine hominis, qui vnum diem velit eſſe in voluptate 2. de Fin.

Hominem, nihil niſi quod honeſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportet, nulli neq; homini, neque perturbationi animi ſuccumbere. 1. Offic.

Nobis perſonam impoſuit ipſa natura cum excellentia, præſtantiaq; animantium reliquarum. 1. Offic.

Homo cæteris animantibus longè præſtat. 2. de Finib.

Hoc vno præſtamus vel maximè feris, ꝙ colloquimur inter nos, & ꝙ exprimere dicendo ſenſu poſſumus. 1. de Orat.

Ratione præſtamus beluis, per quā coniectura valemus, argumentamur, refellimus, diſſerimus, conficimus, & concludimus. 1. de Legib.

Inter hominem & beluam hoc maximè intereſt, ꝙ hæc tantū, quantum ſenſu mouetur ad id quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paulum admodum ſentiens præteritum & futurum. Homo autem qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudinibus comparat, rebusq; præſentibus adiungit, atque annectit futuras, facilè totius vitæ curſum videt. ad eam que degendam præparat res neceſſarias, & cætera. 1 Offic.

Homines, cùm multis rebus humiliores

& infirmiores ſunt, videntur hac re maximè beſtijs præſtare, quòd loqui poſſunt. Quare præclarum mihi videtur adeptus is, qui qua re homines beſtijs præſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat. 1. Offic.

Nulla re longius abſumus à natura ferarum, quàm æquitate, in quibus ineſſe fortitudinem ſępe dicimus, vt in equis, leonibus, iuſtitiã, æquitatem non dicimus, ſunt enim rationis & orationis expertes. 1. Offic.

Homines etſi multis alijs, tamen hoc vno à beſtijs plurimum differunt, quòd rationem habeant à natura menti datam, mentemq; & acrem & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, &(vt ita dicam) ſagacem, quæ & cauſas rerum, & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & diſiuncta coniungat, & cum præſentibus futura copulet, omnemq; complectatur vitæ conſequentis ſtatum. Eademq; ratio facit hominem hominum appetentem, cumque ijs natura & ſermone & vſu congruentem, vt profectus à caritate domeſticorum ac ſuorum curratlongius, & ſe implicet primùm ciuium, deinde omnium mortalium ſocietate: atq; (vt ad Architam ſcripſit Plato,) nõ ſibi ſe ſolùm natum meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars ipſi relinquatur. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri inueniendi (quod facillimè apparet, cùm vacui curis, etiam quid in cœlo fiat ſcire auemus) his initijs ducti omnia vera diligimus, id eſt fidelia ſimplicia, conſtantia: tum vana, falſa,

fallentia odimus, vt fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in ſe quiddam amplum atq; magnificum, ad imperandum magis, quàm ad parendum accommodatum. Omnia humana non tolerabilia ſolùm, ſed etiam leuia ducẽs, altum quiddam & excelſum nihil timens, nemini cedens, ſemper inuictum. 2. de Finib.

Videndum eſt ne quid humile, ne quid ſummiſſum, molle, effœminatum, fractum, abiectum faciamus. 4 Tuſc.

In dolore maximè eſt prouidendum ne quid abiectè, ne quid timidè, ne quid ignauè, ne quid molliter, ne quid ſeruiliter, muliebriterve faciamus. 2. Tuſc.

Turpe, nec viro dignum videtur gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari dolore. 2. Tuſc.

Turpe eſt viro debilitari, dolore frangi, ſuccumbere. 2. de Finib.

Ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, idq; raro: eiulatus ne mulieri quidem: ſin erit ille gemitus lamẽtabilis, ſi imbecillus, ſi abiectus, ſi flebilis, ei qui ſe dederit, vix eum virum dixerim; nihil eſt enim fletu muliebri viro turpius. 2. Tuſc.

Cùm tibi ſiue Deus, ſiue mater rerum omnium Natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neq; diuinius: ſic te ipſe abijcies atque proſternes, vt nihil inter te atq; inter quadrupedem aliquem putes intereſſe? 1. Parad.

Nihil eſt aut nequius, aut turpius effœminato viro. 3. Tuſc.

Nos ita liqueſcimus, fluimusq; mollitia, vt apis aculeum ſine clamore ferre non poſſimus. 2. Tuſc.

Nos ita leues atque inconſtantes ſumus, vt ſi mures corroſerint aliquid, quorum eſt opus, hoc vnum monſtrum putemus. 2. de Diuin.

[*Tu de forma hominis, membrorumq; ordine & compoſitione ſecundo de Natura Deorum, vide latius: & quàm virum dedeceat mollities. Officio. primo, capite. Sed pertinet ad omnem officij quæſtionem, lege copioſius.*]

Diuerſa hominum ſtudia, & iudicia. 119

NOn eſt vna omnium facies. 1. de Natura deorum.

Quot homines, tot ſententiæ. 1. pe Fin.

Diuerſa ſunt hominum ſtudia. Cicero ad Attic. lib. 2.

Suo quiſque ſtudio maximè ducitur. 5. de Finibus.

Multæ in naturis hominum diſſimilitudines ſunt, vt alios dulcia, alios ſubamara delectent. Alij libidinoſi, alij iracundi, aut crudeles, aut ſuperbi ſint, alij à talibus abhorreant. de Fato.

Non in omnes omnia conueniunt. Pro Roſcio Amerino.

Alij gloriæ ſeruiunt, alij pecuniæ: rari ſunt qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturã ſtudioſè intueãtur: quod qui faciunt, & ſapientiæ ſtudioſi, & philoſophi habentur. 5. Tuſc.

Suum cuiq; pulchrum eſt: adhuc nemi-

nem

nem cognoui Poëtam, qui ſibi non optimus videretur: ſic res habet, te tua, me delectāt mea. 5. Tuſc.

Nemo vnquam neq; poëta, neq; orator fuit, qui quenquam meliorem, quàm ſe, arbitraretur. Cic. ad Attic. lib. 14.

In omni re difficillimũ eſt formã (quod χαρακτήρ Græcè dicitur) exponere optimi: ꝙ aliud alijs videtur optimum. Varia enim ſunt iudicia: nec facilis explicatio, quæ forma maximè excellat. Orat. ad Brut.

At in corporibus. 1. Offic. In Simil. 55.

Alij dolore mouentur, alij cupiditate, iracundia etiam multi afficiuntur: & cum in mala ſcientes irruunt, tamẽ ſe optimè conſulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant. Mihi ſic eſt vſus: tibi vt opus eſt facto, face: eorum eſt querela qui ſibi cari ſunt, ſeſeq; diligunt. 5 de Finib.

Sua cuique ciuitati religio eſt, noſtra nobis: officia non eadem diſparibus ætatibus tribuuntur: aliaq; ſunt iuuenum, alia ſeniorum, alia conſtantis ætatis: ſunt & extrema quædam ſtudia ſenectutis. Cat. Maior.

Vt natura alius. 4 Tuſc. In Simil. 44.

Quiſq; id ſequatur, ad quod natura magis eſt compoſitus. 120

QVam quiſque norit artem, in ea ſe exerceat. 1. Tuſc.

Suum quiſque noſcat ingenium. 1. Officior.

Quiſq; ad id quod facere poteſt, detrudendus eſt. 1 de Orat.

Diligentiſſimè hoc eſt eis, qui inſtituunt aliquos,

aliquos, atque erudiunt, videndum, quò ſua quenque natura maximè ferre videatur. 3.de Orat.

Natura primùm, atque ingenium, ad diſcendum vim affert maximam. 1.de Orat.

Ad quas artes aptiſſimi erimus, in ijs potiſſimùm elaborabimus: ſin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, vt ea ſi non decôre, at quàm minimè indecorè facere poſſimus. Nec tam nobis enitendum eſt, vt bona quæ nobis data non ſunt, ſequamur, quàm vt vitia fugiamus. 1.Offic.

Quem potiſſimùm vitæ curſum ſequi velimus, in hac deliberatione ad ſuam cuiuſque naturam, conſilium omne eſt reuocandum. 1.Offic.

Tuenda ſunt ſua cuique non vitioſa, ſed propria, quæ contemplantes expendere oportebit quid quiſq; habeat ſui, eaq; moderari, nec velle experiri quàm aliena deceãt: id enim maximè quenque decet quod eſt ſuum cuiuſq; maximè. 1.Offic.

Naturæ non attinet repugnare, nec quicquàm ſequi quod aſſequi non queas, ꝙ nihil decet inuita, vt aiunt, Minerua: id eſt repugnante & aduerſante natura. 1.Offic.

Hoc generi hominum propè natura datum, vt qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui ſunt eius ſtirpis (ꝙ ſermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur) cupidiſſimè perſequantur. Pro C.Rab.Poſth.

[Tu

[Tu primo Officior. legito quæ ad hunc locum pertinent, cap. Intelligendum.]

Circumſtantia. 121

SAepe tempore fit, vt quod plerunque turpe haberi ſoleat, inueniatur non eſſe turpe. 3. Offic.

Tempore commutatur officium, vt non ſemper ſit idem. 1. Offic.

Temporibus quibuſdam, aut officijs debitis, aut rerum neceſſitatibus ſæpe euenit, vt & voluptates repudiandæ ſint, & moleſtiæ non recuſandæ. Itaq; earum ſic tenetur à ſapiente delectus, aut vt reijciendis voluptatibus maiores alias conſequatur, aut perferendis doloribus aſperiores repellat. 1. de Finib.

Debemus conſiderare in omni re quid aptum ſit, & conſentaneum tempori & perſonæ, tum quid in dictis factisq; dedeceat. Quòd ſi poëta fugit vt maximum vitium, qui peccat etiam cùm probam orationem affingit improbo, ſtultóve ſapientis: ſi denique pictor ille vidit cùm immolanda Iphigenia, triſtis Calcas eſſet, mœſtior Vliſſes, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari: ſi denique hiſtrio quid deceat quærit, quid faciendum oratori putemus? Orator. ad Brut.

In omnibus quid tempora petant, aut quid perſonis dignum ſit, ſemper conſiderandum eſt. 2. de Inuent.

Habenda eſt ratio hominum, rei & temporis.

poris. 2.de Orat.

Turpe eſt,valdeq́; vitioſum,in re ſeuera, conuiuio dignum aut delicatum aliquem inferre ſermonem. 1.Offic.

Tanta vis eſt loci & temporis, vt ſi quis cùm cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur: aut ſi quid aliud attentius cogitet non reprehendatur inſcitia temporis. 1.Offic.

Pericles. 1.Offic. In Apoph.55.

Alia fori vis eſt, alia triclinij,alia ſubſelliorum ratio,alia lectorum:non idem iudicum,comeſſatorumq́; conſpectus: lux denique longè alia eſt ſolis & lychnorum. Pro M. Cælio.

Nec iiſdem de rebus, nec in omni tempore,nec ſimiliter oẽs delectantur. 1.Offic.

Non omnis fortuna, non omnis honos, non omnis autoritas, non omnis ætas, nec verò locus,aut tempus,aut auditor omnis, eodem aut verborũ genere tractandus eſt, aut ſententiarum: ſemperq́; in omni parte orationis, vt vitæ, quid deceat eſt conſiderandum:quod & in re de qua agitur, poſitũ eſt,& in perſonis eorum qui dicunt,& eorũ qui audiunt. Orat ad Brut.

Inconſtantis nõ puto, ſententiã aliquam tanquam aliquod nauigium ex Reipublicę tempeſtate moderari. Pro Corn.Bal.

Nunquam præſtantibus in Republ. gubernanda viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio. Mar.Cicer.Lentulo, Famil.1.

Tempori cedere (id eſt neceſſitati parẽ-

re)

re) ſemper ſapientis habitum eſt. Cicero Marcello, Famil. 4.

Temporibus parêre omnes politici præcipiunt. Cic. ad Attic. 12.

Eſt non modò liberale, paululum nonnunquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. 2. Offic.

Epiſtolæ offendunt non loco redditæ. Cic. Brut Famil. 11.

Multa quæ rectè committi ſeruis fidelibus poſſunt, tamen ſermonis & vituperationis vitandæ cauſa cõmittenda non ſunt. Cic. ad Q. fratr.

Plurima ad alieni ſenſus coniecturam, non ad ſuum iudicium ſcribuntur. Cecin. Cicer. Famil. 6.

Qui aut tempus quo poſtulet non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibúſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut incõcinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur. 2 de Orat.

[Tu ſi voles, videto quid, quo loco, & tempore deceat. Officiorum libro primo, capite. Talis eſt igitur.]

Ea facillimè luduntur, quæ neq; magno odio, nec miſericordia maxima digna ſunt. 2 de Orat.

Parcendum eſt maximè caritati hominum, nec temerè in eos dicas qui diligũtur. 2. de Orat.

Facilè multitudo à triſtitia & ſæpe acerbitate, commodè ac breuiter & acutè & hilari dicto deducitur. 2. de Orat.

Orator triſtitiam ac ſeueritatem mitigat ac relaxat, odioſasque res ſæpe, quas argumentis dilui non facilè eſt, ioco, riſuque diſſoluit. 2. de Orat.

[Tu de duplici iocandi genere, vide primum Offic. ſecundùm etiam de Orat.]

Verba opportuna aliquando loquitur Olitor. 123

SAepe ſub ſordido palliolo latet ſapientia. 3. Tuſc.

Summi gubernatores in magnis nõnunquam tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent. Philip. 7.

Nihil perpetuum, nihilq́, non miſerum & calamitoſum. 125

ABeunt omnia vnde orta ſunt. Cato Maior.

Intra Lunam nihil eſt non mortale & caducum, prẹter animos hominum, Deorum munere datos. Som. Scip.

Cœleſtia ſemper ſpectato, humana illa contemnito. Som. Scip.

Cõtemnendæ ſunt humanæ res. 4. Tuſc.

Conferto noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate, ſic breuiſſima reperiretur. 1. Tuſcu.

Quid ei poteſt videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota ſit magnitudo? 4 Tuſc.

Altè ſpectare ſi voles, atque hanc ſedem & æternam domum contueri: neque ſermonibus vulgi dederis te, neque in præmijs humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te illecebris oportet ipſa virtus

trahat

trahat ad verum decus. Somn.Scip.

Cogitantes ſupera. 4 Academi. In pijs Sentent. 44.

Regna, imperia, honores, nobilitas, diuitiæ, opes, eaq; quæ ſunt ijs contraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur. 1.Offic.

Nihil eſt opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas. Pro Marcel.

O dij boni, quid eſt in hominis vita diu? mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo eſt aliquid extremum: Cùm enim id aduenerit, tunc illud quod præterit, effluxit: tantum remanet quidem quod virtute & rectè factis ſis conſecutus. Cato Maior.

Non eſt omnino hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremũ: quod cùm venerit, omnis voluptas pro nihilo eſt habenda, quia poſtea nulla futura eſt. Pro M. Marcel.

Quæ ętas longa eſt, aut quid omnino homini longum? Nónne modò pueros, modò adoleſcentes in curſu à tergó inſequens, nec opinantes aſſecuta eſt ſenectus? Omnia iſta perinde vt cuique data ſunt, pro rata parte à vita, longa aut breuia dicuntur. 1.Tuſcu.

Horæ cedunt & dies, menſes & anni, nec præteritum tempus vnquã reuertitur, nec quid ſequatur ſciri poteſt. Cato Maior.

Quis eſt, quamuis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad veſperum eſſe victurum? Cato Maior.

Nulla eſt tanta vis, tantaque copia, quæ

non

non ferro debilitari, frangique poſſit. Pro M.Marc.

Nihil ſemper ſuo ſtatu manet. 1. de Natura Deorum.

Nihil ſemper floret: ætas ſuccedit ætati. Philip. 11.

Volat ætas. 1. Tuſc.

Formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate. 4 ad Heren.

Nemo confidat ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum ſit. 2. Tuſc.

Senſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit, nec ſubitò frangitur, ſed diuturnitate extinguitur. Cato Maior.

Ita ratio comparata eſt vitæ, naturaque noſtræ, vt alia ætas oriatur ex alia. In Læl.

Curſus eſt certus ætatis, & via vna naturæ, eaq; ſimplex: ſua cuique parti tempeſtiuitas eſt data. Cato Maior.

Quæ poteſt eſſe in vita iucunditas, cùm dies ac noctes cogitandum ſit iamiam eſſe moriendum? 1. Tuſc.

Nemini exploratum poteſt eſſe, quomodo habiturum ſit corpus, non dico ad annum, ſed ad veſperum. 2. de Finib.

In vita nihil eſt niſi propagatio miſerrimi temporis. Cic. Luceio, Famil. 5.

Quid habet vita commodi, quid non potius laboris? Cato Maior.

Nemo non miſer. 1. Tuſc.

Mortalis nemo eſt. 3. Tuſculanarum. In Apopht. 86.

Nanque nimis. 3. Tuſc. In Apopht 90.

Non

Nō naſci homini lōgè optimũ eſt. 1. Tuſ.

Oppida quæ quodam tempore floruerunt, nunc proſtrata ac diruta ſunt. Seru. Sulp. Cic. Famil.

Durum à proſpera, feliciq; fortuna in aduerſum cadere, & talium miſeremur facillimè. 124

NIhil eſt tam miſerabile, quàm ex beato effici miſer. Par Orat.

Hoc natura adfert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediuntur. Pro Muræna.

Regum afflictæ fortunæ facilè multorũ opes alliciunt ad miſericordiam, maximè eorum qui aut reges ſunt, aut viuunt in regno, vt regale ijs nomen magnum & ſanctũ eſſe videatur. Pro lege Manil.

Fortuna. 125

FOrtuna, eſt rerum omnium domina. Pro Marcello.

Fortuna eſt rerum externarum, & ad corpus pertinentium. 5. Tuſc.

Fortunam inſanam eſſe & cæcam & brutam perhibent philoſophi. Cæcam ob eam rem, quia nihil cernat, quò ſeſe applicet. Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſq; ſit. Brutam, quia multis incommodis conflictatur propter immenſam pecuniæ cupiditatem. 2. ad Heren.

Varia eſt vitæ, commutabiliſq; ratio vaga, volubiliſq; fortuna Pro Milone.

Non ſolùm ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa eſt. Illi enim efferuntur faſtidio ferè

& con-

& contumacia: neque quicquam inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt. Atque hoc quidem videre licet,eos qui antea commodi fuerunt, moribus, imperio, poteſtate,proſperis rebus immutari, ſperniq; eab ijs veteres amicitias, indulgere nouis. In Lælio.

O fallacem hominum ſpem, fragilemq; fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpacio ſæpe franguntur & corruunt,& antè in ipſo portu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerint. 3. de Orator.

Vita regitur fortuna, nō ſapiētia. 5. Tuſc.

O volucrem fortunam, quàm citò omnia ex lætitia & voluptate, ad luctum & lacrimas recidunt? Pro Sil.

O miſera vitæ ratio, quæ tandiu reſides in voluptate, quandiu fortunæ poſcit libido. Antequam iret in exil.

Fortunam vitare nemo poteſt. Cicero Dol.Famil.9.

Fors in armis plus quàm ratio poteſt. Cicer.Attic.lib.14

Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ,quàm fortuna. 2. de Diuin.

Non ſunt omnia committenda fortunæ, ne magnum nimis in nos habeat dominationem. 4. ad Heren.

Fortunam laudare, eſt ſtultitia: & vituperare, ſuperbia eſt. Animi autem laus &; honeſta eſt, & vituperatio vehemens. 1. de Inuentione.

Et nō multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi

ſibi firmius in virtute, quàm in caſu præſidium collocauit. 4 ad Heren.

Occupaui (inquit) te fortuna. 5. Tuſcu. In Apophth. 83.

Magna vis eſt in fortuna in vtranq; partem, vel ſecundas ad res, vel aduerſas. Nam & cùm proſpero flatu eius vtimur, ad optatos exitus prouehimur: & cùm reflauit, affligimur. 2. Offic.

Fortitudini fortuna adiumento ſolet eſſe. 3. ad Heren.

Fortes fortuna adiuuat. 2. Tuſc.

Humana ferenda ſunt. 126

HVmana ferenda ſunt. Cic. Att. lib. 15.

Nobis hominũ ineptiæ ac ſtultitiæ deuorandæ ſunt. De clar. Orat.

Homines nos eſſe meminerimus, ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra: neq; eſſe recuſandum quò minus ea, qua nati ſumus, conditione viuamus: néve tam grauiter eos caſus feramus, quos nullo conſilio vitare poſſimus: euentiſque aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe noui nobis cogitemus. Cicero Titio, Famil. 5.

Simus ea mente, quam & veritas & ratio præſcribit, vt nihil in vita nobis præſtandũ præter culpam putemus: eaque cùm careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus. Cic. A. Torq. Famil. 6.

Præter culpam & peccatum homini accidere nihil poteſt, quod ſit horribile aut pertimeſcendum. Cic Meſſinio, Famil. 5.

Ferenda eſt fortuna, præſertim quæ abeſt

eſt à culpa. Cic A.Torq.Famil.6.

Euerſis rebus omnibus, cùm cōſilio profici nihil poſſit, vna ratio videtur, quicquid euenerit, ferre moderatè. Cic.Torq.Fam.6.

Perditis rebus omnibus, ipſa virtus ſe ſuſtentare poſſe videtur. Cic.Torq.Famil 6.

Magna vis eſt in virtutibus: eas excita ſi fortè dormiunt: iā tibi aderit particeps fortitudo, quæ te animo tanto eſſe coget, vt omnia quæ poſſint homini euenire, contemnas, & pro nihilo putes. 3 Tuſc.

Ratio in conſolando plurimū valere debet. Cic.Curioni, Fam.7.

Summa eſt ſtultitia, fruſtrà cōfici dolore, cùm intelligas nihil poſſe profici. 3.Tuſc.

Nobis quicquid acciderit, fortiter & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus meminerimus. Cic.Attic lib.14.

Communem, incertumq́; caſum, quem neque vitare quiſquam noſtrum, neq; præſtare vllo pacto poteſt, ſapienter feramus. Cic.P.Seſt.Famil.5.

Vt ſecunda moderatè tulimus, ſic nō ſolùm aduerſam, ſed funditus euerſam fortunam fortiter ferre debemus. Cicero Meſcenio, Famil.5.

Nihil eſt præcipuè cuiquam dolendum in eo quod accidat vniuerſis. Cicer.Torq. Famil.6.

Neceſſitas ferendæ cōditionis humanæ, quaſi cum Deo pugnare prohibet, admonetq́; eſſe hominem, quę cogitatio magnopere luctum leuat. 3 Tuſc.

Nihil eſt quod plus valeat ad ponendum laborem,

laborem, quàm cùm eſt intellectum nihil profici, & fruſtrà eſſe ſuſceptum. 3.Tuſc.

Quando præſtitimus quod debuimus, moderatè quod euenit, feramus. Cic.Torquato, Famil.6.

Eſt etiã in nobis, vt & aduerſa quaſi perpetua obliuione obruamus, & ſecunda iucundè ac ſuauiter meminerimus. 1.de Fin.

Leuat dolorem communis quaſi legis & humanæ conditionis recordatio. Cic.Cæcinnæ, Famil.6.

Leuis eſt tamen conſolatio ex miſerijs aliorum. Cic.Torq Famil 6.

Eorum qui grauius ferunt luctus, aliorum exemplis leniuntur. Sic perpeſſio cæterorum facit, vt ea quæ acciderint, multò minora, quàm quanta ſunt exiſtimata, videantur. 3.Tuſc.

Ipſa ægritudo lenitur, cùm obijcimus mœrentibus imbecillitatem animi effœminati, cumque eorum grauitatem, conſtantiamq; laudamus, qui non turbulenter humana patiantur. 4.Tuſc.

Motus animi, ſolicitudines, ægritudineſque obliuione leniuntur, traductis animis ad voluptatem. 3.Tuſc.

Omnibus modis fulciendi ſunt qui corruunt, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis. 5.Tuſc.

Hæc ſunt officia conſolantium, tollere ægritudinem funditus, aut ſedare, aut detrahere quamplurimum, aut ſupprimere, nec pati manare longius, aut ad aliam traducere: aut, vt Chriſippo placet, in conſo-

lando detrahere illam opinionem mœrenti, ſi ſe officio fungi putet iuſto atque debito. Sunt enim qui gratum mortuis facere, ſi grauiter eos lugeant, arbitrantur. Accedit ſuperſtitio muliebris quædam. Exiſtimant enim dijs immortalibus ſe facilius ſatisfacturos, ſi eorum plaga perculſi, afflictos ſe & ſtratos eſſe fateantur. 3. Tuſc.

Sunt qui conſolationem reſpuant: ſed refert quo modo adhibeatur; vt enim tulerit quiſq; eorum qui ſapienter tulerunt, non quo quiſque incommodo affectus ſit, prædicandum eſt. 3. Tuſc.

Vt in cauſis. 3. Tuſc. Vide in Simil. 43.

Nihil hoc fieri turpius, aut dici poteſt, quàm eum, qui hanc perſonam ſuſceperit, vt amicorum controuerſias cauſáſque tueatur, laborantibus ſuccurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis, tenuiſſimiſque rebus ita labi, vt alijs miſerandus, alijs irridendus eſſe videatur. 1. de Orator.

Dies dolorem minuit. 127

Conſolationum multæ ſunt viæ, ſed illa rectiſſima impetret ratio, quod dies impetratura eſt. Cic. Attic. lib. 12.

Senſim & pedetentim progrediés dolor extenuatur, nón quòd ipſa res immutari ſoleat aut poſſit, ſed id quod ratio debuerat, vſus docet minora eſſe ea quæ ſunt viſa maiora. 3. Tuſc.

Cùm conſtat ægritudinem vetuſtate tolli, hæc vis non eſt in die poſita, ſed in cogitatione diuturna. Ipſa enim cogitatio, nihil

eſſe

eſſe in re mali,dolori medetur,non ipſa diuturnitas. 3.Tuſc.

Error ſtultis extenuatur die, vt cùm eædem res maneant, aliter ferant inueterata, aliter recentia. 4 Tuſc.

Quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, id nos præripere conſilio, prudentiaq; debemus:neq; expectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus. Cicero Titio,Famil.5.

Eſt in poteſtate abijcere dolorem, cùm velis,tempori ſeruientem. 3.Tuſc.

Dies ſtultis mederi ſolet. Cicero Curioni, Famil.7.

Dolor in longinquitate leuis,in breuitate grauis eſſe ſolet, vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuiatio conſoletur. 1.de Finib.

Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat atq; molliat.Ser.Sulp. Ciceroni,Famil.4.

Ex tarda] illa quidem medicina, ſed tamen magna, quam adfert longinquitas & dies. 3.Tuſc.

Cæteri dolores mitigantur vetuſtate.Cicer.Attic lib 3.

Non nobis ſolùm nati ſumus,ſed Reipublicæ & poſteris. 128

NOn ſolū nobis diuites eſſe volumus, ſed liberis,propinquis,amicis, maximeq; Reipublicæ. 1.Offic.

Bono viro non minori curæ eſt qualis Reſpublica poſt mortem ſuam futura ſit,

quàm qualis hodie ſit. In Lælio.

Non nobis ſolùm nati ſumus. 1. Offic. In Apopht. 11.

Vt ad Architam ſcribit Plato, non ſibi ſoli ſe natum homo meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars illi relinquatur. 2. de Finibus.

Non dubitat agricola, quamuis ſenex, quærenti cui ſerat, reſpondere, dijs immortalibus, qui me non accipere tantummodo à maioribus voluerunt, ſed etiam poſteris tradere. Iidemq; laborant in eis, quæ ſciũt nihil omnino ad ſe pertinere: ferunt arbores, quæ alteri ſęculo proſint. Cato Maior.

Nec parentes, nec amici negligendi, etiam ſi ad ampliſſimam dignitatem perueneris. 129

SI quam præſtantiam virtutis, ingenij, fortunæ conſecuti ſunt nonnulli, impartiant eam ſuis, communicentq; cum proximis: vt ſi parentibus nati ſunt humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes, eisq; honori ſint & dignitati: vt in fabulis, qui aliquandiu propter ignorantiam ſtirpis & generis in famulatu fuerint, cũ cogniti ſunt, & aut deorum, aut regum filij inuenti, retinent tamen caritatem in paſtores, quos patres per multos annos eſſe duxerũt. In Lęl.

Mores creſcunt cum ætate. 130

CVpiditas agendi aliquid adoleſcit vnà cum ætate. 5. de Finib.

Habenda eſt ratio diligẽter, quos imitemur, quorũ ſimiles velimus eſſe. 1. de Ora.

Magni

Magni intereſt quos quiſq; audiat quotidie domi, quibúſcum loquatur à puero, quemadmodum patres, pædàgogi, matres etiam loquantur. De clar Orat.

Quæ acciderũt in pueritia, meminimus optimè ſæpe. 3.ad Heren.

Id eſt difficile, quod cùm ſpe magna ſis ingreſſus,id non exequi vſq; ad extremum. Pro C.Rab Poſth.

Vt ſuperior ætas, ſic & poſterior eſſe ſolet. 131

STudia quæ ſunt in adoleſcentia tanquã in herbis, ſignificant quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſunt futuræ. Pro Cælio.

Adoleſcentia ſignificat, oſtenditque fructus futuros: reliqua tempora de metendis fructibus, aut percipiendis accommodata ſunt. Cato Maior.

Facile in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes viros,bene conſulentes Reipub.contulerunt: quibúſcum ſi frequentes ſint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles quos ſibi ipſi delegerunt ad imitandum. 1.Offic.

Quis vllam vllius boni ſpem habebit in eo,cuius primum tempus ætatis palàm fuerit ad omnes libidines diuulgatum? Ad Sen.poſt red.

Perinde vt eſt opinio de cuiuſque moribus,ita quid ab eo factum ſit,& nõ factum, facilè exiſtimari poteſt. Pro Cluent.

Omnibus in rebus,quæ grauiores,maio

reſq; ſunt, quid quiſq; voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur, eſt ponderandum. Neq; enim poteſt quiſquam noſtrum ſubitò fingi, neque cuiuſquam repentè vita mutari, aut natura conuerti. Pro Silla.

Libidinoſa & intemperans adoleſcentia effœtũ corpus tradit ſenectuti. Cat Maior.

Eſt quietæ, & puræ, & eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus. Cato Maior.

Acta ætas honeſtè ac ſplendidè, tantam adfert conſolationem, vt eos qui ita vixerint, aut non tangat ægritudo, aut leuiter pungat animi dolor. 3. Tuſc.

Qui adoleſcentum peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea quòd ętas illa non eſt impedimento bonis ſtudijs. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſunt, eas in ætate maturiſſima velint comparare. 4 ad Herennium.

Multi à voluptate ad virtutem ſe receperunt. 132

MVltos vidi & audiui, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ voluptatis, & extremis, vt dicitur, digitis attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, vt dicitur, recepiſſe, grauesque homines & illuſtres fuiſſe. Datur enim conceſſu omnium, &c. Pro M. Cælio. Vide Iuuentus. 133.

Multi & noſtra & patrum memoria ſum

mi & clariſſimi ciues fuerunt, quorũ cùm adoleſcentiæ cupiditates deferuiſſent, eximiæ virtutis firmata iam ætate extiterunt. Pro M. Cælio.

Iuuentuti ludus quidam, & voluptas interdum aliqua permittatur. 133

CVm iuuenes relaxare animos, & dare ſe iucunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ. 1. Off.

Ludendi eſt quidam modus retinendus, vt neminis omnia profundamus, elatique voluptate, in aliquam turpitudinem dilabamur. 1. Offic.

Ludo & ioco vti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus, cæteriſq́;, cùm grauibus, ſerijſq́; rebus ſatisfecerimus. Ipſumque genus iocandi ingenuum & facetum eſſe debet, non profuſum, nec immodeſtũ; ſed ſemper in ipſo ioco aliquid probi ingenij lumen eluceat. 1. Offic.

Pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena. 1. Offic.

Datur conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolẽt. Pro M. Cælio.

Detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur; non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio, vincat aliquando cupiditas, voluptasq́; rationem, dum modò illa in hoc genere

præſcriptio, moderatioque teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius damnum atq; famam, ne probrũ caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat: ne quem interimat, ne interſit inſidijs, ſcelere careat: poſtremò, cũ paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atq; ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates: reuocet ſe aliquãdo ad curam rei domeſticę, rei forenſis, Reipubl. vt ea quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abieciſſe, experiendo contempſiſſe videatur. Pro M. Cælio.

Tempus iuuẽtutis ſua ſponte infirmum aliorum libidine infeſtum eſt. Pro M. Cæl.

Voluptate & delicijs facilè iuuentus intercipitur. In Vatin.

Semper magno ingenio adoleſcentes refrænandi potius à gloria, quàm inuitandi ſunt. Amputanda ſunt plura illi ætati, ſiquidem effloreſcit ingenij laudibus. Pro Marco Cælio.

[*Tu plura in Oratione pro M. Cælio.*]

Iuuentus ſenum prudentia nitatur, & regatur. 134

Est adoleſcentis maiores natu vereri, exque his deligere optimos & probatiſſimos quorum conſilio autoritate nitatur: ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda prudentia eſt. Maximè autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labore patientiaq; & animi & corporis; vt eorum & in bellicis

& in ciuilibus officijs vigeat induſtria. 1. Officiorum.

Eum, nos qui ætate anteit, tanquam ſuperiorem colere debemus. In Lælio.

Non eſt rectum, minori parere maiorē. De Vniuerſ.

Imitandi ſunt maiores: primum illud excepto, ſcilicet ne vitia ſint imitāda. 1. Offi.

Senectutis eſt proprium, vt adoleſcentulos doceat, inſtituat, ad omne officij genus inſtruat. Cato Maior.

Senectus. 135

NIhil eſt præclarius, quàm honoribus & Reipub. muneribus perfunctum ſe nem poſſe ſuo iure dicere, id quod apud Ennium dicit ille Pithius Apollo, ſe eſſe eū, vnde ſibi, ſi non populi & reges, aut omnes, ſui tamen ciues conſilium expetent. 1. de Orat.

Omnium ætatum certus eſt terminus: Senectutis autem nullus certus eſt terminus, recteq; in ea viuitur, quo ad munus officij exequi & tueri poſſis. Cato Maior.

Miſera eſt ſenectus, quæ ſe oratione duntaxat defendit. Non cani, non rugæ repentè autoritatem afferre poſſunt, ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus autoritati præbet extremos. Cato Maior.

Senibus labores corporis ſunt minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur. 1. Offic.

Nihil magis cauendū eſt ſenectuti, quàm ne languori ſe deſidiæq; dedat, luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti

fœdiſſima eſt. Duplex enim inde malũ eſt, quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & facit adoleſcentum impudentiorem intemperantiam. 1 Offic.

[*Studioſè & diligenter euolues dialogum, qui Cato Maior inſcribitur, vbi in ſenectutis laudibus multus, imo etiam totus eſt Cicero.*]

Relaxetur oportet aliquando animus. 136

HOmines quamuis in rebus turbidis, tamen ſi modò homines ſunt, interdũ animis relaxantur. 2. Philip.

Otij non minus, quàm negocij ratio extare debet. Pro Planc.

Contentio probanda. 137

COntentio tandiu ſapiens eſt, quandiu aut proficit aliquid: aut ſi non proficit, non abeſt. Pro Cælio.

Malè parta, malè pereunt. 138

MAlè parta, malè dilabuntur. 2. Philip.

Quibus facilè ignoſcitur. 139

ILlis facilè ignoſcitur, qui non perſeuerare, ſed ab errato ſe reuocare moliuntur. In Vatin.

Cuiuſuis eſt hominis errare: nullius niſi inſipientis, perſeuerare in errore. Phil. 12.

Optimus eſt portus pœnitenti, mutatio conſilij. Phil. 12.

Sit erranti medicina confeſſio. Cicero ad Quint. frat.

Humanum eſt errare, ſed ferinum perſeuerare in errore. Noſtrum.

Voluntas puniatur, etiamſi non impleatur. 140

IN ipſa deliberatione facinus ineſt, etiam

ſi ad

ſi ad id non paruenerit. 3.Offic.

Non exitus rerũ ſolùm, ſed & hominum conſilia legibus vindicãtur: minus quidem dolendum eſt, re non perfecta, ſed puniendum certè nihilominus. Pro Milone.

Multæ ſimulationes, nec fronti vlla fides. 141

IN animis hominũ multæ ſunt latebræ, & multi receſſus. Pro M.Marcel.

Multis ſimulationũ inuolucris regitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcuiuſque natura, frons, oculi, vultns perſæpe mentiuntur. Cic.ad Q.frat.

Temerè affirmare de altero, eſt periculoſum propter occultas hominum voluntates multiplicesq; naturas. Cic.ad Brut.

Fronte atq; vultu, ſimulatio facillimè ſuſtinetur. Cic.Lentulo, Famil.1.

Nullus ad nocendum efficacior, quàm domeſticus inimicus. 142

NVllæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione offrcij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum qui palàm eſt aduerſarius, facilè cauendo vitare poſſis: hoc verò occultum, inteſtinũ ac domeſticum malum non modò exiſtit, verumetiam opprimit antequam proſpicere atq; explorare potueris Act.3.in Ver.

Tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quàm indictæ & apertæ. Act. 7 in Verrem.

Vultus animum detegit. 143

VVltus ac frons, animi eſt ianua, quæ ſignificat voluntatem abditam ac retruſam.

truſam. De petitione Conſult.

Omnis motus animi ſuum quendam à natura habet vultum & ſonum & geſtum. Animi imago, vultus eſt: indices, oculi. Nam hæc eſt vna pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationes poſſit efficere. Oculi enim ſunt, quorum tum inuentione, tum cõiectu, tum hilaritate, motus animorum ſignificemus aptè. Nam oculos natura nobis, vt equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. 3. de Orat.

Ex oculorum obtutu, ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione, facilè iudicatur, aut denique triſtitia. 1. Offic.

Ex coniectura, multa diſcuntur. 144

PErinde vt eſt opinio de cuiuſq; moribus, ita quid ab eo factum ſit, & non factum, exiſtimari poteſt. Plo Cluent.

De futuris rebus etſi difficile eſt dicere, tamen interdum poſſis coniectura propius accedere, cùm res eſt eiuſmodi, cuius exitus præuideri poteſt. Cic. Torq Famil. 6.

Facile in optimam partem. 1. Offic. Vide, Vt ſuperior ætas, 131.

Artibus ipſis ſi in dicendo non vtimur, tamen apparet atque extat vtrum ſimus earũ rerum rudes, an didicerimus. 2. de Orat.

Aliena & videmus & curuamus, noſtra non cernimus. 145

FIt neſcio quo pacto, vt magis in alijs cernamus, ſi quid delinquitur, quàm nobiſmetipſis. 1. Offic.

Aliorum patroni, noſtra tenere, tuerique

 non

non poſſumus. 3. de Orator.

Satis ſuperque ſit cuique ſuarum rerum cura alienis nimis implicari moleſtum eſt. In Lælio.

Alterum alterius auxilio non eget. 146

NVllum eſt genus rerum, quod aut auulſum à cæteris, per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careant, vim ſuam atque æternitatem conſeruare poſſint. 3. de Orat.

Quæ vicinitas probanda. 147

LAudanda eſt, vel amanda potius vicinitas retinens veterem illum officij morem, non infuſcata maleuolentia, non aſſueta mendacijs, non fucata, non fallax, non erudita artificio ſimulationis, vel ſubburbano, vel etiam vrbano Pro Planc.

Similitudo amicitiam parit: & odium diſſimilitudo contrahit. 148

MAgnam vim habet ad coniungendas amicitias, ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo. Pro Cluent.

Pares cum paribus facillimè congregantur. Cato Maior.

Nihil eſt quod tam attrahat & alliciat ad amicitiã, quàm ſimilitudo, qua fit vt bonos boni diligant, aſciſcantq; ſibi quaſi propinquitate coniunctos, atque natura; nihil eſt enim appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quàm natura. Hinc conſtat bonis inter bonos quaſi neceſſariam beneuolentiã eſſe. In Lælio.

Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur: nec ob aliam cauſam vllam, boni im-

probis amici eſſe non poſſunt, niſi ꝙ tanta eſt inter eos, quanta maximè poteſt eſſe, morum ſtudiorumq́; diſtantia. In Lælio.

Natura, quàm doctrina vtilior. 149

MVlti ſine vlla doctrina naturam ipſam ſecuti, multa laudabilia fecerũt. 3. de Finibus.

Sæpius ad laudem atq; virtutem natura ſine doctrina, quàm ſine natura valuit doctrina. Pro Archia Poëta.

Omnes tacito quodam ſenſu, ſine vlla arte aut ratione, quæ ſunt in artibus ac rationibus recta, ac praua dijudicant. 3. de Orat.

Meliora ſunt ea, quæ natura, quàm quæ arte perfecta ſunt. 1. de Nat. deor.

Nulla ars imitari naturæ ſolertiam poteſt. 1. de Nat deor.

Omnis natura artificioſa eſt, & habet quaſi viam quandam & ſectam, quã ſequatur. 2 de Nat. deor.

Ars, quàm natura certior. 150

SIne doctrina ſi quid bene dicitur, adiuuante natura, tamen id quia fortuitò fit, ſemper paratum eſſe non poteſt. De claris Orat.

Etſi ingenijs magnis præditi quidam, dicendi copiam ſine ratione conſequuntur, ars tamen eſt dux certior, quàm natura. Aliud eſt enim poëtarum more verba fundere: aliud ea quæ dicas, ratione & arte diſtinguere. 4 de Finib.

Quæ bona ſunt, fieri meliora poſſunt doctrina: & quæ nõ optima, aliquo modo acui tamen & corrigi poſſunt. 1. de Orat.

Nemo

Nemo ſcribat, niſi docte. 151

VIdetur quicquid literis mandatur, id commendari omniū eruditorum lectione dicere. Lectionem ſine vlla delectatione negligo. 2.Tuſc.

Mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis. 1.Tuſc.

Memoria. 152

MEmoria, eſt ſignatarum rerū in mente veſtigium. 1.Tuſc.

Memoria minuitur, niſi exerceas eam: nunquam tamen quenquam ſenum audiui oblitum, quo loco theſaurum obruiſſet. Cato Maior.

Rerum omnium theſaurus memoria: quæ niſi cuſtos inuentis, cogitatisq; rebus & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam ſi pręclariſſima fuerint, in oratore perituta. 1.de Orat.

Memoria non modo philoſophiam, ſed omnis vitæ vſum omnesq; artes vna maximè continet. 2.Acc.

Principium. 153

PRincipij nulla eſt origo. Nam ex principio oriuntur omnia. 1.Tuſcul. & in Somn.Scip.

Omnium rerum principia parua ſunt, ſed ſuis progreſſionibus vſa augentur. 5. de Finibus.

Priucipijs cognitis, multò facilius extrema intelliguntur. Pro Cluent.

Vſus.

Vſus. 154

NEc medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperũt, quicquam magna laude dignum, ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt. 1. Offic.

Vſus, magiſter eſt optimus. Pro Caio Rabir. Poſth.

Vſus frequens, omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. 1. de Orat.

Stilus, eſt optimus & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter. 1. de Orat.

Addit interdum non nihil ipſa patria & locus ad ingenium. 155

ACutiora ſunt ingenia, & ad intelligendum aptiora eorũm, qui terras incolunt eas, in quibus aër ſit purus ac tenuis: quàm illorum qui vtuntur craſſo cœlo aëreq; concreto: quinetiam cibo quo vtaris, intereſt aliquid, ad mentis aciem. 2. de Natura deor.

Temiſtocles. Cato Maior. In Apop. 6.

Præclara rara, eaq; difficilia. 156

OMnia præclara rara: nec quicquam difficilius, quàm reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. In Lælio.

In omni arte, vel ſtudio, vel quauis ſcientia optimum quidq; rariſſimum. 2. de Fin.

Quod præclarum, idem arduum 3. Tuſ.

Quò quid difficilius, hoc p̃clarius. 1. Of.

Quæ rara, atque ardua ſunt, ea ex principio pulchra & iucunda hominibus videri ſolent. 2. de Inuent.

Rebus

Rebus maximis difficultatem ipſa natura propoſuit Noſtrum.

Difficile in dicendo omnibus ſatisfacere. 157

MAgnum onus eſt atque munus, ſuſcipere ac profiteri, ſeſe omnibus ſilentibus vnum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. Adeſt enim ferè nemo quin acutius atque acrius vitia in dicente quàm recta videat Ita quicquid eſt in quo offenditur, id etiam illa quę laudanda ſunt, obruit: & quoties dicimus, toties de nobis iudicatur. Nec quicquam eſt tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, quàm id in quo deliquaris. 1. de Nat deor.

[*Quæ ſit cauſa paucitatis Oratorum, & quibus de cauſis in dicendo timeamus, primò de Oratore oſtenditur.*]

Nos vitiorum magis, quàm virtutum meminimus. 158

NOn tam ea quæ recta ſunt probantur, quàm quæ praua ſunt, faſtidijs adhærrent. 1. de Orat.

Nihil eſt tàm inſigne, nec tam ad diuturnitatis memoriam ſtabile, quàm id, in quo aliquid offenderis. 1. de Orat.

Multò acrior eſt memoria improborū, quàm bonorum. Pro Flacco.

Homines imperiti, facilius quod ſtultè dixeris, reprehendere, quàm quod ſapienter tacueris, probare poſſunt. 2. de Orat.

Qui citandi ex hiſtorijs. 159

EX annalium monimentis teſtes excitamus eos, quorum omnis vita conſumpta

pta eſt in laboribus glorioſis. 2.de Finib.

Exempla ex vetere memoria & monimẽtis ac literis plena dignitatis, plena antiquitatis, hæc plurimùm ſolent & autoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum. 5.Act.in Verr.

Cuius prædicatio omnibus nondum grata eſt, hunc memoriæ potius, quàm vocis teſtimonio confirmemus. Philip.11.

Videndum eſt, ne quos ob beneficia diligi volemus, eorum laudem atque gloriam, cui maximè inuideri ſolet, nimis efferre videamur. 2.de Orat.

Accuſator vacet omni crimine, veniatq́; ad accuſandum, non ſtudio ductus, ſed officio. 160

CArere debet omni vitio, qui paratus eſt in alterum dicere: is demum maledicit, qui non poteſt verum ab altero audire. Recr.in Salluſt.

Nulla ſalus Reipu. maior eſt, quàm eos, qui alterum accuſant, nõ minus de laude, & honore, de fama ſua, quàm illos qui accuſantur de capite, de fortunis ſuis pertimeſcere. Itaque ſemper hi diligentiſſimè laborioſiſſimeq; accuſarunt, qui ſe ipſos in diſcrimen exiſtimationis venire arbitrabantur. Ex diuin in Verr.

Multa eſſe oportet in eo qui alterum accuſet, primùm integritatem atq; innocentiam. Nihil eſt enim quod minus ferendum ſit, quàm rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere. Accuſare enim debent ij, qui nullo ſuo peccato

impediuntur, quò facilius alterius peccata demonſtrare poſſint. Ex diuin. in Verr.

Omnes, qui alterum in iudicium vocãt, prouidere debent, non ſolùm quid oneris in præſentia tollant, ſed etiam quantum in omnem vitam negocij ſuſcipere conentur. Legem enim ſibi ipſi indicant innocentiæ, continentię, virtutumq; omniũ, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt, atq; eò magis, ſi id faciant nulla re commoti, niſi vtilitate cõmuni. Nam qui ſibi hoc ſumpſit, vt mores corrigat aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe à religione officij declinarit? 5. act. in Verr.

Poſtulatur ab omnibus, vt ab ijs ſe abſtineant maximè vitijs, in quibus alterum reprehenderũt. Furem aliquem aut rapacem accuſaris? vitanda tibi ſemper erit omnis auaritiæ ſuſpicio. Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem? cauendum erit ſemper ne qua in re aſperior, aut inhumanior fuiſſe videare. Corruptorem, adulterum? prouidendum diligenter ne quod in vita veſtigium libidinis appareat. Omnia poſtremò quæ vindicaueris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modò accuſator, ſed ne obiurgator quidẽ ferendus eſt is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſo deprehenditur. 5. Act. in Verr.

Nihil eſt tam inhumanũ, quàm eloquentiam, &c. 2. Offic. Vide Eloquentia, 18.

Nihil eſt tam alienum ab eo qui alterum coniurationis accuſet, quàm videri coniu-

coniuratorum pœnam, mortemq; lugere. Pro Silia.

Sine ſummo ſcelere non potes quod maleficium in alijs vindicaris, idem in illorum ſocio, cùm ſcires, defendere. Pro Silla.

Danda eſt opera ne quid contra æquitatem contẽdas, ne quid pro iniuria. 2. Offic.

Hoc præceptum officij diligenter tenendum eſt, ne vnquam innocẽtem iudicio capitis accerſas. Id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt. 2. Offic.

Accuſatores multos eſſe. Pro Roſ. Amer. Vide, Præmio & pœna Reſpublica continetur, 161.

Vtilius eſt abſolui innocẽtem, quàm innocẽtem cauſam dicere. Pro Roſc. Amer.

Impediri bonam rem eſt melius, quàm concedi malam. 3. de Legib.

[*Tu & quàm rarò, & quatenus accuſandum ſit, ſecundo Offic. legito, capite, Prima igitur.*]

Præmio & pœna Reſpublica continetur. 161

NEc domus, nec Reſpub. ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec ſupplicia peccatis. 3. de Nat. deor.

Legibus præmia propoſita ſunt virtutibus, & ſupplicia vitijs. 1. de Orat.

Verus, iuſtus, atque honeſtus labor, honoribus, præmijs, ac ſplendore decoratur: vitia autem hominũ, atq; fraudes, damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte mulctantur. 1. de Orat.

Improbis pœna ſtatuenda eſt: nec minor verò ijs, qui ſecuti erunt alterum, quàm ijs qui

qui ipſi fuerint impietatis duces. In Lælio.

Quos ipſa natura retinere in officio non poteſt, ij magnitudine pœnę maleficio ſubmoueri debent. Pro Roſc. Amer.

Quotuſquiſq; reperietur, qui impunita te propoſita abſtinere poſſit iniuria? impunitas peccandi maxima eſt illecebra. 3. Offi.

Non ſatis eſt eum qui laceſſerit, iniuriæ ſuæ pœnitere, vt ipſe, ne quid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad iniuriam tardiores. 1. Offic.

Eſt vtilius, vnius improbi ſupplicio multorum improbitatem coërcere, q̃ propter multos improbos vni parcere. 5. act. in Ver.

Accuſatores multos eſſe in ciuitate vtile eſt, vt metu contineatur audacia. Verũ hoc ita eſt vtile, vt ne planè illudamur ab accuſatoribus Pro Roſc. Amer.

Vt medici membrum ſępe putrefactum. In Vatin. In Similib.

In corpore ſi quid eſt. Phil. 9. In Simil. 16.

Vt membra quædam amputantur. 3. Offic. In Simil. 17.

Rebus proſperis, conſulendum eſt aduerſis. 162

OMnes, cùm ſecundæ res ſunt, tũ maximè ſecum meditari oportet quo pacto aduerſam ærumnam ferant. 3. Tuſc.

Sapienter cogitant qui temporibus ſecũdis caſus aduerſos reformidant. 4. ad Her.

Socius, & eius officia. 163

SOcij putandi ſunt, quos inter res communicata eſt. 5. act. in Verr.

In rebus minimis ſociũ fallere turpiſſimum

mum eſt, propterea quòd auxilium ſibi ſe putat adiunxiſſe, qui cum altero rem communicarit. Pro Roſc. Amer.

Nemo ferè credit niſi ei quẽ fidelem putat: Perditiſſimi eſt igitur hominis & amicitiam diſſoluere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi crediſſet. Pro Roſ. Amer.

Literas ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium proferre, palamq; recitare, nihil eſt aliud, quàm tollere è vita vitæ ſocietatem, tollere amicorũ colloquia abſentium: multa enim loca eſſe ſolent in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur: & multa ſeria, neque tamen vllo modo diuulganda. Philip. 2.

Aequè perfidioſum ac nefarium eſt, fidẽ frangere, quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & ſociũ fallere, qui ſe in negocio coniunxit. Pro Roſc. Comœd.

Neceſſe eſt qui ſocium fama & fortunis ſpoliare conatus eſt, vnũ ſe & perfidioſum & impium eſſe fateatur. Pro Quint.

Tecti ad alios eſſe poſſumus: ſocium verò cauêre qui poſſumus? quem etiamſi metuimus, ius officij lædimus. Vnde maiores, eum qui ſocium fefelliſſet, in virorum bonorum numero nõ putarunt haberi oportere. Pro Roſc. Amer.

Nihil præter laudem bonis atq; innocentibus ex ſocijs reportandum eſt. 3. de Leg.

Agricultura. 164

OMnium rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil

nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine li bero dignius. 1. Offic.

Vita ruſtica, quam nos agreſtem vocamus, parſimoniæ, diligentiæ, iuſtitiæ magiſtra eſt. Pro Roſc. Amer.

Vita ruſtica, maximè diſiuncta eſt à cupiditate, & cum officio coniuncta. Pro Roſcio Amer.

Agricolæ ſemper ita viuunt, vt quęſtum noſcant nullũ, fructum autem eum ſolùm, quem labore pepererint. Pro Roſc. Amer.

Hominũ generi vniuerſo cultura agrorum eſt ſalutaris. Nulla vita beatior eſſe poteſt. Neq; ſolùm officio, ſed & delectatione & ſaturitate, copiaq; rerum omnium, quæ ad victum hominum & cultum etiam pertinent. Cato Maior.

Ipſa ratio arandi, ſpe magis & iucunditate quadam, quàm fructu atq; emolumento tenetur. Etenim ad incertũ caſum & euentũ, certus quotannis labor, & certus ſumptus impenditur. Annona porrò pretium, niſi in calamitate fructuum, non habet. Si autem vbertas in percipiẽdis fructibus fuerit, conſequitur vilitas in vendendis, vt aut malè vendendum intelligas, ſi proceſſit: aut malè perceptos fructus, ſi rectè licet vendere. Totæ autem res ruſticæ eiuſmodi ſunt, vt eas non ratio, neque labor, ſed res incertiſſimę, venti, tempeſtatesq; moderentur. 5. act. in Verr.

[Tu plenius legito, quibus perfruantur voluptatibus boni ſenes agricolæ, in libello qui Cato Maior dicitur.]

Seruien-

Seruiendum eſt valetudini. 165

VBique moderatio virium adſit, & tantum quantum quiſq; poteſt, vitatur. Cato Maior.

Non modò quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem cogimur: Cato Maior.

Habenda eſt ratio valetudinis: vtendum exercitationibus modicis. Cato Maior. vide Sobriè videndum. 53.

Amor publicus præferatur priuato. 166

TAutum fraterno amori dandum non arbitror, vt quiſquam de ſalute ſuorum conſulat, communem relinquat. Pro Silla.

Non poſſunt vna in ciuitate multi rem atque fortunas amittere, vt non plures ſecum in eandem calamitatem trahant. Pro lege Manil.

Non eſt magis vituperãdus proditor patriæ, quàm communis vtilitatis aut ſalutis deſertor propter ſuam vtilitatem aut ſalutem. 3. de Finib.

Ex multis meliora. 167

E Varijs ſumendum eſt optimum. 1. de Legibus.

Non ſolùm ex malis minima oportet eligere, ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſiquid inſit boni. 3. Offic.

In duobus malis fugiendũ maius, leuius eſt eligendum. Cic. ad Q. frat.

In cæteris ſtudijs à multis eligere homines commodiſſimum quodque ſolent. 2. de Inuentione.

Ex mini-

Ex minimis ſæpe maxima. 168

IN minimis rebus ſæpe res magnæ deprehenduntur. Pro Flacco.

Minimis momentis maximæ temporum inclinationes fiunt. Phil.5.

Dies affert & hora magnas ſæpe clades. Philip.3.

Maledictum emiſſum, per omnium aures ſtatim funditur. 169

NIhil eſt tam volucre, quàm maledictum, nihil facilius emittitur, nihil latius diſſipatur. Pro Plancio.

Nemo in re ſua teſtis. 170

MOre maiorum comparatum eſt, vt in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent. Pro Roſc. Amer.

Noluerunt maiores noſtri, hanc patêre inimicitijs viam, vt quem quiſque odiſſet, eum teſtimonio poſſet tollere. Ementiuntur enim ſæpe in eos quos oderunt. Pro Fonteio.

Nemo eo quod habet contentus. 171

SVæ quenque fortunæ pœnitet. Cicer. Torq. Famil.6.

Suam quiſq; conditionem miſerrimam putat. Cic. Torq. Famil.6.

Quod cuique. 1. Offic. Vide Alterum ne læſeris, 103.

Contentum eſſe. Parad. vlt. Vide Diues.

Diues. 172

OMnes ſunt diuites (dicũt Stoici) qui cœlo & terra frui poſſunt. 1. Offic.

Eum intelligimus diuitem, cui tanta poſ

ſeſſio eſt, vt ad liberaliter viuendum, facilè contentus ſit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Parad. vlt.

Contentum ſuis rebus eſſe, maximę ſunt certiſſimæq; diuitiæ, Parad. vlt.

Pauper. 173

EGens eſt, qui non ſatis habet, & is cui nihil ſatis poteſt eſſe. 4. ad Heren.

Improbi & auari quoniam incertas, & in caſu poſitas poſſeſſiones habent, & plus ſamper appetunt: nec eorum quiſquam adhuc inuentus eſt, cui quod haberet, eſſet ſatis, non modò non copioſi ac diuites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſtimandi ſunt. Parad. vltimo.

[*Tu, qui diues, vel verè pauper dicatur, leges vltimo Ciceronis Parad.*]

Diues vix bonus. 174

DIfficile eſt virtutes eum reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit vſus. 4. ad Herennium.

Pecunia & Diuitiæ. 175

EXpetuntur diuitiæ, tum ad vitæ vſus neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. 1. Offic.

Pecuniæ quærendæ non ſolùm ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quę perpetuos ſumptus ſuppeditēt, nec ſolùm neceſſarios, ſed etiam liberales. 2. Offic.

Pecunia effectrix multarum & magnarū voluptatum: pecunia voluptates pariuntur maximæ. 2. de Finib.

Omnia pecunia effici poſſunt. 5. actio. in Verrem.

Auaritia.

Auaritia. 176

DVæ ſunt res, quæ maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia. 2 ad Heren.

Corrupti ſunt, deprauatiq; mores admi rationediuitiarum. 2.Offic.

Nihil eſt tam ſanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. 2 act.in Verr.

Nullum eſt officium tam ſanctum, atque ſolenne, quod non auaritia comminuere, atque violare ſoleat. Pro Quintio.

Nemo tam firmum habuit præſidium, quod auaritia non infregerit atque debilitauerit. In Vatin.

Auaritia, eſt opinio vehemens de pecunia. 4.Tuſc.

Illi morbo qui permanat in venas, & inhæret in viſceribus, nec inueteratus euelli poteſt, nomen eſt Auaritia. 4 Tuſc.

Magno malo eſt hominibus auaritia, idcirco ꝙ homines magnis, & multis incommodis conflictantur propter immenſam pecuniæ cupiditatem. 2.ad Heren.

In quibuſdam neq; pecuniæ modus eſt, neq; cupiditatum, quos nulla prędą vnquã improbè parta minuit, ſed auget potius atque inflammat. 1.de Finib.

Nunquam expletur nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neque ſolùm ea qui habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. Parad.1.

Auaritia inſatiabilis, immenſa & incredibilia poteſt. Ita enim hominum mentes

obſtrictas tenet, vt eas nullo tempore reſpirare permittat. In Vatin.

Nullum eſt vitium tetrius, quàm auaritia, præſertim in principibus, & Rempubl. gubernantibus: habere enim quæſtui Rem publ. non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. 2.Offic.

Quid fœdius auaritia? 1.de Leg.

Auaritia ſenilis vituperāda eſt maximè. Poteſt enim quicquā eſſe abſurdius, quàm quò minus viæ reſtat, eò plus viatici quærere? Cato Maior.

Multi pauperes. 177

COpiæ paruæ ſingulorum ſunt. Eorum autem qui ijs egeant, infinita multitudo. 1.Offic.

Singulorum opes ſæpe ſunt tenues & infirmæ ad gratiam referendam, vt opitulari benemerentibus non queant, ſi maximè cupiant. Antequam iret in exilium.

Quæ ſit liberis à patribus relinquenda hæreditas. 178

OPtima hæreditas, quæ à patribus traditur liberis, omni patrimonio præſtantior, eſt gloria virtutis rerumq; geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas & vitium iudicandum eſt. 1.Offic.

Licet patri apud filium gloriari, ad quem hæreditas ſuæ huius gloriæ & factorum imitatio pertinet. 1.Offic.

Nullum monumentum pater clarius relinquere poteſt, quàm effigiem morū ſuorum, virtùtis, conſtantiæ, pietatis, ingenij, filium. Philip.9.

Quid

Quid propriè noſtrum. 179

NIhil meum eſt, neque cuiuſquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt. Parad. 4.

Id cuiuſq; eſt proprium, quo quiſq; frui tur, atq; vtitur. Cic. Curio Famil. 7.

Oculi augent dolorem. 180

QVocunq; in loco quiſquis eſt, idem eſt ei ſenſus & eadem acerbitas ex in teritu rerum & publicarum & ſuarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere à miſerijs cogitationem ſinunt. Cic. Torq. Famil. 6.

Acerba audire tolerabilius eſt, quàm videre. Cic. Curio, Famil 7.

Facilius ad ea quę viſa ſunt, quàm ad illa quæ audita ſunt, oculi mentis feruntur. 3. de Nat. deor.

A conſuetudine oculorum animum abducere difficillimum eſt. 2. de Nat. deor.

Nihil eſt difficilius, quàm à conſuetudine oculorum, mentis aciem abducere. 2. de Nat. deor.

Non audire, vel quod audis, non intelligere, vtrunq; iuxta exiſtimo. 181

IN his linguis, quas non intelligimus, ſurdi profectò ſumus. 5. Tuſc.

Verba neminem mouent, niſi eum, qui eiuſdem linguæ ſocietate coniunctus eſt. 3. de Orat.

Varietas grata. 182

AD aures noſtras, & ſermonis ſuauitatem nihil eſt viciſſitudines varietate,

& commutatione aptius. 3. de Orat.

Nihil eſt aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum varietates, fortunæq́; viciſſitudines: quæ etſi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ. Cic. Luceio, Famil. 5.

Mulieres diutius, quàm viri antiquitatem retinent. 183

FAcilius mulieres incorruptam antiquitatem conſeruant, ꝙ multorum ſermonis expertes, ea tenent ſemper quæ prima didicerunt. 3. de Orat.

Mulierum famam, multorum oculis lux clara cuſtodiat. 2. de Legib.

Durum eſt filium patris delicto impediri. 184

EST acerbum, parentum ſcelera filiorũ pœnis lui. Cic Bruto.

Plerique fruſtra rogantur. 185

QVi maleuolo ſunt animo, deteriores ſunt rogati. Cic. Curioni, Fam. 2.

Fruſtrà eos appellamus, quorum auris atque animus à nobis abhorret. Cicero ad Quint fratr.

Proprium animi ingenui. 186

EST animi ingenui, cui multũ debeas, eidem plurimum velle debere. Cice. Curioni, Famil. lib. 2.

Neceſſitas. 187

NEceſſitas cogit, quod non habeas, aliunde ſumere. 3. de Orat.

Furtum turpiſſimum. 188

NIhil eſt turpius ingenuo, nihil minus libero dignum, quàm in conuentu maxi-

maximo cogi à magiſtratu furtum redde-
re. 4.act.in Verr.

Carè emitur quod precibus impetratur. 189

MAlo emere, quàm rogare. 6. actio. Verrem.

Eſt ei, ſerendum qui cupiat colligere. 190

ESt liberale officiũ, ſerere beneficium, vt metere poſſis fructum. Antequam iret in exilium.

Secunda fortuna ab homine maximè expetitur. 191

HOmini nihil eſt magis optandũ, quàm proſpera, æquabilis, perpetuaq; fortuna ſecundo vitæ ſine vlla offenſione curſu. Ad Quir. poſt red.

Etſi optabilius eſt vitę curſum conficere ſine dolore & ſine iniuria, tamen ad immortalitatem gloriæ plus affert, deſideratum eſſe à ſuis ciuibus, quàm omnino nunquam eſſe violatum. Pro domo ſua.

In omni vita nihil eſt ad laudẽ illuſtrius, quàm ipſa calamitas. Pro domo ſua.

Fauendum nobilitati. 192

OMnes boni ſemper nobilitati fauemus, & quia vtile eſt Reipublicæ nobiles eſſe homines, dignos maioribus ſuis, & quia valere debet apud nos clarorũ hominum ſenex de Republ. meritorum memoria, etiam mortuorum. Pro Seſt.

Non minus debemus ijs: à quibus conſeruamur, quàm à quibus naſcimur. 193

NOn minus iucundi atq; illuſtres ſunt hi dies, quibus conſeruamur, quàm

illi quibus naſcimur: ꝙ ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio: & quòd ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate conſeruamur. 3.Inuect.in Catil.

Onus dici non debet quod ſponte ſuſcipias. 194

ONus non eſt appellandum, quod cùm lætitia feras ac voluptate. 5. actio.in Verr.

Multi, etſi de eadem re contendant, vnus tantùm vincere poteſt. 195

CVm multi pares dignitate ſint, vnus tamen primum locum ſolus poteſt obtinere. Pro Muræna.

Quicquid eſt eiuſmodi. 1.Offic. Vide Ambitio,72.

Pax. 196

PAx, eſt tranquilla libertas. Philip.2.

Dulce eſt nomen pacis: res verò ipſa, cùm iucunda, tum ſalutaris. Philip.13.

Nihil eſt tam populare quàm pax, qua non modò ijs quibus ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta atq; agri mihi lætari videntur: Pro Leg.Agr.contra pop.

Nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris. Philip.2.

Paci quę nihil habet inſidiarum, ſemper eſt conſulendum. 1.Offic.

Pax eſt repudianda, ſi ſub eius nomine latitet bellum. Philip.12.

Leges, aut iudicia eſſe non poſſunt pace ſublata. Philip.8.

Bellum. 197

SVſcipienda bella ſunt, vt in pace ſine

iniuria viuatur. I. Officiorum.

Non ſolùm aduentus belli, ſed metus ipſe affert calamitatem. Nam cùm hoſtium copiæ non longè abſunt, etiamſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. Pro lege Manil.

Incerti ſunt exitus pugnarum, Marsque eſt communis, qui ſæpe ſpoliantem iam & exultantem euertit, & perculit ab abiecto. Pro Milone.

Incertus eſt exitus & anceps fortuna belli. Pro M. Marcello.

Incerti ſunt exitus belli, Mars communis. Philip. 10.

Incertus eſt belli exitus. Philip. 13.

Omnium bellorum exitus incerti ſunt. Cic Torq. Famil. lib 6.

Omnis belli Mars eſt communis, & ſemper incerti exitus præliorum ſunt. Cicero Torq. Famil. lib. 6.

Armorum exitus ſemper incerti & timẽdi. Cic. Attico, lib. 7.

Bellum ciuile. 198

CIuile bellum pernicioſiſſimum. Cic. Attico, lib. 8.

Omnia ſunt miſera in bellis ciuilibus, ſed miſerius nihil quàm ipſa victoria, quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioresque reddit, vt etiamſi natura tales non ſint, neceſſitate tamen eſſe cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio per quos vicit etiam inuito facienda ſunt. Cic. Marcello, Famil. lib. 4.

Bellorum ciuiliũ hi ſemper exitus ſunt, vt non ea ſolùm fiant quæ velit victor, ſed etiam vt ijs mos gerendus ſit, quibus adiutoribus parta ſit victoria. Cice. Cornificio, Famil. lib. 12.

Nihil viro bono & quieto, & bono ciui magis conuenit, quàm abeſſe à ciuilibus controuerſijs. Cic. Attico, lib. 9.

Victoria. 199

VIctoria eſt ſemper inſolens. Cicero Seru. Sulp. Famil. lib. 4.

Victoria, natura & inſolens & ſuperba eſt. Pro Marcello.

Facilis victoria, ſi repugnet nemo. 200

FAcile eſt vincere non repugnantem. 1. Tuſc.

Nulla eſt laus, ibi eſſe integrum, vbi nemo eſt, qui aut poſſit, aut conetur corrumpere. 2. act. in Verr.

Vetus odium vix occidit. 201

HOc natura eſt inſitum, vt quem timueris, quicum de vita, fortuniſque contenderis, cuius ex inſidijs euaſeris, hũc ſemper oderis. Pro Silla.

Spes. 202

SOla ſpes hominem in miſerijs conſolari ſolet. Inuect. 4. in Catil.

Non deſinit quis eſſe medicus, etiam ſi non curetur ægrotus. 203

AEgri, quia non omnes conualeſcunt, non idcirco nulla medicina eſt. 2. de Natura Deorum.

Non

Non domo dominus, ſed domino domus commendari debet. 204

NOn domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt 2.de Diuin.

Qui laude non ducitur, nec metu quoque mouebitur. 205

SI laus allicere nos ad rectè faciendum non poteſt, nec metus quidem à fœdiſſimis factis poteſt auocare. Pro Milone.

Omnes non tam gloriæ mouentur, quàm ignominiæ. 206

QVis honorem, quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus tam vnquam expetit, quàm vt ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? Partit. Orat.

Nemo eſt tam agreſtis, quem ſi non ipſa honeſtas, contumelia tamen & dedecus magnopere moueat. Partit. Orat.

APOPHTHEGMATA ALIQVOT, SEV graues multorum ſententiæ, ex M. T.C.

LIBER II.

Temiſtocles. 1

APVD Grȩcos fertur incredibili quadam magnitudine conſilij atq; ingenij Athenienſis ille fuiſſe Temiſtocles, ad quem quidam doctus homo, atq; in primis eruditus acceſſiſſe dicitur, eiq; artem memoriæ, quæ tum primum proferebatur, pollicitum eſſe ſe traditurum. Cùm ille quæſiſſet quidnam illa ars efficere poſſet dixiſſe illum doctorem, vt omnia meminiſſet. Et ei Temiſtoclem reſpondiſſe, gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe obliuiſci quæ vellet, quàm ſi meminiſſe docuiſſet. Cuius reſponſi, his verbis, & eleganter & ingenioſè Cicero meminit: Nō ſum tanto ego ingenio, quāto Temiſtocles fuit, vt obliuionis artem quàm memoriæ malim: gratiamq; habeo Simonidi illi Chio quem primum ferunt artem memoriæ protuliſſe. Dicunt enim cùm cœnaret Granone, &c. 2. de Orat. 2

Temiſtocli, cùm Simonides, aut quis alius, arté memoriæ polliceretur: Obliuionis (inquit) mallem. Nam memini eorum quæ nolo, obliuiſci non poſſum quæ volo. 4. de Finib. & 4. Acad. 3

Temiſtoclem illum ſummum Athenis virum dixiſſe aiunt, cùm ex eo quæreretur quod acroama (id eſt dictum) aut cuius vocem libentiſſimè audiret: Eius, à quo ſua virtus optimè prædicaretur. Pro Arch. Poëta. 4

Temiſtocles, cùm conſuleretur, vtrum bono viro pauperi, an minus probato diuiti filiam collocaret: Ego (inquit) malo virum qui pecunia egeat, quàm pecuniam quæ viro. 2. Offic. 5

Noctu ambulabat in publico Temiſtocles, quòd ſomnum capere non poſſet: quęrentibusq; reſpondebat, Milciadis trophęis ſe è ſomno ſuſcitari. 4. Tuſcul. 6

Temiſtoclem ferunt. Seriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe, cùm ille dixiſſet, non eũ ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum: Nec hercule (inquit) ſi ego Seriphius eſſem, nobilis eſſem, nec tu ſi Athenienſis eſſes, clarus vnquàm fuiſſes. Cato Maior.

Plato. 7

PLato tum deniq; fore beatas Reſp. putauit, ſi aut docti, aut ſapientes homines eas regere cœpiſſent: aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Cic. Q. fratri. 8

Vir nemo probus ab improbo ſe donari vult. Donis impij ne placare quidem audeant

deant

deant Deos. 2. de Legib. 9

Quales in Repub. Principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues. Cicero Lentulo, Famil. lib. 1. 10

Beatus eſt cui in ſenectute contigerit vt ſapientiam, verasq; opiniones aſſequi poſſit. 5. de Finibus. 11

Non solùm nobis nati ſumus, ortusque noſtri partem patria vendicat, partem amici. 1. Offic. 12

Scientia quæ eſt remota à iuſtitia, calliditas potius, quàm ſapientia eſt appellanda. 1. Offic. 13

Oculorũ eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus ſapientiam non cernimus, quàm illa ardenteis amores excitaret ſui ſi videretur. 2. de Finibus. 14

Honeſtũ ipſum ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſapientiæ. 1. Off.

Socrates. 15

DVæ ſunt viæ, duplicesq; curſus animorum, è corpore exeuntium. Nam qui ſe vitijs humanis contaminarunt, & ſe totos libidinibus tradiderunt, ijs deuium quoddam iter eſt ſecluſum à cõcilio Deorum: qui autem ſe integros caſtosq; ſeruarunt, quibusq; fuit minima cum corporibus contagio, ſuntq; in corporibus humanis vitam imitati Deorum, ijs ad illos à quibus ſunt profecti, facilè patet reditus. 1. Tuſcul. 16

Socrates (vt eſt apud Platonem) cùm ſe morte mulctatum videret: Magna me ſpes, inquit, tenet Iudices, bene mihi euenire, quòd

quòd mittar ad mortem: ſed tempus eſt iam hinc abire me, vt moriar, vos vt vitam agatis. 1. Tuſcul. 17

Socrates inrerrogatus à iudicibus, quam æſtimationem commeruiſſe ſe maximè cõfiteretur: Reſpondit ſe meruiſſe, vt ampliſſimis honoribus & præmijs decoraretur, & vt ei victus quotidianus in pritaneo publicè præberetur, qui honos apud Græcos maximus habebatur. Cuius reſponſo ſic Iudices exarſerunt, vt capitis hominem innocentiſſimum condemnarent. 1. de Orat. 18

Cùm Socrati ſcriptam orationem diſertiſſimus orator Liſias attuliſſet, quam ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio vteretur, non inuitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: Sed, inquit, vt ſi mihi calceos Sicionios attuliſſes, non vterer, quamuis eſſent habiles & apti ad pedem, quia non eſſent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi, & oratoriam videri, fortem & virilem non videri. 1. de Orat. 19

Socrates rogatus à Critone, quemadmodum ſepeliri vellet: Multam verò, inquit, operam amici fruſtra conſumpſi. Critoni enim noſtro non perſuaſi me hinc auolaturum, neque quicquam me relicturum. Verumtamen Crito ſi me aſſequi potueris, aut ſicubi nactus eris, vt tibi videbitur, ſepelito. Sed mihi crede, nemo me veſtrum, cùm hinc exceſſero, conſequetur. 1. Tuſcul. 20

Cùm

Cùm ex Socrate eſſet quæſitum, Archelaum Perdicæ filium, qui tum fortunatiſſimus habebatur, nónne beatum putaret: Haud ſcio, inquit: nunquam enim cum eo locutus ſum. An tu aliter ſcire non potes? Nullo modo. Tu igitur ne de Perſarũ quidẽ Rege magno potes dicere, beatúsne ſit? An ego poſſum, cùm ignorem, quàm ſit doctus, quàm vir bonus? Quid? tu in eo ſitam vitam beatam putas? Ita prorſus exiſtimo, bonos beatos, improbos miſeros. Miſer ergo Archelaus? Certè, ſi iniuſtus. 5. Tuſcul. 21

Socratem ferunt, cùm vſq; ad veſperum contentius ambularet, quæſitumq́; eſſet ex eo, quare id faceret, reſpondiſſe ſe, quò melius cœnaret, obſonare ambulando famem. 5. Tuſcul. 22

Qualis cuiuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem Socrates diſſerebat: qualis autem homo ipſe eſſet, talem eius eſſe orationem: orationi autem facta ſimillima, factis vitam. 5. Tuſcul. 23

Cùm multa in conuentu vitia collegiſſet in eum Zopirus, qui ſe naturam cuiuſq; ex forma perſpicere profiteretur, deriſus eſt à cæteris, qui illam in Socrate non agnoſcerent. Ab ipſo autem Socrate ſubleuatus eſt, cùm illa ſibi ſigna ineſſe, ſed ratione à ſe deiecta diceret. 4 Tuſcul. 24

Socrates cùm rogaretur, cuiatem ſe eſſe diceret, Mundanum, inquit, totius enim mundi ſe incolam & ciuem arbitrabatur. 5. Tuſcul. 25

Socrates

Socrates hãc viam ad gloriam proximã, & quaſi compendiariam dicebat, ſi quiſq; id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. 2. Offic. 26

Cibi condimentum eſt fames, potionis ſitis. 5. Tuſcul.

Apollo Pithius. 27

E Varijs ſumẽdum optimum. 2. de Leg. Noſce teipſum. 1. de Legib. 28

Thale: Mileſius. 29

THales, qui ſapientiſſimus inter ſeptẽ fuit, dicebat homines exiſtimare oportere Deos omnia cernere, Deorumq́; omnia eſſe plena, & fore omnes caſtiores, veluti quo infans eſſet maximè religioſus. 2. de Legibus.

Simonides. 30

QVum à Simonide quæſiuiſſet tiránus Hiero quid, aut quale eſſet Deus. de liberandi ſibi vnum diem poſtulauit. Quum idem ex eò poſtridie quæreret, biduum petijt. Cùm ſæpius duplicaret numerum dierum, admiransq́; Hiero requireret cur ita faceret: Quia quantò (inquit) diutius conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior. 1. de Nat. Deor.

Diagoras. 31

DIagoras cùm Samothraciam veniſſet, Atheos ille, qui dicitur, atque ei quidam amicus, Tu qui Deos putas humana negligere, nónne animaduertis ex tot tabulis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portũq́; ſalui peruenerint? Ita fit, inquit: illi enim nũquam picti ſunt, qui

qui naufragium fecerunt, in mariq; perierunt. Itemq; cùm ei nauiganti, victores aduerſa tempeſtate timidi & perterriti dicerent, non iniuria ſibi illud accidere, qui illum in eandem nauem recepiſſent: oſtendit eis in eodem curſu multas alias laborantes, quæſiuitq; num etiam in ijs nauibus Diagoram vehi crederent. 3. de Nat. Deor.

Solon. 32

SOlon gloriari ſolebat, ſe aliquid quotidie addiſcentem, ſenē fieri. C. Maior. 33

Piſiſtrato tiranno à Solone quærēti, qua tandem ſpe fretus, ſibi tam audacter reſiſteret, reſpondit, Senectute. Cato Maior. 34

Solon, cùm interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat, ne tam prohibere, quàm admonere videretur. Pro Roſcio Amer. 35

Solon rempublicam duabus rebus contineri dicebat, præmio & pœna. Cicer. Brut.

Diogenes. 36

DIogenes Cinicus, Alexandro roganti vt diceret, ſi quid ei opus eſſet: Nunc quidem paululum, inquit, à ſole abſis. offiſciebat videlicet apricanti. Et hic quidem diſputare ſolebat, quantò Regem Perſarū vita, fortunaq; ſuperaret, ſibi nihil deeſſe, illi nihil ſatis vnquam fore. Se eius voluptates non deſiderare, quibus ille nunquā

ſatiari

ſatiari poſſet: ſuas eum conſequi nullo mo do poſſe. 5. Tuſcul. 37

Cùm ab amicis rogaretur Diogenes, vbi vellet inhumari, Proijcite, inquit, me inhumatum. Tum amici, Volucribúſne & feris? Minimè, inquit: ſed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Quì poteris? illi: non enim ſenties. Quì igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil ſentienti? 1. Tuſcul.

Anaxagoras. 38

ANaxagoras quærentibus amicis vellétne Clazomenas in patriam, ſi quid accidiſſet, referri: Nihil neceſſe eſt, inquit: vndiq; enim ad inferos tantundem eſt viæ. 1. Tuſcul. 39

Ferunt Anaxagoram, nuntiata filij morte, dixiſse: Sciebam me genuiſse mortalẽ, quæ vox declarat ijs eſse hæc acerba, à quibus non fuerunt cogitata. 3. Tuſcul.

Leonidas. 40

DVx Leonidas, animans ſuos milites, ſolebat dicere: Prandete animo forti Lacedæmonij, hodie apud inferos fortaſse cœnabimus. 1. Tuſcul.

Lacedæmonij cuiuſdam celebre dictum. 41

LAcedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum eſt, mortẽ tantoperè contempſit, vt cùm adduceretur dãnatus ab Ephoris, & eſset vultu hilari atq; læto, dixiſſetq; ei quidam inimicus, Contẽníſne leges Licurgi? reſpondit, Ego verò illi maximam gratiam habeo, quòd me ea pœna multtauerit, quam ſine mutatione & ſine verſura poſsem diſsoluere 1. Tuſcul.

Cuiuſdam

Cuiuſdam Lacænæ. 42

LAcæna, cùm filium in prælium miſiſſet, & interfectum audiſſet, Idcirco, inquit, genueram, vt eſſet qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. 1. Tuſc.

Epicharmus. 43

EMori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil exiſtimo. 1. Tuſcul.

Circnæus Theodorus. 44

Cirenæo Theodoro cùm liſimachus rex crucem minaretur: Iſtis quæſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil intereſt, humí ne, an ſublimè putreſcat. 1. Tuſcu. 45

Teodorus Liſimacho mortem minitanti, Magnum verò, inquit, effeciſti, ſi cantharidis vim conſecutus es. 5. Tuſcul. 46

Theramenes. 46

THeramenes, cùm coniectus in carcerem, triginta iuſſu tirannorum venenum vt ſitiens obbibiſſet, reliquum ſic è poculo eiecit, vt id reſonaret: quo ſonitu reddito arridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Luſit vir egregius extremo ſpiritu, cùm iã prçcor dijs conceptã mortẽ contineret. 1. Tuſcul.

Telamon. 47

EGo cùm genui te, moriturum ſciui. 3. Tuſcul.

Theophraſtus. 48

THeophraſtus moriens, accuſaſſe naturam dicitur, quòd coruis & cornicibus vitam diuturnã, quorũ id nihil intereſt: hominibus, quorum maximè interfuiſſet,

tam

tam exiguam vitam dediſſet: quorũ ſi ętas potuiſſet eſſe longinquior, futurũ fuiſſe, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. 3 Tuſcul.

Leontinus Gorgias. 49

CVm ex Leontino Gorgia quæreretur, cur tandiu eſſe vellet in uita: Nihil habeo, inquit, quod incuſem ſenectutem. Cato Maior.

Sophocles. 50

CVm ex Sophocle quidam iam confecta ætate quæreret, vteretúrne rebus venereis: Dij meliora, inquit: libenter verò iſtinc tanquam à domino agreſti & furioſo profugi. Cupidis enim taliũ rerum odioſum & moleſtum eſt fortaſſe carere: ſatiatis verò & expletis, iucũdius eſt carere, quàm frui. Cato Maior

Antipater Cirenaicus. 51

ILlud Antipatri Cirenaici eſt quidẽ paulò obſcœnius, ſed non abſurda ſententia eſt: cuius cæcitatẽ cùm mulierculæ lamentarentur: Quid agitis? inquit: an vobis nulla videtur voluptas eſſe nocturna? 5. Tuſc.

Aſclepiades. 52

ASclepiadem ferunt non ignobilem Eretricum philoſophum, cùm quidam quæreret quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondiſſe: Puero vt vno eſſet comitatior. 5. Tuſcul.

Demoſthenes. 53

DOlere ſe aiebat Demoſthenes, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. 4. Tuſcul. 54

Leuiculus

Leuiculus ſanè noſter Demoſthenes, qui illo ſuſurro delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculæ, inſuſurrantisq; alteri. Hic eſt ille Demoſthenes. Quid hoc leuius? At quantus orator: ſed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipſe ſecum. 5. Tuſcul.

Pericles. 55

PEricles cùm haberet collegam in Prætura Sophoclem poëtam, hiq; de communi officio conueniſsent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſsetq; Sophocles, O puerum pulchrum Pericle? ait, At enim Prætorem Sophocle, decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere. 1. Offic.

Xenocrates. 56

CVm ad Xenocratem legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attuliſſent, adduxit legatos ad cœnam in Academiam: his tantùm appoſuit quod ſatis eſset, nullo apparatu. Cum poſtridie rogarent eum, cui numerari iuberet: Quid? vos heſterna (inquit) cœnula non intellexiſtis me pecunia non egere? quos cùm triſtiores videret, triginta minas accepit, ne aſpernari Regis liberalitatem videretur. 5. Tuſcul.

Curius. 57

CVrio ad focum ſedenti, magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. Non enim aurum habere præclarùm ſibi videri dixit, ſed eis, qui haberent aurum imperare. Cato Maior.

Timo-

Timothæus Athenienſis. 58

TImothæum clarum hominem Athenis, & Principem ciuitatis ferunt cùm cœnauiſſet apud Platonem, eoq; conuiuio admodum delectatus eſſet, vidiſſetq; eum poſtridie, dixiſſe, Veſtræ quidem cœnæ non ſolùm in præſentia, ſed etiam poſtero die iucundæ ſunt. 5. Tuſcul.

Darius. 59

DArius in fuga cùm aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit vnquam ſe bibiſſe iucundius: nunquam videlicet ſitiens biberat. 5. Tuſc.

Ptolemæus. 60

PTolemæo peragranti Aegiptum, comitibus non conſecutis, cùm cibarius in caſa panis datus eſset, nihil viſum eſt illo pane iucundius. 5. Tuſc.

Dioniſius. 61

CVm tirannus cœnauiſset Dioniſius, negauit ſe iure illo, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is qui illa coxerat, Minimè mirum: condimenta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille. Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. 5. Tuſc. 62

Dioniſio cùm quidam ex eius aſsentatoribus Damocles commemoraret in ſermone copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnif c ntiam, ædium regiarum, negaretq; vnquam beatiorem quenquam fuiſſe, Víſne igitur (inquit) ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat,

lectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Cùm ſe ille cupere dixiſſet, collocari iuſſit hominẽ in aureo lecto ſtrato pulcherrimo, texili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacosq; complures ornauit argento, auroq; cælato: tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eosq; ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur: fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaq; nec pulchros illos miniſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam, iam ipſæ defluebant coronæ. Deniq; exorauit tirannum vt abire liceret, quòd iam beatus nollet eſſe. Satíſne videtur declaraſſe Dioniſius, nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat? 5. Tuſc.

[*De eius ſacrilegio pleniſſimè apud Ciceronem lib. de Natur. Deor. 3.*]

Pithagoras. 63

NOn eſt iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de præſidio ac ſtatione vitæ decedendum. Cato Maior. 64

Pietas maximè & religio verſatur in animis noſtris, cùm rebus diuinis operam damus. 2. de Leg.

Bias.

Bias. 65

BIas, cuius cùm patriam Prienen cepiſſet hoſtis, cæteriq; ita fugerent vt multa de ſuis rebus aſportarent, cùm eſſet admonitus à quodam, vt idem ipſe faceret: Ego verò, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Ille hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Parad. 1.

Iſocrates. 66

DIcebat Iſocrates doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopompo frænis vti ſolere. Alterum enim exultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem & verecundum incitabat. 3. de Orat.

Zeno. 67

ZEno Rhetoricam palmæ, Dialecticã pugno ſimilem dicebat, quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreheníius. 2. de Finib. 68

Zeno ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat quid inter Rhetoricam & dialecticam intereſſet. Nã cùm compreſſerat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe: cũ autem deduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem Eloquentiam eſſe dicebat: hocq; vno ſolùm differre, quòd hæc ratio dicendi latior ſit, alia loquendi contractior. Orat. ad Brut.

Archytas Tarentinus. 69

ARchytas, cùm villico factus eſſet iratior, Quo te, inquit, modo accepiſ-

ſem, niſi iratus eſſem? 4. Tuſc. 70

Nulla capitalior peſtis, quàm corporis voluptas hominibus à natura data eſt: hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſcuntur. Nullum deniq; ſcelus, nullum magnũ facinus eſt, ad quod ſuſcipiẽdum non libido voluptatis impellat: ſtupra verò & adulteria, & omne flagitium, nullis aliȷs illecebris excitantur, niſi voluptate. Et menti nihil eſt tam inimicũ, quàm voluptas: nec libidine dominante, temperantiæ locus eſt omnino, nec in voluptatis regno poteſt virtus conſiſtere. Quocirca nihil tã deteſtabile, tamque peſtiferum, quàm voluptas, ſiquidem cùm maior eſt & longior, omne animi lumen extinguit. Cato Maior.

Aeſchines. 71

AEſchines, cùm propter ignominiam iudicij ceſſiſſet Athenis, & ſe Rhodũ contuliſſet, rogatus à Rhodis, legiſſe fertur orationem illam egregiam, quam in Cteſiphontem contra Demoſthenem dixerat: qua perlecta, petitum eſt ab eo poſtridie vt legeret illam etiam quæ erat contrà, à Demoſthene pro Cteſiphonte edita. Quam cùm ſuauiſſima & maxima voce legiſſet, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum? ex quo ſatis ſignificauit, quantum eſſet in actione, qui orationem eandem aliam eſſe putaret, autore mutato. 3. de Oratore.

Philippus

Philippus Macedo ad filium. 72

NE eos tibi fideles putes, quos pecunia corruperis. Fit enim deterior qui accipit, atq; ad idem ſemper expectandum paratior. Hoc ille filio: ſed præceptum putemus. 2. Offic.

Annibal. 73

REx Pruſias, cùm apud eum Annibali exulãti pugnare placeret, negabat ſe audere, ꝙ exta prohiberent. An tu (inquit) carunculę vitulinæ mauis, quàm imperatori veteri credere? 2. de Diuin.

Silenus. 74

SIlenus à Mida captus cùm eſſet, hoc ei pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur, Nõ naſci homini longè optimum eſt: proximũ autem, quàm primum mori. 1. Tuſc.

Cyrus Maior moriens apud Xenophontem. 75

NOlite arbitrari, ò mihi cariſſimi filij, me cùm à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore: nec enim dum erã vobiſcum, animũ meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex ijs rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem eſſe creditore, etiã ſi nullum videbitis. Cato Mai.

Cyrus Minor. 76

SOcrates ſcribit, Cyrum minorem Perſarum regem præſtantem ingenio atq; imperij gloria, cùm Lyſander Lacedæmonius vir ſummæ virtutis veniſſet ad eum Sardis, eiq; dona à ſocijs attuliſſet, & cæteris in rebus Comem erga Lyſandrum atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſten-

diſſe. Cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborũ, & directos in quin cuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuauitatem odorum, qui af flarentur è floribus, tum eum dixiſſe, mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam eius, à quo eſſent illa dimenſa & deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe, Atqui ego iſta ſum omnia dimẽſus: mei ſunt ordines, mea deſcriptio: multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem eius purpuram & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multò auro, multiſq; gemmis, dixiſſe, Rectè verò te Cyre beatum ferunt, qm̃ virtuti tuæ fortuna cóiuncta eſt. Cato Maior.

Quidam Lacedæmonius. 77

ATheníenſes ſciunt, quæ recta ſunt, ſed facere nolunt. Cato Maior.

Alexander. 78

ALexander cùm in Sigæo ad Achillis tumulum aſtitiſſet: O fortunate (inquit) adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. Et verè: nam niſi illa ars extitiſſet, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruiſſet. Pro Arch. Poëta.

Callicratides. 79

CAllicratides, cùm Lacedęmoniorum dux fuiſſet Peleponneſiaco bello, eique conſulerent, vt claſſem ab Argiuis remoueret, nec cum Athenienſibus dimicaret, ille reſpondit, Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe, ſe fugere,

ſine

ſine ſuo dedecore non poſſe. 1. Offic.

Hector Neuianus. 80

LAetus ſum laudari me abs te pater, à laudato viro. Cic. Luccio, Fam. 5.

Accius. 81

MVlti iniqui atque infideles regno, pauci boni ſunt. 3. Offic.

Teucer. 82

PAtria eſt, vbicunq; eſt bene. 5. Tuſc.

Metrodorus. 83

OCcupaui (inquit) te fortuna, atque cepi, omnes aditus tuos interclusi, vt ad me aſpirare non poſſis. 5. Tuſc.

Cæcilius. 84

SAepe eſt ſub ſordido palliolo ſapientia. 3. Tuſc.

Euripides. 85

IVraui lingua, mentem iniuratam gero. 3. Offic. 86

Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor,

Morbuſq; multi ſunt humandi liberi,

Rurſus creãdi, morſq; eſt finita oĩbus:

Quæ generi humano angorem ne quicquam afferunt.

Reddenda eſt terræ curá: tũ vita oĩbus

Metenda vt fruges: ſic iubet neceſſitas. 3. Tuſc. 87

Μισῶ σοφιςὴν, ὅςις οὐχ αὑτῷ σοφός Cicero Cæſari. Famil. lib. 13.

Heſiodus. 88

THς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. Cicero. Leptæ, Famil. 6. 89

Heſiodicũ illud laudatur à doctis, quod

eadem menſura reddere iubet qua acceperis, aut etiam cumulatiore ſi poſſis. De claris Orat.

Homerus. 90

Nanque nimis multos, atque omni luce carentes
Cernimus, vt nemo poſſit mœrore vacare:
Quo magis eſt æquum tumulis mandare peremptos
Firmo animo, & luctum lacrimis finire diurnis. 3. Tuſc.

Statius Cæcilius. 91

Aedepol ſenectus ſi nihil quicquam aliud vitij
Apportet ſecum, cùm aduenerit, vnum id eſt ſatis,
Quòd diu viuendo, multa quæ non vult videt.
Tum etiam in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea ætate eſſe odioſum ſe alteri. Cato Maior.

Antimacus. 92

Antimacum clarum poëtam ferunt, qui cùm conuocatis auditoribus legeret eis volumen ſuum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquiſſent. Legam (inquit) nihilominus: Plato enim mi hi vnus inſtar eſt omnium. De clar. Orat.

Antigenidas. 93

Tibicen Antigenidas dixit diſcipulo ſanè frigenti ad populum, Mihi cane & muſis. De clar. Orat.

Marcus Antonius. 94

MArcus Antonius,cui vel primas eloquentiæ patrum tribuebat ætas,vir natura peracutus & prudens, diſertos ait ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem: inſidebat videlicet in eius mente ſpecies eloquentiæ, quã cernebat animo, re ipſa non videbat. Orat.ad Brat.

Scipio Aphricanus. 95

PVblius Scipio qui primus Aphricanus appellatus eſt,dicere ſolebat,nunquam ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus:nec minus ſolum, quàm cùm ſolus eſſet. 3.Offic. 96

Aphricanus Socraticum Xenophõtem in manibus ſemper habebat, cuius in primis laudabat illud,ꝙ diceret eoſdem labores non eſſe æquè grandes imperatori ac militi,ꝙ ipſe honos laborem leuiorem faceret imperatorum. 2.Tuſc. 97

Vt equos propter crebras contentiones præliorum,ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſolent, vt ijs facilioribus poſſint vti:ſic homines ſecundis rebus effrænatos,ſibique præſidentes, tanquam in girum rationis & doctrinæ duci oportet, vt perſpiciant rerum humanarum imbecillitatem. 1.Offic. 98

Cùm diſſolutus filius, Heu me miſerũ, dixiſſet:tum ſeuerus pater.Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet. Morderi eſt optimum cõſcientia poſt commiſſum facinus. 4.Tuſc. 99

Cùm ab Aphricano quidam vetus aſſe-

ctator ex numero amicorum non impetraret, vt ſe præfectum in Aphricam duceret, & id ferret moleſtè: Noli (inquit) mirari, ſi tu à me hoc non impetras: ego iam pridem ab eo, cui meam exiſtimationem caram fore arbitror, peto vt mecum præfectus, proficiſcatur, & adhuc impetrare nõ poſſum. 4. Act. in Verr. 100

Cùm Aphricanus cẽſor monebat eum Centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat: cùm ille ſe cuſtodiæ cauſa diceret in caſtris remanſiſſe: quæreretque cur ab eo nocaretur, Non amo (inquit) nimium diligentes. 2. de Orat.

Fabius Maximus. 101

SAlinatori, qui amiſſo Tarento fugerat in arcem, glorianti atq; ita dicẽti; Mea opera, Quinte Fabi, Tarentum recepiſti: Certè, inquit ridens: nam niſi tu amiſiſſes, nunquam recepiſſem. Cato Maior. 102

Salinatori, cùm Tarento amiſſo, arcem tamen Liuius retinuiſſet, multaque ex ea prælia præclara feciſſet, cũ aliquot poſt annos Maximus id oppidum recepiſſet, rogaretq; eum Salinator vt meminiſſet opera ſua ſe Tarentũ recepiſſe: Quid ni (inquit) meminerim? nũquam ego recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. 2. de Orat.

Cato Cenſorius. 103

VEtus illud Catonis admodum ſcitũ eſt, qui mirari ſe aiebat, ꝙ non rideret aruſpex, aruſpicẽ cùm vidiſſet. Quota enim res quæq; euenit prædicta ab iſtis? aut ſi euenit quippiã, quid afferri poteſt cur

cur nō caſu id euenerit? 2.de Diuin. 104

Cùm ex Catone quæreretur quid maximè in re familiari expediret, reſpondit, Bene paſcere. Quid ſecundum, Satis bene paſcere, Quid tertium, Bene veſtire. Quid quartū, Arare. Et cùm ille qui quæſierat dixiſſet, Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem (inquit) occidere? 2. Offi. 105

Amicitiæ quæ non placent, diſſuendæ magis, quàm diſcindendæ ſunt. Cato Maior.

Scipio Minor. 106

SCipio negabat vllam vocem inhumaniorem amicitiæ potuiſſe reperiri, q̃ eius qui dixiſſet ita amare oportere, vt aliquando eſſet oſurus: nec verò ſe adduci poſſe, vt hoc, quemadmodum putaretur, à Biante dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſt vnus è ſeptem, ſed impuri cuiuſdam & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam reuocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſquam amicus eius eſſe poterit, cuius ſe putabit inimicū eſſe poſſe? In Lælio. 107

Nihil eſt difficilius, quàm amicitiam vſque ad extremum diem vitæ permanere. Mutantur enim mores ſæpe, aliâs diuerſis rebus, aliâs ingraueſcente ætate: aut dirimuntur contentione, vel luxuriæ conditione, vel commodi alicuius, quod idem adipiſci vterq; non poſſit. In Lælio. 108

Quærebatur Scipio, ꝙ in omnibus rebus diligētiores homines eſſent: capras & oues quot quiſq; haberet, dicere poſſe: ami

cos quot haberet, non poſſe dicere: & in illis quidem parandis curã adhibère, in amicis eligendis negligentes eſſe. In Lælio.

Scipio Naſica. 109

SCipio Naſica cùm ad Poëtam Ennium veniſſet, eiq; ab oſtio quærenti Enniũ, ancilla dixiſſet domi non eſſe, Naſica ſenſit illam domini iuſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus, cùm ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum à ianua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe: tum Ennius, Quid, ego non cognoſco vocem (inquit) tuam? Huic Naſica, Homo es impudens. ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi? 2. de Orat.

C. Lælius. 110

CAius Lælius, cùm ei quidam malo genere natus diceret indignum eſſe ſuis maioribus: At hercule (inquit) tu tuis haud indignus. 2. de Orat.

C. Pontius Samnis. 111

VTinam (inquit C. Pontius Samnis) ad illa tempora fortuna me ſeruaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus diutius eos imperare. 1. Offic.

M. Craſſus Orator. 112

L. Heluius Lamia deformis, vt noſtis, cùm interpellaret odioſè Craſſum, Audiamus (inquit Craſſus) pulchellum puerum. Cùm eſſet arriſum, Non potui mihi (inquit Lamia) formam ipſe fingere, ingenium potui. Tum hic, Audiamus, in-

quit,

quit,diſertum:multò etiam arriſum eſt vehementius. 2.de Orat. 113

M.Craſſus in oratione,quam cõtra collegam Cenſor habuit,dicebat:Quę natura aut fortuna darentur hominibus, in ijs ſe vinci poſſe animo æquo pati. Quæ aũt ipſi ſibi homines parare poſſent, in ijs rebus ſe pati vinci non poſſe. 2.de Orat.

M.Craſſus diues. 114

MCraſſus,qui ditiſſimus eſt habitus, negabat vllam ſatis magnam pecuniam eſſe ei,qui in Repub.princeps vellet eſſe, cuius fructibus exercitum alere non poſſet. 1.Offic.

C. Lucilius. 115

CAius Lucilius homo doctus & perurbanus, dicere ſolebat ea quæ ſcriberet, neq; ab indoctiſſimis, neque à doctiſſimis legi velle, quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe quàm ipſe de ſe. 2.de Orat.

Catulus. 116

CAtulus cùm vidiſſet quendam ex iudicibus, quos pecunia Clodius corruperat,Quid vos à nobis præſidium poſtulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur,timebatis? Cic.Attico,lib.1. 117

Catulus cuidam oratori malo,qui cùm in epilogo miſericordiam ſe mouiſſe putaret,poſtquam aſſedit,rogauit hunc, videretúrne miſericordiam mouiſſe: At magnam quidem, inquit:neminem enim puto tam durum,cui non oratio tua miſeranda viſa ſit. 2.de Orat.

Siculi cuiuſdam iocus. 118

CVm Siculo neſcio cui familiaris quidam quæreretur, ꝙ diceret vxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu: Amabo te (inquit) da mihi ex iſta arbore quos feram ſurculos. 2. de Orat.

Scæuola. 119

SCæuola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repenſum, roganti vt ſe in Aſiam præfectũ duceret, Quid tibi vis (inquit) inſane? tanta malorum eſt multitudo ciuium, vt tibi ego hoc confirmem, ſi Romæ manſeris, te paucis annis ad maximas pecunias eſſe ventur um. 2. de Orat.

Ennius. 120

BEnefacta malè locata, malefacta arbitror. 1. Offic. 121

Quicquid ſine detrimento poteſt commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa cõmunia, Non prohibere aquam profluentem, Pati ab igne capere ignem, Si quis velit conſilium fidele, deliberanti dare: quæ ſint ijs vtilia qui accipiunt, danti non moleſta.

Homo qui erranti comiter monſtrat viã,
Quaſi lumen de ſuo lumine accẽdat, facit
Vt nihilominus ipſi luceat cũm illi accenderit. 1. Offic. 122

Ne quicquam ſapit ille ſapiens, qui ipſe ſibi prodeſſe nequit. 3. Offic. 123

Flagitij principium eſt, nudare inter ciues corpora. 4. Tuſc. 124

Animus æger neq; pati, neq; perpeti poteſt:

ceſt:cupere nunquam deſinit. 3.Tuſ. 125
Quem metuunt,oderunt:quem quiſq; odit,perijſſe expetit. 2.Offic. 126
Amicus certus in re incerta cernitur. In Lælio.

Terentius. 127

OBſequium amicos,veritas odium parit. In Lælio. 128
Omnes, cùm ſecundæ res ſunt maximè, tum maxumè
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduorſam ærumnam ferant.
Pericla,damna,exilia, peregrè rediens ſemper cogitet.
Aut filij peccatum,aut vxoris mortem, aut morbum filię.
Communia eſſe hæc fieri poſſe: vt nequid animo ſit nouum.
Quicquid præter ſpem euenit, id deputandum in lucro. 3.Tuſc.

Theſeus apud Euripidem. 129

NAm qui hęc audita à docto meminiſſem viro.
Futuras mecum commẽtabar miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exilij mœſtã fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali:
Vt ſi qua inuecta diritas caſu foret,
Ne me imparatũ cura laceraret repens. 5.Tuſc.

M. Cicero. 130

DVo hæc opto, vt moriens populum Romanum liberum relinquam: hoc mihi

mihi maius à dijs immortalibus dari nihil poteſt. Alterum, vt ita cuique eueniat, vt de Repub quiſque mereatur. Philip. 2.

Idem. 131

IS mihi propriè, & ſolus honos videtur, quem ſis neque maiorum commendatione, neque per alterius calamitatem affectus. Pro Roſc. Amer.

M. T.

M. T. CICERONIS PARABOLAE ALIQVOT, ET SIMILIA.

1

VT hominum membra, nulla contentione, mente ipſa ac voluntate mouentur. ſic numine Deorum omnia finguntur, mouentur atque mutantur. 3. de Nat. Deorum. 2

Vt corpora noſtra ſine mẽte, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus & neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt. Pro Clu. 3

Vt nec domus, nec Reſpub. ratione quadam & diſciplina deſignata videatur, ſi in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec ſupplicia peccatis: ſic mundi diuina in homines moderatio profectò nulla eſt, ſi in ea diſcrimen nullum eſt bonorum & malorum. 3 de Nat Deorum. 4

Vt tutela, ſic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. 1. Offic. 5

Vt ſi vnũquodq; membrum hunc ſen-

ſum

ſum haberet, vt poſſe putaret ſe valere ſi proximi membri valetudinem ad ſe tradu xiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic ſi vnuſquiſque noſtrum ad ſe rapiat commoda aliorum, detrahatq́; quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum & cõmunitas euertatur neceſſe eſt. 3. Offic. 6

Vt contemnendus eſt qui in nauigãdo, ſe, quàm nauim mauult incolumem: ita vituperandus, qui in Reipub. diſcrimine, ſuæ plus, quàm communi ſaluti conſulit. 4. ad Herenn. 7

Vt tauris natura datum eſt, vt pro vitulis contra Leones ſumma vi impetuq́; contendant: ſic ij qui valent opibus, atq; id facere poſſunt, ad ſeruandum genus humanum natura incitantur. 3. de Finib. 8

Vt leges omnium ſalutem, ſingulorum ſaluti anteponunt: ſic vir bonus & ſapiẽs, & legibus parens, & ciuilis officij nõ ignarus, vtilitati omnium plus, quàm vnius alicuius ſaluti conſulit. 3. de Finibus. 9

Vt in membris alia ſunt tanquam ſibi nata, vt oculi, vt aures, aliqua etiam cæterorum membrorum vſum adiuuãt, vt crura, vt manus: ſic immanes quædam beſtiæ ſibi ſolùm natæ ſunt. 3. de Finibus. 10

Vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portũm tenere non queas: cùm verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius, quàm eo commutato, quò velis tandem peruenire:

ſic

ſic cùm omnibus nobis in adminiſtranda Republica propoſitũ eſſe debeat, id quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, cum dignitate otium: non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debémus. Cicero Lentul. Famil. lib. 1. 11

Vt ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectat, quoniam eius cauſa eſt inſtituta: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod Reipublicæ conducat, proficiſci, quoniã eius cauſa ſunt cõparatæ. 1. de Inuẽt. 12

Non quemadmodum in palæſtra, qui tedas candẽteis accipit, celerior eſt in curſu continuo, quàm ille qui tradit: ita melior Imperator nouus, qui accipit exercitum, quàm ille qui decedit: propterea ꝙ defatigatus curſor integro facem, hic peritus Imperator imperito exercitum tradit. 4. ad Herenn. 13

Vt nec medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquã magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officij conſeruandi præcepta traduntur, illa quidem, vt faciamus ipſi. 1. Off. 14

Vti citharœdus cùm prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum clamide purpurea coloribus varijs intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gẽmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam auro, & ebore diſtinctam: ipſe præterea forma & ſpecie ſit, & ſtatura appoſita ad dignitatem: ſi tum magnam po-

pulo

pulo commoueas his rebus expectationē, & repentè ſilentio facto vocem emittat acerbiſſimam, cùm turpiſſimo corporis motu: quò melius ornatus ſit, & magis fuerit expectatus, eò magis deriſus & contemptus deijcietur. Item ſi quis in excelſo loco, & in magnis, & in locupletibus copijs collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit, ſi virtutis & artium (quæ virtutis magiſtræ ſunt) egebit, quò magis cæteris rebus erat copioſus & illuſtris & expectatus, eò vehementius deriſus & contemptus, ex omni cōuentu bonorum eijcietur. 4.ad Herenn. 15

Vt cupiditatibus Principum & vitijs infici ſolet ciuitas: ſic emendari & corrigi continentia. 1.de Legib. 16

In corpore ſi quis eiuſmodi eſt quod reliquo corpori noceat, vri ac ſecari patimur, vt mēbrorum aliquod potius, quàm totum corpus intereat: ſic in Reipublicæ corpore, vt totum ſaluum ſit, quicquid eſt peſtiferum, amputetur. Philip.8. 17

Vt membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas beluæ, à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. 3. Offic. 18

Vt medici membrum ſępe putrefactum incidunt, atq; in totum eradicant, ne aliā corporis partem labefactare aut corrumpere poſſit: ſic neceſſe eſt ſi Rempub. ſal-

uam eſſe volumus, vt perditiſſimos homines ex vrbe penitus extirpemus, ne corru ptus integro, violatus caſto, labem infringat. In Vatin. 19

Vt ſi medicus ſciat eum ægrotum, cui iuſſiſſet vinum ſumere, meracius ſumptu rum, ſtatimq; periturum, magna ſit in culpa: ſic doctus reprehendendus, qui docet eos quos ſciat doctrina peruerſè & imprò bè vſuros. 3. de Nat. Deorum. 20

Vt ſi grammaticũ ſe profeſſus quiſpiã, barbarè loquatur, aut ſi abſurdè canat is, qui ſe velit haberi miſicum, hoc turpius eſt, quòd in eo ipſo peccat, cuius profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione vitæ peccans, hoc turpius eſt, quod in offi cio, cuius magiſter eſſe vult, labitur, artéq; vitæ profeſſus, delinquit in vita. 2. Tuſ. 21

Hiſtrio, ſi paulò ſe mouit extra numerũ aut ſi verſus pronunciatus eſt ſillaba vna breuior, aut longior, exſibilatur & exploditur: in vita quę omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debet, vt in ſillaba te peccare dices? 3. Parad. 22

Vt hiſtrioni actio, ſaltatori motus non quiuis, ſed certus quidam eſt datus: ſic vita agenda certo genere quodam, non quo libet. 3. de Finibus. 23

Vt in fidibus ac tibijs quamuis paululũ diſcrepent, tamen id à ſciente animaduerti ſolet: ſic viuendum eſt in vita, ne fortè, quid diſcrepet, vel multò etiã magis, quò maior & melior actionum, quàm ſonorũ accentus eſt. 1. Offic. 24

Vt

pulo commoueas his rebus expectationẽ, & repentè ſilentio facto vocem emittat acerbiſſimam, cùm turpiſſimo corporis motu: quò melius ornatus ſit, & magis fuerit expectatus, eò magis deriſus & contemptus deijcietur. Item ſi quis in excelſo loco, & in magnis, & in locupletibus copijs collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit, ſi virtutis & artium (quæ virtutis magiſtræ ſunt) egebit, quò magis cæteris rebus erat copioſus & illuſtris & expectatus, eò vehementius deriſus & contemptus, ex omni cõuentu bonorum eijcietur. 4. ad Herenn. 15

Vt cupiditatibus Principum & vitijs infici ſolet ciuitas: ſic emendari & corrigi continentia. 1. de Legib. 16

In corpore ſi quis eiuſmodi eſt quod reliquo corpori noceat, vri ac ſecari patimur, vt mẽbrorum aliquod potius, quàm totum corpus intereat: ſic in Reipublicæ corpore, vt totum ſaluum ſit, quicquid eſt peſtiferum, amputetur. Philip. 8. 17

Vt membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas beluæ, à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. 3. Offic. 18

Vt medici membrum ſępe putrefactum incidunt, atq; in totum eradicant, ne aliã corporis partem labefactare aut corrumpere poſſit: ſic neceſſe eſt ſi Rempub. ſal-

uam eſſe volumus, vt perditiſſimos homines ex vrbe penitus extirpemus, ne corruptus integro, violatus caſto, labem infringat. In Vatin. 19

Vt ſi medicus ſciat eum ægrotum, cui iuſſiſſet vinum ſumere, meracius ſumpturum, ſtatimq; periturum, magna ſit in culpa: ſic doctus reprehendendus, qui docet eos quos ſciat doctrina peruerſe & improbe vſuros. 3. de Nat. Deorum. 20

Vt ſi grammaticũ ſe profeſſus quiſpiã, barbare loquatur, aut ſi abſurde canat is, qui ſe velit haberi muſicum, hoc turpius eſt, quod in eo ipſo peccat, cuius profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione vitæ peccans, hoc turpius eſt, quod in officio, cuius magiſter eſſe vult, labitur, arteq; vitæ profeſſus, delinquit in vita. 2. Tuſ. 21

Hiſtrio, ſi paulo ſe mouit extra numerũ aut ſi verſus pronunciatus eſt ſillaba vna breuior, aut longior, exſibilatur & exploditur: in vita quę omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debet, vt in ſillaba te peccare dices? 3. Parad. 22

Vt hiſtrioni actio, ſaltatori motus non quiuis, ſed certus quidam eſt datus: ſic vita agenda certo genere quodam, non quolibet. 3. de Finibus. 23

Vt in fidibus ac tibijs quamuis paululũ diſcrepent, tamen id a ſciente animaduerti ſolet: ſic viuendum eſt in vita, ne forte quid diſcrepet, vel multo etiã magis, quo maior & melior actionum, quam ſonorũ accentus eſt. 1. Offic. 24

Vt

Vt in fidibus, muſicorum aures vel minima ſentiunt: ſic nos magna ſæpe intelligimus ex paruis. 1.Offic. 25

Vt in vita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quàm quod deceat videre. Orator ad Brut. 26

Vt ad curſum equus, ad arãdum bos, ad indagandum canis: ſic homo ad duas res, intelligendum & agendum natus eſt, quaſi immortalis Deus. 2.de Finibus. 27

Quemadmodum ſæpe fit, vt is qui commendatus ſit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus ſit, quàm illum à quo ſit: ſin minimè mirum eſt, primùm nos ſapientiæ commendari ab initijs naturæ, pòſt autem ipſam ſapientiam nobis cariorem fieri, quàm illa ſint à quibus ad hanc veneri mus, 3.de Finibus. 28

Vt obſcuratur & offunditur luce ſolis lumen lucernæ: ſic rerum corporearum æſtimatio, ſplendore virtutis & magnitudine obſcuretur & obruatur atque intereat neceſſe eſt. 2.de Finibus. 29

Vt multò maiora ſunt opera animi, quàm corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio, gratiores ſunt, quàm illæ quas viribus. 2.Offic. 30

Vt maior eſt vis animi, quàm corporis: ſic ſunt grauiora ea quæ concipiuntur animo, quam illa quæ corpore. Phili.1. 31

Vt membrum turgidum ac tumidum vitiosè ſe habet: ita inflatus animus & tumens in vitio eſt. 3.Tuſc. 32

Vt ciuitas in ſeditione non poteſt eſſe

beat

beata, nec in diſcordia dominorũ domus: ſic animus à ſeipſo diffidens, ſecumq; diſcordans, nullam guſtare partem liquidæ voluptatis ac liberæ poteſt. 1. de Fini. 33

Quemadmodũ oculus cõturbatus, non eſt propè affectus ad ſuum munus fungendũ, & reliquę partes, reliquúmve corpus, cùm à ſtatu eſt motum, officio ſuo & muneri deeſt: ſic conturbatus animus non eſt aptus ad exequẽdum munus ſuũ. Munus autem animi eſt ratione vti. 3. Tuſc. 34

Vt agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur: ſic animi non omnes culti fructum ferunt. 2. Tuſcul. 35

Vt ager quamuis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ſic ſine doctrina animus. 2. Tuſcul. 36

Vt medici toto corpore curando, minimæ etiam parti, ſi condoluit, medentur: ſic philoſophia, cùm vniuerſam ęgritudinem ſuſtulerit, tamen ſi quis error aliunde extitit, ſi paupertas momordit, ſi ignominia pupugit, ſi quid tenebrarum offudit exilium, ſemper ad eundem fontem reuertendum eſt. 3. Tuſcul. 37

Vt equos propter crebras cõtentiones præliorum, ferocitate exultantes domitoribus tradere ſolent, vt ijs facilioribus poſſint vti: ſic homines ſecundis rebus effrænatos, ſibiq; præfidentes, tãquam in gyrũ rationis & doctrinæ duci oportet, vt perſpiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemq; fortunæ. 1. Offic. 38

Quemadmodum temperãtia ſedat oẽs appe-

appetitiones, & efficit vt hæ rectè rationi pareant, conſeruatq; conſiderata iudicia mentis: ſic huic inimica temperantia, omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. 4. Tuſcul. 39

Vt medici cauſa morbi inuenta, curationem eſſe inuentam putant: ſic nos ægritudinis cauſa reperta, medēdi facultatem reperiemus. 3. Tuſcul. 40

Qui ſuos caſus aliter ferunt, atque vt alijs autores fuerunt, non ſunt vitioſiores, quàm ferè plerique, qui auari auaros, gloriæ cupidos glorioſi reprehendunt. 3. Tuſcul. 41

Vt in cauſis nō vtimur ſemper eodem ſtatu, ſed ad tempus, ad controuerſiæ naturam, ad perſonam accommodamus: ſic in ægritudine lenienda. Nam quam quiſque curationem recipere poſſit, videndū eſt. 3. Tuſc. 42

Vt fit in prælio, vt ignauus miles ac timidus ſimul ac viderit hoſtem, abiecto ſcuto, fugiat quantum poſſit, ob eamque cauſam pereat nonnunquam etiam integro corpore, cùm ei qui ſteterit, nihil tale euenerit: ſic qui doloris ſpeciem ferre nō poſſunt, abijciunt ſe, atque ita afflicti & exanimati iacēti: qui autem reſtiterint, diſcedunt ſæpiſſimè ſuperiores. 2. Tuſ. 43

Vt onera contentis corporibus facilius feruntur, remiſſis opprimūt: ſimillimè animus intētione ſua depellit preſſum omnē ponderum, remiſſione autem ſic vrgetur, vt ſe nequeat extollere. 2. Tuſc. 44

Vt

Vt natura alius ad aliquem morbũ procliuior: ſic animus alius ad alia vitia eſt propenſior. 4. Tuſc. 45

Vt turpes ſunt, qui ſe efferunt lætitia, tum cùm fruũtur venereis voluptatibus: ſic flagitioſi, qui eas inflammato animo cõcupiſcunt. 4. Tuſc. 46

Non eſt neceſſe, tanquam meretricem in matronarum cœtum: ſic voluptatem in virtutum concilium adducere. 2. de Finibus. 47

Vt medicorum ſcientiam non ipſius artis, ſed bonæ valetudinis cauſa probamus: & gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, vtilitatem, non arte laudatur: ſic ſapientia quæ ars viuendi putanda eſt, non expeteretur ſi nihil efficeret: nunc expetitur, quia eſt tanquam artifex conquirendæ & comparandæ voluptatis. 1. de Finibus. 48

Quemadmodum gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic ſapientes fortunæ impetũ ſuperare non poſſunt. Cic. Q. Fr. 49

Sicut medico diligenti priuſquam conetur ægro adhibere medicinam, non ſolùm morbus eius cui mederi volet, ſed etiã conſuetudo valentis & natura corporis cognoſcenda eſt: ſic equidem cùm aggredimur ancipitem cauſam & grauem ad animos Iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaq; verſari debemus, vt odorari quàm ſagaciſſimè poſſimus, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid velint, quò deduci oratione facillimè

cillimè poſſe videantur. 2.de Orat. 50

Vt nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igni ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam & ardens acceſſerit. 2.de Ora. 51

Vt cùm in ſole ambulamus, etiam ſi aliã ob cauſam ambulemus ſit natura tamẽ vt coloremur: ſic cùm doctorum libros ſtudioſius legimus, ſentimus orationem noſtram, illorum cantu quaſi colorari. 2. de Orat. 52

Vt qui pila ludunt, etiamſi non vtuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ, ſed indicat ipſe motus didicerintne palæſtram, an neſciant: & qui aliquid fingunt, etſi tum pictura nihil vtuntur, tamen vtrũ ſciant pingere an neſciant, non obſcurum eſt: ſic in dicendo facilè declaratur vtrũ is qui dicat, ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit. 1.de Ora. 53

Vt gemmæ quamuis abijciantur in lutum, fulgorem tamen & proprietatem nõ amittunt: ſic multi, qui quamuis in tenebris inuoluti fuerunt, non tamen optimã naturam, quàm non ab homine, ſed ab ipſo Deo genitam putamus, non amiſerunt. In Vatin. 54

Vt membra nobis ita data ſunt, vt ad quandam rationem viuendi data eſſe appareant: ſic appetitio animi, non ad quoduis genus vitæ, ſed ad quandam formam viuẽdi videtur data, itemq; & ratio & perfecta ratio.

ratio. 3.de Finibus. 55

Vt in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt : (alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere : itemque in formis, alijs dignitatem ineſſe, alijs venuſtatem) ſic in animis exiſtunt etiam maiores varietates. 1.Off. 56

Vt in Græcis artificibus, aiunt eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerũt: ſic nonnullos videmus qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire. Pro Muræna. 57

Vt qui mortem in malis ponit, non poteſt eam non timere : ſic nemo vlla in re poteſt id quod malum decernit, non curare, idq; timere. 3.de Finib. 58

Vt equus indomitus, quamuis natura bene compoſitus ſit, idoneus non poteſt eſſe ad eas vtilitates, & aptus ad ea quæ deſiderantur ab equo: ſic homo indoctus, quamuis ingenioſus, ad virtutem non poteſt peruenire. 4.ad Heren. 59

Vt locus in mari ſine portu nauibus non poteſt eſſe tutus : ſic animus ſine fide ſtabilis amicis non poteſt eſſe in ijs rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt. 1. de Inuentione. 60

Vt qui ſtadium currit, eniti & contendere debet quã maximè poſſit vt vincat : ſupplantare eum qui cum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: ſic in vita ſibi quenque petere, quod pertineat ad vſum, non iniquum eſt: alteri diripere ius non eſt. 3 Offic. 61

Vt non omnem frugem atque arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. Pro Roſcio Amer. 62

Vt ignis in aquam coniectus, continuò reſtinguitur & refrigeratur: ſic referuens falſum crimen, in puriſſimam & caſtiſſimã vitam collatum, ſtatim concidit & extinguitur. Pro Roſc.Com. 63

Vt tempeſtates ſæpe certo aliquo cœli ſigno commouentur, ſæpe improuiſo, nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa concitantur: ſic in comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas quo ſigno commota ſit: ſæpe ita obſcura eſt, vt caſu excitata eſſe videatur. Pro Muræna. 64

Vt mare quod ſua natura tranquillum eſt, ventorum vi agitari videmus, ac turbari: ſic populus ſua ſponte pacatus, hominũ ſeditioſorum vocibus, & violentiſſimis tẽpeſtatibus concitari ſolet. Pro Cluen. 65

Vt imperatores inſtructa acie ſolent, quanquam paratiſſimos milites ad prœliãdum videant, eos tamen cohortari: ita iuuenes ardentes & erecti, ad laudem, ad literas ſunt adhortandi. Philip.4. 66

Vt ſi gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat: ſin ad nudũ vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa & ferri viribus vulnerari: ita cùm homini bus eneruatis atq; exanguibus Cõſulatus tanquam gladius eſſet datus, qui per ſe pungere neminem vnquam potuiſſent hi

ſummi

ſummi Imperij nomine armati, Rempub. contrucidauerunt. Pro Seſt. 67

Quemadmodum theatrum cùm commune ſit, rectè tamen dici poteſt eius eſſe eum locum, quem quiſque occuparit: ſic in vrbe, mundóve communi, non aduerſatur ius, quò minus ſuum quidq; cuiuſque ſit. 3. de Finib. 68

Vt enim neceſſe eſt lancem in libra pon deribus impoſitis deprimi: ſic animũ perſpicuis cedere. 2. Academ. 69

Vt fures earum rerum quas ceperunt, ſigna cõmutant: ſic multi alienis ſententijs pro ſuis vtuntur, nomina tanquam rerum notas mutantes. 5. de Finib. 70

Quemadmodũ volucres videmus procreationis atq; vtilitatis ſuæ cauſa fingére & cõſtruere nidos; eaſdem autem cùm aliquid effecerint, leuandi laboris ſui cau ſa paſſim ac liberè ſolutas opere volitare: ſic noſtri animi forenſibus negocijs, atque vrbano opere defeſſi geſtiunt, ac volitare cupiunt vacui cura atque labore. 2. de Oratore. 71

Vt cigni prœuidentes quid in morte bo ni ſit, cum cantu & voluptate moriuntur: ſic omnibus & bonis & doctis eſt faciendũ. 1. Tuſcul. 72

Vt ſtultitia, etſi adepta eſt quod concupiuit, nunquam ſe tamen ſatis conſecutam putat: ſic ſapientia ſemper eo contenta eſt, quod adeſt: neque vnquam ſui pœnitet. 5. Tuſc. 73

Vt mulieres deo bene olere, quòd ni-

hil olent, videntur: ita hoc ipſo eſt, ornatior oratio quod ornamenta negligat. Cicero Attic. lib. 2. 74

Vt quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore ſuauitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, auari, facinoroſi, veræ laudis guſtũ non ſentiunt. Philip 2. 75

Vt leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, vt omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari: ſic leuis eſt animi lucem, ſplendoremq; fugientis, iuſtam gloriam qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare. In Piſonem. 76

Vt plerunque beſtiæ, fame dominante, ad eum locum, vbi aliquando paſtæ ſunt, reuertuntur: ſic latrones, vrgente inopia. Pro Cluent. 77

Tanquam bona valetudo iucundior eſt ijs, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè pcepta delectant. Poſt red. ad Quir. 78

Vt grauius ægrotant ij, qui cùm leuati morbo videntur, in eum de integro inciderunt: ſic vehementius laboramus, qui non profligato bello ac pene ſublato, renouatum bellum gerere conamur. Cic. Cornificio, Famil. 12. 79

Vt ijs qui imprudenter læſerunt, ignoſci conuenit: ita ijs qui neceſſariò profuerunt, haberi gratiam non oportet. 1. de Inuentione. 80

Vt in ædificijs architecti auertunt ab oculis, naribuſq; dominorum ea, quæ pro

fluentia neceſſariò tetri eſſent aliquid habitura: ſic natura res ſimiles procul amandauit à ſenſibus. 2. de Na3. Deor. 81

Vt innocens is dicitur non qui nocet leuiter, ſed qui nihil noceat: ſic ſine metu is habendus eſt, non qui parua meruit, ſed qui omnino metu vacat. 5. Tuſc. 82

Vt oculus, ſic animus ſe non videns, alia cernit. 1. Tuſc. 83

Vt nauem & ædificium idem deſtruit facillimè, qui conſtruxit: ſic hominem eadem optimè quæ conglutinauit natura, diſſoluit. Cato Maior. 84

Vt adoleſcentem in quo ſenile eſt aliquid: ſic ſemen in quo adoleſcentis probi eſt aliquid, laudamus. Cato Maior. 85

Vt adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leuiorque fit eorum ſenectus qui à iuuentute coluntur & diligntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. Cato Maior. 86

Adoleſcentes ſic mori videntur, vt cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſint, vi auelluntur: ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. Cato Maior. 87

Vt petulantia & libido magis eſt adoleſcentum quàm ſenum, nec tamen omniũ adoleſcentum, ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum eſt leuium, non omnium. Cato Maior. 88

Vt non omne vinum, ſic non omnis ætas vetuſtate coaceſcit. Cato Maior. 89

Vt pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipſo q inter ſe omnes partes cum quodam lepôre conſentiunt: ſic hoc decõrum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum quibûſcum viuitur, ordine & conſtantia, moderatione omnium dictorum atque factorum. 1.Offic. 90

Vt pictores, & ij qui ſigna fabricantur, & veri etiam poëtæ ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult, vt ſi quid reprehẽſum ſit à pluribus, id corrigatur, hique & ſecum, & cum alijs quid in eo peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum iudicio permulta nobis & facienda & non facienda, & mutanda & corrigenda ſunt. 1.Offic. 91

Vt benefici, liberalesq; ſumus, non vt exigamus gratiam (neq; enim beneficium fœneratur) ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quòd omnis eius fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. In Lælio. 92

Vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet. Cicero Papirio Pæto. Famil.9. 93

Vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt, ſimulatque fortunæ hiemem viderint, deuolant omnes. 4.ad Heren. 94

Amici noui veteribus non ſunt antepo-

nendi,

nendi, vt equis vetulis teneros antepone-
re ſolemus. Non enim amicitiarum eſſe
debent, ſicut aliarum rerum, ſatientes: ve-
terrima quæque eſſe ſuauiſſima debent.
Nouitates tamen non repudiandæ: vetu-
ſtas autem ſuo loco conſeruetur. In Læ-
lio.

95

Vt monere & moneri proprium eſt ve-
ræ amicitiæ, & alterum liberè facere
non aſperè, alterum patienter
accipere, non repugnan-
ter: ſic habēdum nul
lam in amicitijs
peſtem eſſe
maio-
rem, quàm adulationem,
blanditias, aſſen-
tationem. In
Lælio.

M. T. CICERONIS PIAE ALIQVOT SENTENTIAE.

1

SI QVOD optimum, maximumque eſt,id volumus adipiſci,vir tuti opera danda eſt, ſine qua nullã rem expetendam conſequi poſſumus. In Lælio. 2

Omnium rerum magnarum à dijs immortalibus principia ducuntur. In Vat. 3

A dijs immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. 2.de Legib. 4

Nemo magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuit. 2.de Nat.Deor. 5

Cùm ipſa natura magnã homini facultatem dederit, tamen eſſe Deus putatur, vt & ipſum quod eſt hominum proprium, non partum per nos,ſed diuinitus ad nos delatum videatur. 1.de Orat. 6

Commoda quibus vtimur, lucem qua fruimur, ſpatium quem ducimus, à Deo nobis dari & impartiri videmus. Pro Roſcio Amer. 7

Sit hoc à principio perſuaſum hominibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos,eaq; quæ gerãtur, eorum geri

geri ditione atq; numine, eoſq; optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſq; ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem. 2. de Legib. 8

Deorum prouidentia mundus adminiſtratur, idemq; conſulunt rebus humanis: neque ſolùm vniuerſis, verumetiam ſingulis. 1. de Diuinat. 9

Mundus regitur numine deorum, eſtq; quaſi communis vrbs & ciuitas hominũ. 3. de Finib. 10

Nihil eſt illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit (quod quidem in terris fiat) acceptius, quàm concilia, cœtuſq; hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur. Sòm. Scip. 11

Illud modò videto, vt Deum noris, etſi ignores & locum & faciem: ſic animum tibi tuum notum eſſe oportet, etiam ſi ignores & locum & formam. 1. Tuſc. 12

Quis eſt tam vecors, qui cùm ſuſpexerit in cœlum, Deos eſſe non ſentiat? & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quiſquam arte vlla ordinem rerum ac viciſſitudinẽ perſequi poſſit, caſu fieri putet? de Reſponſis Aruſp. 13

In mundo Deus eſt aliquis, qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſq; conſeruat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſque tuetur. 1. de Nat. Deor. 14

Deus ipſe qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi non poteſt, niſi mens ſoluta & libera & ſegregata ab omni concretione mortis, omnia ſentiens & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno. Som. Scipionis. 15

Ea eſt Dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentis cogitari poteſt. Nihil enim agit, nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur, ſua ſapientia & virtute gaudet, habet exploratum fore ſe ſemper tum in maximis, tum in æternis voluptatibus. 1. de Natura Deor. 16

Vt hominum membra nulla contentione, mente ipſa & voluptate mouentur: ſic numine Deorum omnia figuntur, mouentur, atq; mutantur. 1. de Nat Deor. 17

Mala & impia conſuetudo eſt contra Deos diſputandi ſiue ex animo id fiat, ſiue ſimulatè. 2. de Nat. Deor. 18

Homini timidè de poteſtate Deorum, & pauca dicenda ſunt. Pro Leg. Ma. 19

Pietas grata eſt Deo: ſumptus eſt remouendus. Quid enim eſt cur paupertatem, Deorum aditu arceamus, præſertim cùm ipſi Deo nihil minus gratum futurum ſit, quàm non omnibus patêre ad ſe placandum, & colendum viam Numæ Pompilij? 2. de Legib. Vide de Deo. 1. 20

Nulla eſt erga Deos pietas, niſi honeſta de numine Deorum ac mente opinio. Pro Plancio. 21

Color albus præcipuè decôrus Deo eſt.

eſt. 2.de Legibus. 22

Cùm multùm animus corpori præſtet, obſerueturq́;, vt caſta corpora adhibeantur, multò eſt in animis id obſeruandum magis: nam inceſtum vel aſperſione aquę, vel dierum numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate euaneſcit, nec manibus vllis elui poteſt. 2. de Legib. 23

Nullum eſt animal, præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. 1. de Legibus. 24

De hominibus nulla gens eſt, neq; tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendũ ſciat. 1.de Leg. 25

Firmiſſimum afferri videtur, cur Deos eſſe credamus, ꝙ nulla gens tam ferrea, nemo omnium tam immanis, cuius mẽtem non imbuerit Deorum opinio. 1.Tuſ. 26

Dij immortales ſparſerunt animos in corpora humana, vt eſſent qui terras tuerentur, quiq́; cœleſtem ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo, atq; conſtantia. Cato Maior. 27

Deus, animal vnum ſpectabile, hominẽ in quo omnia animalia contineret, effecit. De Vniuerſ. 28

Sunt ex terra homines, non vt incolę & habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atq; cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Senſus autem interpretes ac nuntij rerum, in capite, tanquam in arce mirificè ad vſus neceſſarios & facti &

collocati ſunt. Tu reliqua vide ſupra, De Homine, 119. 2.de Nat.Deor. 29

Cùm natura cæteras animantes abiecíſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi cognationis, domicilijq́; priſtini conſpectum excitauit, tum ſpeciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effringeret. 1.de Legib. 30

Omnia aliorum cauſa generata ſunt, vt fruges atq; fructus, quos terra gignit, animalium cauſa, animantes, hominum: vt equus vehendi cauſa, arandi bos, venandi & cuſtodiendi canis. Ipſe autem homo ortus eſt ad mundum contemplandum. 2.de Nat.Deor. 31

Nobis perſuaſum eſſe debet, ſi omnes Deos, homineſq́; celare poſſimus, nihil tñ auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum. 3.Offi. 32

Cùm deſpicere cœperimus, & ſentire quid ſimus, & quid ab animantibus cæteris differamus, tũ ea inſequi incipiemus, ad quæ nati ſumus. 5.de Finib. 33

Si cõſiderare velimus quæ ſit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus q̃ ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere, quamq́; honeſtum parcè, cõtinenter, ſeuerè, ſobriè. 1.Off. 34

Nec figura corporis, nec excellens vis ingenij humani ſignificat ad hanc vnam rem natum hominem, vt frueretur voluptatibus. 2.de Finib. 35

Animus eſt ingeneratus à Deo, ex quo verè, vel agnitio nobis cũ cœleſtibus, vel ge-

nus,vel ſtirps appellari ſolet. 1.de Leg. 36

Eſt animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram,locum diuinæ naturæ,æternitatiq́ue contrarium. Cato Maior. 37

Humanus animus decerptus ex mente diuina cum alio nullo niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu,comparari poteſt. Hic igitur ſi eſt excultus, & ſi eius acies ita curata eſt,vt ne cæcetur erroribus, ſit perfecta mens, id eſt abſoluta ratio, quod eſt idem quod virtus. 5.Tuſc. 38

Nulla eſt celeritas,quæ poſſit cum animi celeritate comparari: qui ſi manet incorruptus, ſuiq; ſimilis,neceſſe eſt ita feratur, vt penetret & diuidat omne cœlum hoc,in quo nubes,imbres,ventiq; coguntur. 1.Tuſc. 39

Oportet vt ipſa ſe mens vitijs exutam cognoſcat, coniunctamq́ue cum diuina mente ſe ſentiat,ex quo inſatiabili gaudio compleatur. 5.Tuſc. 40

Cùm animus, cognitis perceptiſq; virtutibus,à corporis obſequio indulgentiaq́ue diſceſſerit, voluptatemq; ſicut labem aliquam decòris oppreſſerit, omnemq́ue mortis doloriſq; timorem effugerit,ſocietatemq; caritatis coniecerit cum ſuis,omneſq; natura coniunctos,ſuos duxerit, cultumq; Deorum & purã religionem ſuſceperit,& exacuerit illam,vt oculorum, ſic ingenij aciem ad bona deligenda & reijciẽda contraria, quæ virtus ex prouidẽdo eſt appellata Prudentia: quid eo dici aut cogitari

gitari poterit beatius? Idemq́; cùm cœlũ, terras, maria, rerumq́; omnium naturam perſpexerit, eaque vnde generata, quò recurrant, qñ, quomodo obitura, quid in ijs mortale & caducum, quid diuinũ, & æternum ſit viderit, ipſumq́; ea moderantem & regentem penè prehenderit, ſeſeq́; non vnis circundatũ mœnibus popularem alicuius definiti loci, ſed ciuem totius mũdi quaſi vnius vrbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atq; in hoc conſpectu & cognitione naturæ, dij immortales, q̃ ſe ipſe noſcet, quod Apollo pręcipit Pithius? quàm contemnet? quàm deſpiciet? quàm pro nihilo putabit ea, quæ vulgò ducuntur ampliſſima? 1. de Legib. 41

Animus cùm eſt ſecum, ſecumq́;, vt dicitur, viuit, tum quæ ad ſe pertinent, ea curat: quæ ſua ſunt, cognoſcit, noſcit ſe ipſum. 1. Tuſc. 42

Siquis eſt hoc robore animi, atq; hac indole virtutis ac continentiæ, vt reſpuat omnes voluptates, omnemq́; vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atq; in animi contentione conficiat, quem non quies, nõ remiſſio, non æqualiũ ſtudia, non ludi, non conuiuia delectẽt: nihil in vita expetendũ putet, niſi quod eſt cum laude & honore, & cum dignitate coniunctum: hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum atq; ornatum puto. Pro M. Cęl. 43

Altè ſpectare ſi voles, atq; hãc ſedem & æternam domum contueri, neq; ſermonibus vulgi dederis te, nec in præmijs huma-

nis

nis ſpem poſueris rerum tuarum, ſuis te illecebris oportet ipſa virtus trahat ad verum decus. Som.Scip. 44

Cogitantes ſupera atque cœleſtia, hæc noſtra vt exigua & minima contẽnamus. 4.Acad.quæſtio. 45

Quid poteſt ei videri magnũ in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo? Nam quid aut in ſtudijs humanis, aut in tam exigua vitę breuitate magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo ſic excubat, vt nihil ei improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum? Atque idem ita in omnes partes aciem intendit, vt ſemper videat ſedem ſibi ac locum ſine moleſtia atq; angore viuendi, vt quemcunque caſum fortuna inuexerit, hũc aptè & quietè ferat. 4.Tuſc. 46

Confer noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate, & breuiſſima reperietur. 1.Tuſcul. 47

Cœleſtia ſemper ſpectato, illa humana contemnito. Som.Scip. 48

Nihil eſt melius, quàm memoria rectè factorum, & libertate contentum, negligere humana. Cic.Bruto. 49

Abeunt oĩa vnde orta ſunt. Cat.Mai. 50

Nemo confidat ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum ſit. 2.Tuſc. 51

O dij boni quid eſt in hominis vita diu? Mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo eſt aliquid extremũ: cùm

enim

enim id aduenit, tũ illud quod præteriјt, effluxit: tantum remanet quod virtute & rectè factis ſis conſecutus: horæ quidẽ cedunt,& dies,& menſes, & anni, nec præteritum tempus vnquã reuertitur, nec quid ſequatur, ſciri poteſt. Cato Maior. 52

Quis eſt,quamuis ſit adoleſcens,cui ſit exploratum ſe ad veſperum eſſe victurũ? Cato Maior. 53

Nemini exploratũ poteſt eſſe, quomodo ſeſe habiturum ſit corpus, non dico ad annum,ſed ad veſperum. 2.de Finib. 54

Homines nos eſſe meminerimus,ea lege natos,vt omnibus telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra: neq; eſſe recuſandum, quò minus ea,qua nati ſumus, cõditione, viuamus,néve tam grauiter eos caſus feramus,quos nullo conſilio vitare poſſumus, euentiſq; aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe noui nobis cogitemus. Cicer.Titio Famil.5. 55

Vtrũ viuere,an mori ſit melius, dij immortales ſciunt: hominem quidem arbitror ſcire neminem. 1.Tuſc. 56

Ex ipſa vita diſcedimus,tãquam ex hoſpitio,non tanquam ex domo: commorandi enim nobis natura diuerſorium,nõ habitandi dedit. Cato Maior. 57

Mors terribilis eſt ijs,quorum cum vita omnia extinguuntur:nõ ijs, quorum laus emori non poteſt. Parad.2. 58

Sic habeto te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Som.Scip. 59

Corpus hoc eſt mortale,animi verò mo-

tus

tus ſempiterni. Pro Seſtio. 60

Duæ ſunt viæ, vt ait Socrates, dupliceſque curſus animorum è corpore excedentium. Nam qui ſe humanis vitijs contaminarunt, & ſe totos libidinibus dediderunt: ijs deuium quoddam iter eſt ſecluſum à concilio Deorum. Qui autem ſe integros caſtoſq; ſeruarunt, quibuſq; fuit minima cum corporibus contagio, ſuntq; in corporibur humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, à quibus ſunt profecti, facilis patet reditus. 1. Tuſc. 61

Eorũ animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderũt, earumq; ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuq; libidinũ voluptatibus obedientium, Deorum & hominum iura violarunt, corporibus elapſi, circa terram ipſam volutantur: nec in hunc locum cœleſtem, id eſt in cœlum, niſi multis exagitati ſeculis, reuertuntur. Som. Scip. 62

Qui rectè & honeſtè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad aſtra facilè reuertetur: nõ qui aut immoderatè, aut intemperanter vixerit. De Vniuerſ. 63

Omnibus qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certus eſt in cœlo ac definitus locus, vbi beati ſempiterno æuo fruantur. Som. Scip. 64

Omnium animi ſunt immortales, ſed bonorum, fortiumq; diuini. 2. de Leg. 65

Bonorum virorum mentes mihi diuinę atq; æternæ videntur, & ex hominum vita ad Deorum religionem, ſanctimoniamq; demigrare. Pro C. Rab. 66

Tunc

Tunc erimus beati, cùm corporibus relictis, cupiditatum & æmulationum erimus expertes. 1.Tuſc. 67

Veſtra quæ dicitur vita, mors eſt. Som. Scipionis. 68

Vetat dominãs ille in nobis Deus, iniuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cùm verò cauſam iuſtam Deus ipſe dederit, ne ille medicus fidius vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit, nec tamen illa vincula carceris ruperit, leges enim vetant: ſed tanquam à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à Deo euocatus atq; emiſſus exierit. 1.Tuſc. 69

Tibi, & pijs omnibus eſt animus cuſtodia corporis retinẽdus, nec iniuſſu eius à quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus aſſignatum à Deo defugiſſe videamur. Som.Scip. 70

Non eſt iniuſſu imperatoris, id eſt Dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedendum. Cato Maior. 71

Niſi Deus iſtis te corporis cuſtodijs liberauerit, ad cœlum aditus patêre non poteſt. Som.Scip. 72

Nos ſiquid tale acciderit, vt à Deo denunciatum videatur vt exeamus è vita læti, & agẽtes gratias pareamus, emittiq; nos è cuſtodia, & leuari vinculis arbitremur, vt aut in æternã, & planè noſtrã domum remigremus, aut omni ſenſu moleſtiaque careamus. Sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen ſimus animo, vt horribilẽ illum diem alijs, nobis fauſtũ putemur: nihilque in

in malis ducamus quod ſit vel à dijs immortalibus,vel à natura parente omnium conſtitutũ.Non enim temerè,nec fortuitò ſati & creati ſumus, ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod quũ exanclauiſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum. 1.Tuſc. 73

Nec vnquam bono quicquam mali euenire poteſt,nec viuo,nec mortuo: nec vnquam eius,res à dijs immortalibus negligentur. 1.Tuſcul. 74

Improbo bene eſſe non pôt. In Par. 75

Animi conſcientia improbi ſemper cruciantur. 2.de Finibus. 76

Impij pœnas luunt,&c. 1.de Leg. Vide In pijs, 111. 77

Cuiuſuis eſt hominis errare, nullius,niſi inſipientis,perſeuerare in errore. Phil. 12. 78

Facilius ijs cognoſcitur, qui non perſeuerare, ſed ab errato ſe reuocare moliuntur:eſt enim humanum peccare, ſed beluinum in errore perſeuerare. In Vatin. 79

Optimus eſt portus pœnitenti,mutatio conſilij. Philip.12. 80

Sit erranti medicina confeſſio. Cicero Octauio.

Permulta nos conſultò omiſimus,et ea in primis quæ ad dicendi facultatem & exercitationem magis, quàm ad inſtitutum noſtrum pertinere videbantur,quibus aliquando proprius & ſuus locus à nobis, ſi hunc noſtrum laborem probari intellexerimus,tribuetur.

ILLV-

ILLVSTRES QVAEDAM SENTENTIAE EX optimis quibuſque alijs autoribus ſelectę,

Per eundem Petrum Lagnerium.

Virtus.

VIRTVTE homini à dijs immortalibus nihil melius datum eſt.

Ampliſſimum ſibijpſi præmium eſt virtus.

Silius Ipſa quidem virtus
Ita. ſibimet pulcherrima merces.
Plau. Oĩa ei adſunt bona, quē penes eſt virtus.
Sola virtus expers ſepulcri.
Virtuti fortuna cedit.
Virtus fortunæ non eſt indiga.
Virtus fortunare ſolet.
Sene. Nunquàm poteſt non eſſe virtuti locus.
Sallu. Virtuti omnia parent.

Domat omnia virtus.
Famam extendere factis, *Virg.*
Hoc virtutis opus.
Virtutis & gloriæ comes inuidia.
Vireſcit vulnere virtus.
Virtutis præmium honor.
Ipſa ſeſe virtus ſatis oſtendit. *Sallu.*
Virtus neq; dono datur, neq; accipitur.
Virtus eripi nec ſurripi poteſt vnquã, neque naufragio, neq; incẽdio amittitur. *Cicer.*
Nunquàm Stygias fertur ad vmbras Inclyta virtus. *Sene.*
Virtus æterna, præclaraq; habetur.
Qui per virtutem perit, non pol interit. *Plau.*
Bonum eſt, quicquid ex virtutis geritur imperio.
Quod rectnm, & honeſtum, & cũ virtute eſt, hoc demum eſt bonum. *Cicer.*
Sat habet fautorũ ſemper, qui rectè facit. *Plau.*
Sera nunquam eſt ad bonos mores via.
Bene viuere, bis viuere eſt.
Ad virtutem vna & ardua eſt via.
Ad gloriam virtutis via peruenitur.
Virtutem incolumem odimus, *Hora.*
Sublatam ex oculis quærimus inuidi. *Iuue.*
Probitas laudatur & alget.
Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. *Sallu.*
Bonos imitari, quàm ijs inuidere preſtat.
Vbi malos præmia ſequuntur, haud facile quiſquam gratuitò bonus eſt.
Plerunque nos fallit vitium ſpecie virtutis & vmbra.

Pro-

Sene. Proſperum ac felix ſcelus,
Virtus vocatur.
Pauore carent,qui nihil commiſerunt:at pœnam ſemper ob oculos verſari putant,qui peccarunt.
Vacandum non modò omni crimine,ſed & criminis cuiuſcunque ſuſpicione.
Hora. Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Iuue. Semita certè
Tranquillæ per uirtutẽ patet vnica vitæ.
Affectibus bene vti,virtus:malè vti,vitiũ.
Iuue. Nobilitas ſola eſt,atque vnica virtus.
Statuæ huiuſmodi relinquendæ,quæ virtutis ſint monumenta magis,quàm ſtaturæ corporis.
Clau. Virtute decet,non ſanguine vti.
Sola perpetuo manent
Sene. Subiecta nulli mentis atque animi bona.
Omnis ſpes in virtute ponenda.

Prudentiæ.

PRudentes dij amãt, & oderũt malos.
Priuſquam initium rectè cõſtitueris, ſtultum eſt de exitu conſilium capere.
Ter. Iſthuc eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt,videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere:
Sallu. Priuſquàm incipias conſulto,& vbi conſulueris,maturè facto opus eſt.
Præterita reprehẽdi poſſunt, corrigi nõ poſſunt.
Sallu. Cum re mutare conſilium prudentis eſt.
In capiendis conſilijs feſtinatio rationis inimica,mentis præſtringit oculos.

Haud

Haud facilè animus verum prouidet, vbi odium, amicitia, ira, atque miſericordia intercedunt,

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit. *Terē.*

Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui, &c.

Perbeati ſunt, qui eum tenent vitæ curſum, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate verſentur. *Cicer.*

Seræ ſunt hominum lamentationes, prorſusq; vituperandæ, quas occupatas in ijs lugendis cernimus, quæ vitio ſuo, deſidiaq; contigerunt.

Primus ad ſapientiam gradus, ſeipſum noſſe: quod vt omnium difficilimum eſt, ita longè vtiliſſimum.

Feliciter is ſapit, q periculo alieno ſapit. *Plau.*

Felix quicunque dolore *Tibu.*

Alterius, diſces poſſe carere tuo.

Scitum eſt, periculum ex alijs facere, tibi quod ex vſu fiet. *Idem.*

Ita comparata eſt omnium hominum natura, aliena melius vt videant & iudicent, quàm ſua. *Ter.*

Suus cuique attributus eſt error,

Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt. *Catu.*

Aliena ſic nobis tractanda ſunt, vt noſtrarum non obliuiſcamur.

Stultitiæ eſt alienam rē ſuo periculo curare. *Sallu.*

Prudentis eſt mortis meminiſſe.

Sapientiſſimus quiſq; animo æquiſſimo moritur,

moritur,ſtultiſſimus iniquiſſimo.

Heſiodus. Aeſtas nó ſemper fuerit,cóponite nidos,
Carpe diem, quàm minimum credulus poſtero.

Hora. Viue memor quàm ſis æui breuis.

Mar. Sera nimis vita eſt craſtina,viue hodie.
Dum lucet,viue.
Vtendum præſentibus.
Memineris iuuenis, quòd aliquando ſenex eris.
Eſt ſua rebus pulchritudo, ſed & interim deſinit.
Stultus eſt, q quæ obtulit opportunitas, non amplectitur.

Ouid. Bene qui latuit,bene vixit & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.
Optimus eſt in omnibus rebus modus, laudabiliſq; menſura.

Boetius. Quod præcipiti via
Certum deſerit ordinem,
Lætos non habet exitus.

Hora. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos vltra,citraq; nequit conſiſtere rectum.

Terẽ. In omni re videndum,ne quid nimis.
Flagitium eſt,te alijs conſilium dare, foris ſapere;tibi non poſſe auxiliarier.
Lentè feſtinandum eſt.

Ouid. Habent paruæ commoda magna moræ.

Terẽ. Quod cauere poſſis,ſtultũ eſt admittere.
Prudentis eſt in pleriſque conniuere.
In auido ingenio,ſæpe prauum vincit cõſilium.

Ineuntis

Ineuntis ætatis inſcitia, ſenum conſtituē da & regenda eſt prouidentia.
Stultum eſt dimenſionibus terrarum ſtu dere, & ſeipſum neſcire metiri.
Dijs proximus ille eſt, *Clau-*
Quem ratio, non ira mouet. *dius.*
Vtilia iucundis præferenda ſunt, cùm ob tineri vtrunque non poteſt.
Vix ſibi ipſi, nedum alij credet prudens.
Ab altero expectes, alteri quod feceris.
Omnia prius experiri, quàm armis, ſapiē teni decet. *Terē.*
Euentus ſtultorum magiſter.
Dulce eſt deſipere in loco. *Hora.*

Fortitudinis.

FOrtior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſi ma vincit
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.
Omne ſolum forti patria eſt. *Ouid.*
Patria eſt vbicunque virtus ſedem ſibi elegerit.
Fortium virorum eſt magis mortem cō temnere, quàm amare vitam.
Quemcunque fortem videris, miſerum neges. *Sene.*
Fortes fortuna adiuuat. *Teré.*
Magnum faciunt hominem res aduerſę, quemadmodum ſecundæ felicem.
Creſcit in aduerſis virtus.
Neceſſitudo etiam timidos fortes facit. *Sallu.*
Scilicet aduerſis probitas exercita re- bus, *Ouid.*
Triſti materiam tempore laudis habet.
Quanta cuiuſque animo audacia natu- *Sallu.*

ra,aut moribus ineſt, tanta in bello pa têre ſolet.

Plau. In re mala animo ſi bono vtare, iuuat.

Lucr. In dubijs homines ſpectare periclis
Conuenit, aduerſiſque in rebus noſcere qui ſint.

Plau. Animus æquus, optimum eſt ærumnæ condimentum.

Silius Ita. Explorant aduerſa viros, perque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interita cliuo.
In ſuo quiſq; periculo magnum habet animum.

Teré. Scitum eſt profectò quiddam, & in medijs malis ea quenquam ſapere, quæ ſapere eſt opus.

Virg. Tu ne cede malis, ſed contra ardentius ito.

Sene. Haud eſt virile terga fortunæ dare.
Facere ſolent extrema ſecuros mala.

Ouid. Apparet virtus, arguiturq; malis.
Facile ſupplicium perpeti, ſe ſupplicio liberare eſt.
Vt valeas, multa ferenda tibi.

Virg. Superanda omnis fortuna ferendo eſt.
Audaces fortuna iuuat, timidoſque repellit.

Sene. Mors terribilis eſt ijs, quorum cum vita omnia extinguuntur, non ijs quorum emori virtus non poteſt.

Prop. Audendū tibi aliquid, ſi vis eſſe aliquid.

Teré. Non fit ſine periculo facinus magnum & memorabile.
Laus erit in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas. *Ouid.*

Nihil tam altè natura conſtituit, quò virtus non poſſit eniti.

Inuia virtuti nulla eſt via. *Ouid.*

Tendit in ardua virtus. *Idem.*

Eneruos animos virtus odiſſe ſolet.

Nihil intentatum relinquit virtus.

Amicitiæ.

NEque ſalſum prorſus, neque ſuaue eſſe poteſt quicquam, vbi amor non admiſcetur: fel quod eſt amarum, id mel faciet. *Plau.*

Non aqua, non igni, non aëre pluribus locis vtimur, quàm amicitia. *Cicer.*

Solem è mundo tollunt, qui amicitiam è vita tollunt. *Cicer.*

Tantum boni eſt in amicitia, vt ad eam rem perficiendam, Deorum atq; hominũ munera videantur concurrere. *Xenophon.*

Amicus eſt deſiderabile nomen, homo vix apparens, infelicitatis refugium, vix inuenienda poſſeſſio, ſecretorum receptor, indeficiens quies, amanda felicitas.

Aequalitate animorum conſtat amicitia. *Sallu.*

Idem velle, atq; idem nolle, ea demum firma eſt amicitia.

Eadem cupere, eadẽ odiſſe inter bonos, inter malos factio eſt.

Solus eſt homo amico amicus.

Amicitia omnibus rebus humanis anteponenda.

Odit verus amor, nec patitur moras. *Sene.*

Plau. Tardò amico nihil eſt quicquã inæquũ.

Aug. Amor qui renuit operari, amor non eſt.

Vbi amici, ibidem opus.

Plau. Is amicus eſt, qui in re dubia, re iuuat, vbi re eſt opus.

Cicer. Amicus certus in re incerta cernitur.

Ouid. Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum;
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Stat nulla diu mortalibus vſquam
Fortuna titubante fides.

Ouid Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Sene. Fidem ſecunda poſſunt, aduerſa exigũt.

Mart Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis
Quas dederis, ſolas ſemp habebis opes.

Siquid erga amicum benefeceris, aut cõſulueris fideliter, non videris meruiſſe laudem munere functus tuo.

Reconciliata ſimultate, quælibet leues ſuſpiciones fugiendæ ſunt.

Prop. Verus amor nullũ nouit habere modũ.

Coniunctio animorum, maxima cognatio eſt.

Qui verè amat, præter vnum amare non poteſt.

Opitulandum amicis, ſed vſque ad aras.

Contra patriam arma pro amico ſumenda non ſunt.

Et quatenus amicitiæ dari venia poſſit.

Cicer. Omnia cum amico diſcutienda ſunt, primùm autem diſcutiendus, proban-

duſque

duſque amicus ipſe eſt.
Amicitijs non eſt vtendum vt floribus, tã diu gratis, quandiu recentibus.
Veteres amicitias pro conſequentium nouitate non faſtidias.
Amicorum nunquam cuiquam hominũ ſatis fuit. *Sallu*
Amicos res inuenit. *Plau.*
Amicorum communia debent eſſe omnia.
Nomen amicitiæ barbara corda mouet. *Ouid.*
Amandi nec multi, nec nulli.
Amicitiæ immortales eſſe debent: mortales inimicitiæ.
Periculoſum eſt inter amicos de re aliqua ſtatuere: nam ita neceſſum eſt alterum ex his prorſus inimicũ habere. *Bias.*
Optimam vitæ ſupellectilem ſibi comparauit, qui amicos parauit.

Paupertatis ac diuitiarum.

Magnum vectigal eſt parſimonia.
Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè. *Lucr.*
Si res tua non ſufficiat tibi, tu parcendo fac vt ſufficias rei tuæ.
Pauper non eſt is cui rerũ ſuppetit vſus.
Egens æquè eſt is, cui, quod eſt, non ſufficit, atq; is qui nihil habet.
Quod ſatis eſt, cui contingit nil amplius optet. *Hora.*
Bene eſt, cui Deus obtulit
Parca quod ſatis eſt manu.
Facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper cœpit rem *Plau.*

habere, aut negocium.
Ouid. Curia pauperibus clauſa eſt.
Hora tius. Paupertas nulli malũ eſt, niſi repugnãti. Magnum pauperies opprobrium iubet, & facere & pati.
Iuuenal. Nihil habet infelix paũptas durius in ſe, Quàm quòd ridiculos homines facit.
Perſi. Magiſter artis, ingenijq; largitor Venter.
Paupertas omnes artes perdocet.
Difficile eſt pauperem philoſophari.
Hora tius. Seruiet æternum qui paruo neſciet vti. Inopiæ pauca deſunt, auaritiæ omnia.
Hora tius. Locum virtutis deſeruit, qui Semper in augenda feſtinat & obruitur re.
Auaritia, adeoq; pecuniæ ſtudium, fidem probitatem, cæteraſque bonas artes ſubuertit.
Iuuenal. Lucri bonus eſt odor ex re Qualibet.
Nunquam expletur cupiditatis ſitis.
Pecunia auaro ſupplicium eſt.
Hora tius. Semper auarus eget. Nimium ad rem in ſenecta attẽti ſumus.
Iuuenal. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit: Et minus hanc optat qui non habet.
Martial. Rape, congere, aufer, poſſide: relinquendum eſt.
Solius temporis honeſta auaritia eſt.
Vbi quis pecuniam habet, neceſſe eſt, vt aut ſeipſum, aut pecuniam vilem habeat.

Auarus multa multis ſæpe ſuaſit perperam. *Plau.*
Solus ferrum, mortemq; timere *Luca.*
Auri neſcit amor.
Diuitiarum fluxa eſt atq; fragilis gloria.
Animus hominis diues, non arca appellari ſolet.
Diuites non ſolùm cruciantur libidine *Cicer.*
augendi ea quæ habent ; ſed etiam amittendi metu.
Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt. *Horatius.*
Omnia pulchris diuitijs parent.
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu *Iuuenal.*
Diuitiæ molles.
Diuitiarum cupido ibi eſt, vbi & luxus, vſuſque.
Qui ſuis contentus eſt, is verè ditiſſimus eſt.
Cui tanta poſſeſſio eſt, vt ad liberaliter *Cicer.*
vtendum facilè contẽtus ſit, qui nihil quærit, nihil appetit, nihil optat amplius, hic demũ diues appellandus eſt.
Virtute qui p̃diti ſunt, ſoli ſunt diuites. *Cicer.*
Opes ſunt ſarcinæ mentis.
Imperat aut ſeruit collecta pecunia cuique. *Horatius.*
Aurum omnes victa iam pietate colũt. *Prop.*
Aurea nunc verè ſunt ſæcula, pluribus auro venit honos.
Nemo extollere ſeſe, & diuina mortalis attingere poteſt, niſi omiſſis pecuniæ

& corporis gaudijs.

Sallu. Fortunæ bonorum vti initiũ, ſic finis eſt.

Ouid. In pretio pretium nunc eſt.

Hora. Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Maiorumquè fames.

Terē. Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.

Exercitij, ſeu laboris, & ignauiæ.

DIj nobis laboribus omnia vẽdunt. Qui felices aliquando eſſe volunt, laborare debent.

Hora. Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, ſudauit, & alſit.

Sallu. Vigilando, agendo, bene conſulendo, proſperè omnia cedunt.

Mala mille affligunt hominem, cui ſegne & inutile corpus.

Sallu. Nemo vnquam ignauia immortalis factus eſt.

Difficilia quæ pulcra.

Plau. Qui dormiũt libenter, ſine lucro & cum malo quieſcunt.

Hora. Si non
Intendes aĩum ſtudijs & rebus honeſtis,
Inuidia vel amore vigil torquebere.

Deſuetudo pigritiam, pigritia veternum parit.

Exercitium dormientem, naturam excitat, morbos fugat, deniq; temporis lucrum eſt vberrimum.

Exercitium poteſt omnia.

Virg. Labor omnia vincit
Improbus.

Spe otij ſuſtentatur labor.
In tenui labor, ac tenus non gloria.
Magnæ curæ magna merces.
Quæ laborioſa ſunt iuuentuti ſtudia, hæc ſunt.
Iucunda ſenectuti otia.
Laboris condimentum eſt otium.
Par eſt fortuna labori.
Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt.
Si quid feceris honeſtum cum labore, labor abit, honeſtum manet: Si quid turpe cum voluptate, turpitudo manet, voluptas abit.
Blando veneno deſidiæ, virtus paulatim euicta ſeneſcit.
Nihil tam difficile, quin quærendo inueſtigari poſſit.
Omne opus difficile apparet, antequã tentaueris.
Nihil tam facile, quin difficile fiat, ſi inuitus facias.

Voluptatis.

IN regno voluptatis virtuti non eſt locus.
Ne illi falſi ſunt, qui diuerſiſſimas res pariter expectant, voluptatem & prẹmia virtutis. *Saluſt.*
Voluptatibus ſimul & virtuti nemo ſeruire poteſt.
Voluptas eſt malorum eſca, quòd ea nõ minus homines *Plat.*
Quàm hamo capiantur piſces.
Hominis præſtãtia indigna eſt voluptạs.

Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Facile ingenia adoleſcentium ab honeſta diſciplina ad luxum dilabuntur.
Luxum ſuadet licentia.
Suadent breuem præſentia fructum.
Copia, luxuſq; nimius, ad voluptatem facillimè allicit.
Plin. Nulla eſt adeò voluptas, quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat.
Copia faſtidium parit.
Iuuenal. Voluptates commendat rarior vſus.
Pœnitentia, dolorque voluptate comparantur.
Plau. Ita dijs placitum, voluptati vt mœror comes conſequatur.
Sene. Dolor ac voluptas
Inuicem cedunt, at breuior voluptas.
Voluptatum vſuræ morbi ſunt.
Horatius. Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Ouid. Miſcentur triſtia lætis.
Qui minus delitiarum nouit in vita, minus timet mortem.

Fortunæ.

Sene. Fortuna opes auferre, non animum poteſt.
Fortuna fortes metuit, ignauos premit.
Sene. Oblatum vtramuis fortunam iuxta ſuſcipere diſcat, qui animo eſſe trãquillo cupit.
Sallu. Fortuna meliores ſequitur.
Probitatem, induſtriam, cæteraſque bonas artes, neq; dare, neq; eripere cuipiam fortuna poteſt.

Fortuna

Fortuna cùm blanditur, tunc vel maximè metuenda.

In ſecundis nihil minus, q̃ confidendũ.

Parcius obſequenti fortunæ potius fidendum, quàm vſquequaque fauenti.

Fortunæ muneribus vtendum, non fidendum.

Quicquid in altum *Sene.*

Fortuna tulit, ruitura leuat.

Fortuna nunquam perpetuo eſt bona.

Fortuna ſæuo læta negotio, & *Horatius.*

Ludum inſolentem ludere pertinax,

Tranſmutat incertos honores,

Nunc mihi, nunc alij benigna.

Nulli præſtat velox fortuna fidem.

Cæca fortuna eſt, & eos pleruñq; efficit cæcos, quos complexa eſt. *Cicer.*

Fortuna, vt medicus ignarus, multos cæcat.

Seruat multos fortuna nocentes. *Luca.*

Res ſecundæ non habẽt vnquam modũ. *Sene.*

Laſciuiam amant atque ſuperbiam res ſecundæ. *Salln.* *Sene.*

Proſpera animos efferunt. *Terẽt.*

Omnes, cùm ſecundæ res ſunt maximè, tum maximè meditari ſecũ oportet, quo pacto aduerſam ærumnã ferant.

Cui ſpes omnis, & ratio, & cogitatio pendet à fortuna, huic nihil oportet eſſe certi, nihilque quod exploratum habeat permanſurum ſibi, ne vnum quidem diem. *Cicer.*

Miſer eſt, quiſquis felicitatem ſperat à miſeris.

Faber eſt quiſque fortunæ ſuæ.
Suam cuiq; mores fingunt fortunam.
Plau. Perinde vt quiſque fortuna vtitur, ita præcellit.
Terē. Omnibus nobis vt res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.
Hora tius. Fortuna non mutat genus.
Bona fortunæ perinde ſunt, vt animus illius, qui ea poſſidet:
Qui vti ſcit, ei bona: qui nō vtitur rectè, mala.
Fortunā citius reperias, quàm retineas.
Fortunam, cùm abire permiſeris, fruſtra poſtmodum fugientem implorabis.
Naturam plerunque fortuna corrumpit.
Dira libido fortunæ comes.
Mart Fortuna multis nimis dat, ſatis nulli.
Ouid. Dat quodcunque libet fortuna, rapitq́;.
Sallu. Fortuna in omni re dominatur.
Iuue-nal. Turba tremens ſequitur fortunam ſemper & odit.
Ad ſaturitatem non eſt opus fortuna. Nā quod neceſſitati ſat eſt, tollit irata.
Silius Ita. Leuis magnas opes huc fert & illuc caſus.
Breuis eſt magni fortuna fauoris.
Plau. Fortuna humana fugit, artatq́; vt lubet.
Sene. Minus in paruis fortuna furit.
Felicitatis comes inuidia.
Sallu. Fortuna ſimul cū moribus immutatur.
Succeſſum fortuna, experientiam laus ſequitur.
Hora tius. Quę res plus nimio delectauere ſecūdæ, Mutatæ quatient.

Læta omnia rarò ſine infelicitate aliqua eueniunt.

Fortuna arbitrijs tẽpus diſpenſat vbiq; . *Ouid.*

Hominem eſſe calamitoſum.

DIj nos quaſi pilas, homines habẽt. *Plau.*

Ludit in humanis diuina potentia rebus, *Ouid.*

Et certam præſens vix habet hora fidem.

Quemcunque miſerum videris, homi nem ſcias. *Sene.*

Ea eſt humanarum rerum natura, vt nihil ſit omni ex parte beatum.

Vt ſunt humana, nihil eſt perpetuũ datũ. *Plau.*

Vita data eſt vtenda. *Ouid.*

Nihil eſt homini perpetuum bonum: *Plau.*

Iam huic voluptati, hoc adinuentum odium eſt.

Prima pars æui ſeſe neſcit: media curis obruit: vltima moleſta ſenectute pmit.

Iuuenta nihil eſt fugacius, quæ vbi auolarit ſemel, redit nunquam.

Optima q̃q; dies miſeris mortalibus æui *Virg.*

Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſq; ſenectus,

Et labor, & durę rapit inclemẽtia mortis: *Iuuenal.*

Senectus ipſa morbus eſt.

Obrepit non intellecta ſenectus.

Multa ferũt anni veniẽtes cõmoda ſecũ, *Horatius.*

Multa recedentes adimunt.

Formæ gloria fluxa atq; fragilis eſt.

Res eſt forma fugax.

Forma exigui temporis donum eſt.

Nec forma æternum, haud cuiquam eſt *Prop.* fortuna perennis:

Longius aut propius mors ſua quemq; manet.
Oculi noſtri tum demũ miſerrimi ſunt, vbi coguntur paupertatem noſtrã cõſpicere.
Ter. Ita plerique ingenio ſumus omnes, noſtri noſmet pœnitet.
Sallu. Res humanæ fluxæ & mobiles ſæpius in aduerſa mutantur.
Aequo animo ferendæ calamitates mortalibus.
Hora. Immortalia ne ſperes, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Nouit paucos.
Sene. Secura quies.
Nulla dies mœrore caret.
Hora. Tu quancumque deus tibi fortunauerit horam,
Grata ſume manu.
Mar. Gaudia non remeant, ſed fugitiua volãt.
Sene. Finis alterius mali,
Gradus eſt futuri.
Leue eſt miſerias ferre, perferre ẽ graue.
Nihil iucundum, quod nemo videt, ne ipſæ quidem opes.
Terẽ. Omnium rerum viciſſitudo eſt.
Iuue. Sæuis inter ſe conuenit vrſis:
Aſt homini ferrũ lethale incude nefanda
Produiſſe parum eſt.
Lupus eſt homo homini, non homo, quũ qualis ſit, non nouit.
Prop. Vnicuiq; dedit vitium natura creato.
Curarum ſomnus domitor, pars eſt humanæ

manæ melior vitæ.
Debemur morti nos,noſtraq;. *Hora.*
Omnia orta occidunt,auctaq; ſeneſcũt. *Sallu.*
Homo ſe prius morti, quàm vitæ parare debet, atque adeò putare extremum ſibi ſemper adeſſe diem.
Vita & mors iure naturæ ſunt.
Hæc eſt hominis conditio, vt quàm citò in lucem exeat, moriturus exiſtat.
Quis furor eſt atram bellis accerſere mortem? *Tibu.*
Imminet,& tacito clàm venit illa pede.
Mors æquat ſummis infima,inuoluit humile pariter, & celſum caput.
Ipſe iubet mortis nos meminiſſe deus. *Mar.*
Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus *Virg.*
Omnibus eſt vitæ.
Fata manent omnes.
Mille modis lethi miſeros mors vna fatigat.
Quem ſors dierum cunque dabit,lucro Appone.
Omnes vna manet mors,
Et calcanda ſemel via lethi. *Silius*
Et pace & bello cũctis ſtat terminus æui. *Ital.*
Viue velut rapto, fugitiuaque gaudia carpe, *Mar.*
Perdiderit nullum vita reuerſa diem.
Quis ſcit an adijcient hodiernæ craſtina vitæ *Hora.*
Tempora dij ſupera?
Nemo tam diuos habuit fauentes, *Sene.*
Craſtinum vt poſſet ſibi polliceri.
Mors

Hora. Mors vltima linea rerum eſt.

Cicer. Abeunt omnia vnde orta ſunt.

Iuue. Mors ſola fatetur,
Quantula ſunt hominum corpuſcula.

Nemo quàm bene viuat,ſed quãdiu,curat: cùm omnibus poſſit contingere, vt bene viuant: vt diu,nulli.

Vita humana ſimilis eſt ferro, quod ſi exerceas,atteritur. ſi non exerceas,rubigo conſumit.

Sallu. In luctu atque miſerijs mors ærumnarum requies,non cruciatus eſt.

Plau. Vt bene viuitur, diu
Viuitur.

Dominij ac ſeruitis.

LIbertatem nemo bonus, niſi cũ anima ſimul amittit.

Plau. Omnes profectò liberi libentius
Sumus, quàm ſeruimus.

Hora. Proprię telluris herum natura,neq; illũ,
Nec me,nec quenquam ſtatuit.

Libertas per inertiam amittitur.

Liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit.

Sallu. Natura mortalium auida eſt imperij.

Ea demum tuta eſt potentia,quæ viribus ſuis modum imponit.

Hora. Vim temperatam dij quoq; prouehunt
In maius: idem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

Facilitate nihil eſt homini melius,neque clementia.

Pudore & libertate liberos

Terẽ. Retinere,ſatius eſſe credo, quàm metu.

Dete-

Deteriores omnes ſumus licentia. *Tere.*

Immodicus libertatis vſus, ſeruitutis quandoque occaſio fuit.

Durum & inuiſum & graue eſt *Sene.*
Seruitia ferre.

Peſſimus quiſq; aſperrimè rectorem patitur.

Serui ære parati, iniuſta imperia
Dominorum non perferunt.

Facile eſt imperium in bonis.

Non qui iuſſus facit aliquid miſer eſt, ſed qui inuitus.

Non decet ſuperbũ eſſe hominẽ ſeruũ. *Plau.*

Plus oportet ſcire ſeruum, quàm loquĩ. *Plau.*

Omnis animi debilitata & humilis & fracta timiditas ſeruitus eſt. *Cicer.*

Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum. *Clau.*

Regnum non capit duos.

Nulla fides regni ſocijs, oĩsq; poteſtas, *Luca.*
Impatiens conſortis erit:

Particeps dominationis neque fuit quiſquam, neque ſi pati potuiſſet, orbis terrarum bello concuſſus foret.

In maxima fortuna, minima licentia eſſe debet. *Sallu.*

Minimum decet licêre, cui multũ licet.

Multos timeat oportet, qui timetur à multis. *Sene.*

Rarò contingit, eum à multis diligi, qui non merito, ſed arrogantia pluribus nititur anteferri.

Odia qui nimium timet, regnare neſcit.

Ars prima regni eſt, poſſe inuidiam pati. *Sene.*

Malus

Malus eſt miniſter regij imperij pudor.
Timendus tibi populus, apud quem multa poſſis.
Tutus eſſe non poteſt, quē maxima pars hominum extinctum eſſe cupiat.
Sene. Eſt regis alti ſpiritum regi dare.
Sene. Multa cura ſummo imperio ineſt.
Plau. Qui quærit alta, is malū videtur q̄rere.
Venenum in auro bibitur.
Sene. Iniqua nunquā imperia retinentur diu.
Sene. Regna cum ſcelere, omnibus
Sunt exilijs grauiora.
Virtus & ſumma poteſtas
Non coëunt.
Lucanus. Vt nemo doceat fraudis, & ſceleris vitā:
Regnum docebit.
Senè. Nemo alteri imperium volens concedit, & quamuis nouus, atque clemens ſit, qui plus poteſt, tamē cui malo eſſe licet, formidatur.
Ouid. Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur
Maieſtas, & amor.
Regum pernicies adulatio.
Ter. Errat longè mea quidem ſententia,
Qui imperium credit grauius eſſe, aut ſtabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitia adiungitur.
Sallu. Non exercitus, neque theſauri, præſidia regni ſunt, verùm amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur.
Sallu. Regiæ volūtates plerunq; vt vehemētes, ſic

ſic mobiles sũt,ac ſępe ipſę ſibi aduerſę.
Regis ad exemplum totus componitur orbis
Circa regna tonat. *Sene.*
Nunquam placidam ſceptra quietem.
Certúmve ſui tenuerè diem.
Vis conſilij expers, mole ruit ſua. *Hora.*
Imperium his facilè artibus retinetur, quibus initio partum eſt. *Sallu.*
In ſeruitutē cadere de regno graue eſt. *Sene.*

Amoris.

QVi in amore præcipitauit,peius perit,quàm ſi ſaxa ſaliat. *Plau.*
Vis magna mentis, blandus atque animi dolor
Amor eſt. *Sene.*
Amor amoris expers non eſt.
Nox, & amor,vinumq́; nihil moderabile ſuadent: *Ouid.*
Illa pudore vacat:Liber,Amorq́; metu.
Libertas quoniam nulli iã reſtat amãti,
Nullus liber erit,ſi quis amare volet.
Inſanum eſt & malum in hoſpitium diuorti ad cupidinem.
Quiſquis in primo obſtitit, *Sene.*
Pepulitq́; amorem,tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Serò recuſat ferre, quod ſubijt iugum.
Solus amor, morbi non amat artificem. *Prop.*
Quæ res *Hora.*
Nec modum habet,neque conſilium, ratione, modoque
Tractari non vult.in amore hæc ſunt mala: bellum,

Pax rurſum.
Amorem ſectari ſolent, cura, ægritudo, dolor, nimiaque elegantia.
Nemo ſine grandi malo,
Præterquam res patitur, ſtudet elegãtiæ.
Plato Pulcra mulier nuda, erit quàm purpurata pulcherior.
Meretrix non abſimilis mari: quod das, deuorat: nunquam abundat.
Hoc vnum in re perpetuò habent meretrices, da mihi, atque affer mihi.
Plau. Amori accedunt hæc vitia,
Inſomnia, ærũna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiaq; adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia,
Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium, &c.
Virg. Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?
Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus.
Crudelis amor cuius parua flamma primo vapore delectet: at fomento conſuetudinis exæſtuans, immodici ardoris totum hominem perurat.
Amor in tempore vires capit, & paulatim totum hominem amplexatur.
Amantes amentibus haud diſſimiles, qui ſeipſos neſciunt, & quid agãt, ignorãt.
Celerem habet ingreſſum Amor, regreſſum tardum.

Dulce

Dulce eſt inſanire in loco.
Qui amat, ſi quod amat, habet, id ſatis habet ſibi
Pro cibo, vidêre, amplecti, oſculari, atq; alloqui.
Amantium eſt, etiam næuos eius quod amant, exoſculari.
Nulla nō hora ſomniamus, qđ amamus,
Vbi vanis ſomnijs enutritur amor, præcordijs inſedit.
Amoris præmium, fructuſq; libidinis, aliquando ſola cogitatio: Supplicium verò graue, fruſtratio cupiditatis.
Conſuetudo & mores fugant duritiem, & obſtinatiam inimicam Amori.
Falſa dulcedine fouentur amantes: Hæc tum demum ſe prodit, cùm dirimitur amor.
Dulces amorum inſidiæ.
Facile irati verbo mutantur amantes. *Prop.*
Amantium iræ, amoris redintegratio eſt. *Terē.*
Rara eſt concordia formæ *Iuue.*
Atque pudicitiæ.
Nimia eſt miſeria, pulchrum eſſe hominem nimis. *Plau.*
Tunc viue caſtè *Claudiat.*
Aſperius, cùm prompta Venus.
Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciūt. *Sene.*
Non bene cum ſocijs regna, Venuſque manent.
Amor perennis coniugis caſtæ manet. *Sen.*
Cæcus amor nonnunquam admiratur neglecta.
Omnia vincit amor. *Virg.*

Sobrietatis.

Iune-nal. BVccæ.
Noſcenda eſt menſura tuæ.

Plau. Non vinum moderari, ſed vino ſolent, qui quidem probi ſunt.

Ouid. Vina parant animos Veneri.
In vinum mutum confertur plerunque culpa ꝙ ſi loqui poſſet, ſe defenderet.

Plau. Nimis eſt vile vinum, atque amor,
Si ebrio atque amanti impunè facere, quod lubeat licet.

Plin. Homini cicuta eſt vinum.

Prop. Vino forma perit, vino corrũpitur ætas.
Vinum memoriæ mors.

Plau. Magnum hoc vitium vino eſt: pedes captat primum, luctator doloſus eſt.
Quem tu aſſeruare rectè, ne aufugiat, voles,
Eſca atque potione vinciri debet.
Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi quid edat, & quod potet, præbeas
Arbitratu ſuo affatim quotidie,
Nunquam ædepol fugiet.

Plau. Verecundari neminem
Apud menſam decet.

Taciturnitatis.

QVi non nouit tacêre, neſcit loqui.
Pœnituit aliquando locutum eſſe, tacuiſſe nunquam.

Heſi. Optimus eſt homini linguæ theſaurus, & ingens
Gloria q̃ parcis menſurat ſingula verbis.

Effræni

Effræni oris & ex legis dementiæ extremum infelicitatis occupat.
Linguam compeſcere, virtus non minima eſt.
Mors & vita in manibus linguæ.
Maledicentia ſtultorum theſaurus, quē in lingua reconditum tenent.
Qui incōſideratè loquitur, ſentiet mala.
Inter pocula præſertim ſeruandum ſilentium.
Stultus non nouit ſilentium ſeruare.
Percontatorem fugito; nam garrulus idem eſt. *Horatius.*
Alium ſilere quod voles, primus ſile. *Sene.*
Lingua hominum ad iudicia præceps.
Semel emiſſum volat irreuocabile verbū. *Horatius.*
Lingua ſi infrænis eſt, & prodiga, interdū maximarum cladium, organum eſt: at ſi parca & prouida, in ea particula ingentium bonorum fomites latent, & prudentia inde excerpitur.
Qualis vir, talis oratio.
Pudicæ mentis, pudicus ſermo.
Os ſanctum, ſancta prōmit eloquia.
Imago homini ſermo eſt.
Detrahentem auerſatur vir bonus.
Huic non licet alterius vituperationem patienter audire, qui nec ab alijs optat ſuam recipi.
Verecundia ſilentium.

Beneficentiæ & Ingratitudinis.

QVod bene fit bonis Haud perit. *Plau.*
Nec aurum, nec argentum, nec quic-

quicquam eorum quæ accipiũtur, beneficium eſt: ſed eius qui tribuit, aĩus.

Benefacta benefactis cumulanda.

Aliquando gratius eſt, quod facili, quàm quod plena manu datur.

Quicquid ſine detrimento commodari poteſt, id tribuatur etiam ignotó.

Serò beneficium dedit, qui rogãti dedit.

Eodem animo debetur beneficium, quo datur.

Reddit beneficium qui libenter debet.

Nemo licenter debet reddere quod non accipit, ſed extorſit.

Cicer. Meminiſſe debet is, in quem collatum eſt bebeficium, non cõmemorare qui contulit.

Odioſum hominum genus officia exprobrantium.

Beneficium, nec in puerum, nec in ſenẽ, conferendum eſt: in hunc quia perit antequam gratiæ referendæ detur opportunitas: in illum, quia nõ meminit.

Improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit.

Ingratus qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: ingratus, inquam, qui id diſſimulat: rurſum ingratus, qui non reddit: At omnium ingratiſſimus, qui oblitus eſt.

Ita ſunt omnes iſti noſtri ciues:

Plau. Si quid benefacias, leuior pluma gratia eſt.

Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

Eſt

Eſt aliqua ingrato meritũ exprobare voluptas. *Ouid.*

Immunifico cantari ſolet, quod habes, nec habeas.

Regem armis, quàm munificentia vinci, minus flagitioſum. *Sallu.*

Eruditionis, ac Scientiæ.

OPes eiuſmodi parandæ, quæ naui fracta, ſimul cum domino queant enatare.

Honos alit artes, omneſq; incenduntur ad ſtudia, gloria: iacentq; ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur.

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Literę pulcherrimę sũt hominis diuitię.

Quemadmodum corpus medicina, ſic animum philoſophia curat.

Hominis mens diſcendo alitur.

Vita hominis ſine literis mors eſt, & hominis ſepultura.

Strenua ingenia, quò plus receſſus ſumunt, hoc maiores impetus edunt.

Ingenio quõdam fuerat pretioſius auro: *Ouid.*
At nũc barbaria eſt grandis, habere nihil.

Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius, *Terẽ.*
Qui niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.

Iners malorum remedium ignorãtia eſt. *Sene.*

Reliqua confusè & ſine ordine.

LAudis cupiditas, & timor ignauiæ, ad virtutem excitant.

Gloriam, honorem, imperium; bonus & ignauus æquè ſibi exoptant. *Sallu.*

Gloria alitur induſtria.

Aequa laus eſt à laudatis laudari, & ab improbis improbari.

Laudare ſe, vani: vituperare ſtulti eſt.

Sene. Qui fauoris gloriam verè petit,
Animo laudari magis, quàm voce volet.
Laus vera humili ſæpe contingit viro.

Plau. Sperat quidem animus: quò eueniat dijs in manu eſt.

Tib. Credula vitam
Spes fouet.

Sene. Miſerrimũ eſt timere, cùm ſperes nihil.

Inſperata ſæpius accidunt quàm quæ ſperes.

Auxilium petendum ab omnibus, etiam ab infimis.

Nihil tam firmum cui periculum nõ ſit, etiam ab inualido.

Inhumanũ eſt malè mereri de ĩmerente.

Plau. Certa amittimus, dum incerta petimus.

Nihil eſt quod non aſſidua meditatio facillimum reddat.

Cui plus licet, quàm par eſt: plus vult, quàm licet.

In extrema inopia conſtitutis, haud facile eſt emergere.

Animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur.

Clau. Plus eſt ſeruaſſe repertum
Quàm quæſiſſe decus.

Nõ minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Sallu. Vbi intenderis ingenium, valet.

Hoc deterius habet Reſpublica, quò ma-

gis res priuatæ florent.
Suum cuique pulchrum.
Rex ſuus Reginæ placet.
Eſt amor & rerum cunctis tutela ſuarũ, *Val.*
Domi induſtria, foris iuſtum imperium: *Fla.*
animus in conſulendo liber, neque de
licto, neq; libidini obnoxius, illuſtres,
& magnos fecêre pleroſq;.
Neceſſe eſt facere ſumptum, qui quærit
lucrum,
Tum deniq; omnes noſtra intelligimus *Plau.*
bona;
Quum, quæ in poteſtate habuimus, ea
amiſimus.
Laudata virtus creſcit, & immẽſum glo
ria calcar habet.
Nimia omnia
Nimium exhibent negotium,
Plurimum facere, minimum de ſeipſo lo
qui, prudentioris eſt.
Quibuſdam *Iuue-*
Somnum rixa facit. *nal.*
Cupienti etiam celeritas mora eſt.
Nunc nunc qui fœdera rumpit *Clau.*
Ditatur: qui ſeruat, eget.
Multa promptius eſt cauillari, quàm
emulari.
Nullus dolor eſt, quem nõ longinquitas *Cicer.*
temporis minuat atque molliat.
Dies adimit ægritudinem hominibus.
Antiqua nouis præfert inuidia.
Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia *Salu.*
maximæ dilabuntur.
In irrecuperabilibus optimum eſt reme-

dium obliuio.
Negat,ſibi ipſi,qui,quod fieri non poteſt, petit.
Sene. Qui timidè rogat,
Docet negare.
Plau. Omnes res perinde ſunt, vt agas, vt eas magnifacias.
Ignoſce illis multa, nihil prorſus tibi.
Prop. Ingenio ſtat ſine morte decus.
Luca. Gaudet patientia duris.
Sene. Quicquid facimus venit ex alto.
Vulgus ingenio mobili,ſeditioſũ eſt atq; diſcordioſum, cupidum rerum nouarum,quieti & otio aduerſum.
Vale. Virtus ē,vbi occaſio admonet,deſpicere.
Flac. Nulla cęlum reparabile gaza.
Terē. Qui ſe habet nihil perdidit.
Non rete accipitri tenditur,neq; miluio.
In gerendis negotijs,ſequendæ temporũ opportunitates.
Irritatæ neceſſitatis grauiſſimi ſunt morſus.
Prop. Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.
Ouid. Nitimur in vetitum ſemper cupimusq́; negata,
Quod licet, ingratum eſt:quod nõ licet, acrius vrit.
Illicita amari ſolent.
Nemo recuſat ferre ſortem, quã omnes patiuntur.
Plau. Dum viuit,hominem noueris: vbi mortuus eſt,quieſcas.
His nunc præmium eſt, qui recta praua faciunt.

Nulli

Nulli te facias nimis ſodalem, *Iune.*
Gaudebis minus,& minus dolebis.
Quod quiſq; patitur, id,verò omniũ grauiſſimum quiſque putat.
Dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes ſumus.
Melius eſt in coruos, quàm in adulatores incidere: hi enim viuẽtes, illi mortuos exedunt.
Pœna eſt vehemens, nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.
Omne bellum ſumitur facilè, cæterum ægerrimè deſinit. *Sallu.*
Non laudandus eſt, qui plus credit,quæ audit, *Plau.*
Quàm quæ videt.
Ius ſummum ſæpe ſumma malitia eſt. *Ter.*
Neglecta ſolent incendia ſumere vires. *Hora.*
Non licet hominem eſſe ſæpe ita vt vult, ſi res non ſinit. *Ter.*
Venienti occurrendum eſt morbo.
Lẽto gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira,tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat.
Quem ſæpe tranſit caſus,aliquãdo inuenit. *Sene.*
Omnes res laudantur atque appetũtur, vt earum rerum vſus eſt.
Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere. *Cicer.*
Semper nocuit differre paratis. *Luca.*
Suus cuique mos genuinus eſt.
Velle ſuũ cuiq; eſt,nec voto viuitur vno. *Perſius.*
Quot homines,tot ſententiæ.

Hora. Maxima pars hominum morbo iactatur eodem,

Iniquè comparatum eſt, his qui minus habent,

Vt ſemper aliquid addant ditioribus.

Viue tibi, tecumque habita, nec grandia tentes,

Effugit immodicas paruula puppis aquas.

Ad Lectorem.

Hæc, ſuccincta licet, breuibusq; repoſta decebunt,

Qui vitam formes, inſtituasq; tuam.

FINIS.

SENTENTIAE TERENTIANAE EX ANDRIA.

PROLOGO.

Faciunt ne intelligendo vt nihil intelligant.
Vt quieſcant porrò moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.

Actu primo. Scena prima.

ID arbitror
Adprimè in vita vtile
eſſe, vt ne quid nimis.
Hoc tempore,
Obſequium amicos,
veritas odiũ parit.
Ingenium eſt
Omnium hominum à labore procliue ad libidinem.
Si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit, damnum, aut malum?

Mala mens, malus animus.

ſcena ſecunda.

Omnes qui amant, grauiter ſibi dari vxorem ferunt.

Dauus ſum, non Oedipus.

ſcena tertia.

Seni verba dare, difficile eſt.

ſcena quinta.

Facta, tranſacta omnia.

Aliquid monſtri alunt.

Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc, illuc impellitur.

Actu ſecundo. ſcena prima.

Quoniam id fieri quod vis non poteſt, velis id quod poſſit.

Facilè omnes cùm valemus, recta conſilia ægrotis damus.

Scena quinta.

Verum illud verbum eſt, vulgò quòd dici ſolet.

Oẽs ſibi melius malle eſſe, quàm alteri.

Actu tertio. Scena prima.

Fidelem haud fermè mulieri inuenias virum.

Ego in portu nauigo.

Scena tertia.

Amantium iræ, amoris redintegratio eſt.

Actu quarto. Scena prima.

Hoccine credibile eſt, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam vt ſiet,
Vt malis gaudeat, atque ex incommodis
Alterius, ſua comparet vt commoda?

Scena ſecunda.

Valeant qui inter nos diſſidium volunt.

Non

Non Apollinis magis verum, atque hoc
reſponſum eſt.

Scena quinta

Mirum verò, impudenter mulier ſi facit
meretrix.
Fallacia alia aliam trudit.
Paulùm intereſſe cenſes, ex animo oĩa,
Vt fert natura, facias, an de induſtria?

Scena ſexta.

Sic vt quimus, quãdo vt volumus nõ licet.

Actu quinto, Scena prima.

Beneficium verbis initum, re comprobes.

Scena ſecunda.

Omnis res eſt iam in vado.

Scena tertia.

Pro magno peccato, paululum ſupplicij
ſatis eſt patri.

Scena quarta.

Si mihi pergit, quæ volt dicere: ea quæ nõ
volt, audiet.
Nodum in ſcirpo quæris.

Scena quinta.

Ego vitam deorum, propterea ſempiternã
eſſe arbitror,
Quòd voluptates eorum propriæ ſunt.

Scena ſexta.

More hominum euenit, vt quod ſim na-
ctus mali,
Prius reſciſceres tu, quàm ego quod tibi
euenit boni.
Somniat ea, quæ vigilans voluit.

EX EVNVCHO.

PROLOGO.

Nullum eſt iam dictum, quod nó dictum ſit prius.

Actu primo. Scena prima.

Quæ res in ſe neque conſilium, neq; modum
Habet vllum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia, iniuriç,
Suſpitiones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax, rurſum, incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, vt cum ratione inſanias.

Scena ſecunda.

Accede ad ignem hunc, iam caleſces, plus ſatis.

Actu ſecundo. Scena prima.

Eijciunda mollities animi. Stat ſententia.
Adeôn hominem immutarier
Ex amore, vt non noſcas eundem eſſe.

Scena ſecunda.

Dij immortales, homini homo quid præſtat.
Stulto intelligens Quid intereſt
Omnia habeo, neque quidquam habeo, nihil cùm eſt, nihil deſit tamen. Tota erras via.
Vidén otiũ, & cibus quid faciat alienus?

Hic

Hic homines frigent.
Omnium rerum viciſſitudo eſt.

Scena tertia.

Matres ſtudent (ſcilicet filias)
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, vt graciles ſient.
Si qua eſt habitior paulò, pugilẽ eſſe aiũt, deducunt cibum.
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas.
Iſtæc in me cudetur faba.

Actu tertio. Scena prima.

Par pari referto.

Scena ſecunda.

Eſlamma te petere cibum poſſe arbitror.

Actu quarto. Scena quinta.

Sine Cerere & Libero friget venus.

Scena ſexta.

Tu qđ cauere poſſis, ſtultũ amittere eſt.

Scena ſeptima.

Conſilio omnia prius experiri, quàm armis ſapientem decet.
Noui ingenium mulierum,
Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltro.

Actu quinto. Scena prima.

Ouem lupo commiſiſti.

Scena ſecunda.

Sæpe
Ex malo principio, magna familiaritas
Conflata eſt.

Scena quarta.

Mihi puto palmarium (id eſt, palma dignum)
Me reperiſſe, quomodo adoleſcentulus

Meretricum ingenia, & mores poſſet noſcere.
Maturè, vt cùm cognorit, perpetuò oderit
Quæ dũ foris ſunt, nihil videtur mũdius,
Nec magis compoſitum quicquam ꝗ nec magis elegans:
Quæ cum amatore ſuo cùm cœnant, ligu riunt.
Harũ videre ingluuiem, ſordes, inopiam,
Quam inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atq; aui dæ cibi:
Quo pacto ex iure heſterno panem atrũ vorent:
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcẽtulis.

Scena ſexta

Ex meo ꝓpinquo rure hoc capio cõmodi:
Neque agri, neque vrbis odium me vnquam percipit.
Vbi ſatietas cœpit fieri, commuto locum.
Aliud ex alio malum.

Scena ſeptima.

Egomet meo indicio miſer, quaſi Sorex, hodie perij.

Scena nona.

Satis diu hoc iam ſaxum vorſo.

EX HEAVTONTIMORVMENO.

Actu primo. Scena prima.

Tantúmne eſt ab re tua ocij tibi
Aliena vt cures, eaque nihil quæ ad te attinent?
Homo ſum, humani à me nil alienũ puto.

Scena

Scena ſecunda.

Bona(ſcilicet fortunæ)

Perinde ſunt,vt illius animus,qui ea poſſidet:

Qui vti ſcit, ei bona:illi qui non vtitur recté,mala.

Quem ferret,ſi parentem non ferret ſuũ?

Parentum iniuriæ

Vniuſmodi ſunt fermè, paulò qui eſt homo tolerabilis.

Scortari crebrò nolunt,nolunt crebrò conuiuarier:

Præbent exiguè ſumptum, & ea ſunt tamen ad virtutem omnia.

Vbi animus ſemel ſe cupiditate deuinxit, mala

Neceſſe eſt conſilia conſequi conſimilia.

Actu ſecundo. Scena prima.

Quàm iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes iudices?

Qui æquum eſſe cenſent, nos iàm à pueris illico naſci ſenes:

Neq; illarum affines eſſe rerum quas fert Adoleſcentia?

Ex ſua libidine moderantur, quæ nunc eſt,non quæ olim fuit.

Periculum ex alijs facito, tibi quod ex vſu fiet.

Ne ille haud ſcit quàm mihi nunc ſurdo narret fabulam.

Scena ſecunda.

Pergin iſtuc prius diiudicare, quàm ſcis quid veri ſit?Noſti mores mulierum:

Dum moliuntur, dũ comuntur,annus eſt.

Scena tertia.

O Iupiter, vbi nam eſt fides?

Non fit ſine periculo facinus magnum & memorabile.

In aurem vtramuis otioſè dormias.

Tu es iudex, ne quid accuſãdus ſis, vide.

Actu tertio. Scena prima.

Senes eſt æquum ſenibus obſequi.

Vulgò audio adimere ægritudinem hominibus dici diem.

Deteriores omnes ſumus licentia.

Itan' comparatam eſſe hominum naturam omnium,

Aliena melius vt videant & iudicent,

Quàm ſua? An eò fit, quia in re noſtra, aut gaudio

Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?

Scena ſecunda.

Aquilæ ſenectus.

Scena tertia.

Noui ego amantium animos, aduertunt grauiter quæ non cenſeas.

Nemo eſt meorũ amicorum hodie apud

Quem expromere omnia mea occulta audeam:

Noſtrum eſt intelligere, vtcunque, atq; vbicunque opus ſit, obſequi.

Actu quarto. Scena prima.

Quid cum illis agas, qui neq; ius, neq; bonum, atque æquum ſciunt?

Melius, peius, proſit, obſit, nihil vident niſi quod lubet.

Quantò tuus eſt animus natu grauior, tantò ſit ignoſcentior.

Non

Non licet hominem eſſe ſæpe ita vt vult, ſi res non ſinit.

Scena ſecunda.

In anguſtum meæ coguntur copiæ.
Crucior bolum tantum mihi ereptum tam ſubitò è faucibus.
Nihil tam difficile, quin quærendo inueſtigari poſſit.

Scena tertia.

Amici res eſt videnda in tuto vt collocetur.
Quid ſi nunc cœlum ruat?

Scena quinta.

Dictum ac factum reddidi.
Ius ſummum, ſæpe ſumma malitia eſt.
Alijs ſi licet. tibi non licet.
Omnes te in lauta, & bene acta parte putant.

Scena ſexta.

Nulla eſt tã facilis res, quin difficilis fiet,
Quam inuitus facias. Loquitor paucula.

Actu quinto. Scena prima.

Idem dictum eſt centies.
Nónne id flagitium eſt, te alijs conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?
Mihi ad raſtros res redit.
Non auderet hæc facere viduæ mulieri, quæ in me fecit.

Scena ſecunda.

Vulgò id faciunt. Diſce quid ſit viuere.
Matres omnes filijs
In peccato adiutrices auxilio in paterna iniuria
Solent.

Solent eſſe. Adoleſcens quàm maxima in
Spe ſitus erit, tam facillimè,
Boni patris pacem in leges conficiet ſuas.

Scena quinta.

Hæc dum incipias grauia ſunt,
Dumq; ignores, vbi cognoris, facilia.

EX ADELPHIS.

Actu primo. Scena prima.

Vah quemquàm ne hominem in animo inſtituere, aut
Parare quod ſit carius, quàm ipſe eſt ſibi?
Qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.
Pudore & liberalitate liberos
Retinere ſatius eſſe credo, quàm metu.
Errat longè, mea quidem ſententia,
Qui imperium credat grauius eſſe, aut ſtabilius
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia ad iungitur.
Malo coactus, qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitũ iri credit, tantiſper cauet:
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit;
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit:
Studet par referre, præſens, abſenſque idem erit.
Hoc patriũ eſt, potius conſuefacere filiũ,
Sua ſpõte rectè facere, quàm alieno metu.

Hoc

Hoc pater ac dominus intereſt. hoc qui nequit,
Fateatur ſe neſcire imperare liberis.

Scena ſecunda.

Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius,
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectũ putat.

Actu ſecundo. Scena prima.

Accipienda & muſſitanda iniuria adoleſcentium eſt.

Scena ſecunda.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.
Spem pretio non emo.
Nunquam rem facies: neſcis ineſcare homines.

Scena tertia.

Abs quiuis homine, cùm opus eſt, beneficium accipere gaudeas.

Actu tertio. Scena ſecunda.

Peiore res loco non poteſt eſſe, quàm in quo nunc ſita eſt.

Scena tertia.

Illuc eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt
Videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt
Proſpicere.
Vt quiſque ſuum vult eſſe, ita eſt.
Vt homo eſt, ita morem geras.
Quid tu hic agas,
Vbi ſi quid bene præcipias, nemo obtemperat?

Scena quarta.

Quàm eſtis maximè

Potentes,dites,fortunati,nobiles:
Tam maximè vos æquo animo æqua noſcere
Oportet,ſi vos voltis perhiberi probos.
Nimia licentia
Profectò euadet in aliquod magnum malum.

Actu quarto. Scena prima.

Lupus in fabula.

Scena tertia.

Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo
Suſpicioſi, ad contumeliam omnia accipiant magis
Propter ſuam impotentiam; ſe ſemper credunt negligi.

Scena quinta.

Aduerſum ne illum cauſam dicerem,
Cui veneram aduocatus?
Credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos?

Scena ſeptima.

Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris.
Si illud,quod eſt maximè opus, iactu non cadit,
Illud,quod cecidit ſorte, id arte vt corrigas.
Ipſa ſi cupiat ſalus,
Seruare prorſus non poteſt.

Actu quinto. Scena tertia.

Reprime iracundiam,atque ad te redi.
Vetus verbum hoc quidem eſt,
Communia eſſe amicorum inter ſe omnia.

Hoc

Hoc licet impunè facere huic, illi non licet:

Non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is qui facit.

Ad omnia alia, ætate ſapimus rectius,
Solum vnum hoc vitium adfert ſenectus hominibus,
Attentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt.

Scena quarta.

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ętas, vſus ſemper aliquid adportet noui.
Aliquid moneat, vt illa q̃ te ſcire credas, Neſcias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudias.
Re ipſa comperi,
Facilitate nihil homini eſſe melius, neque clementia.

Scena octaua.

Vitium commune omnium eſt,
Quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus, hanc maculam decet nos
Effugere.
Suo ſibi hunc gladio iugulo.

EX HECYRA.

Actu primo. Scena prima.

Iniurium eſt vlciſci aduerſarios,
Ac qua via capiant te illi, eadem ipſos cape.

Liberali

Liberali eſſe ingenio decet.

Actu ſecundo. Scena prima.

Proh Deûm atque hominum fidem, quod hoc genus eſt? quæ coniuratio?
Vt omnes mulieres eadem æquè ſtudeāt, nolintque omnia:
Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio vllam reperias?
Vno animo omnes ſocrus oderūt nurus:
Viris eſſe aduorſas æquè ſtudium eſt, ſimilis pertinacia eſt.
In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.

Actu ſecundo. Scena tertia.

Aedepol ne nos mulieres ſumus iniquè æquè omnes inuiſæ viris
Propter paucas: quæ omnes faciunt dignę vt videamur malo.

Actu tertio. Scena prima.

Matris ferre iniurias pietas iubet.
Non maxumas, quæ maxumæ ſunt inter dum iræ, iniurias
Faciunt.
Pueri inter ſeſe quàm pro leuibus noxis iras gerunt.
Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Mulieres ſunt ferme vt pueri, leui ſententia:
Fortaſſe vnum aliquod verbum inter eas iam conſciuerit.

Scena ſecunda.

Qui amat cui odio ipſius eſt, bis facere ſtultè dico:

Laborem inanem ipſius capit,& illi moleſtiam adfert.
Scena tertia.
Vt res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.
O fortuna, vt nunquã perpetuò es bona?
Scena quarta.
Non hercle verbis dici non poteſt
Tantum, quàm reipſa nauigare incommodum eſt.
O fortunate, neſcis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingreſſus mare
Parenti potius quàm amori obſequi
Oportet.
Scena quinta.
Homo voluptati obſequens
Fuit, dum vixit: & qui ſic ſunt, haud multùm hæredem adiuuant.
Vide ne impulſus ira, prauè inſiſtas,
Qui paululum acceſſit pecuniæ,
Sublati animi adſunt.
Actu quarto. Scena ſecunda.
Tute rem incommodam, vt quæque eſt, in animum inducas pati.
Scena tertia.
Iſtuc eſt ſapere, qui vbicunq; opus ſit, animum poſſis flectere,
Scena quarta.
Cenſen' te poſſe reperire vllam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquũt viri?
Vxor quid faciat, in manu non eſt mea.
Actu

Actu quinto. Scena tertia.

Tua quod nihil refert, percontari deſinas.
Multa ex quo fuerint commoda eius incommoda æquum eſt ferre.

EX PHORMIONE.

Actu primo. Scena prima.

QVàm iniquè comparatum eſt, ij qui minus habent,
Vt ſemper aliquid addant ditioribus.

Scena ſecunda.

Vt nunc ſunt mores, adeò res redit.
Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.
Cuius tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere verba ei credere? Quę inſcitia eſt,
Aduorſum ſtimulum calces?
Sciſti vti foro.
Nunquam æquè ac modò.
Paupertas mihi onus viſum eſt & miſerum & graue.
Quod fors feret, feremus æquo animo.

Scena tertia.

Ita plerique ingenio ſumus omnes, noſtri noſmet pœnitet.

Scena quarta.

Laterem lauem.
Fortes fortuna adiuuat.
Egomet me noui, & peccatum meum.

Actu ſecundo. Scena prima.

Omnes, cùm ſecundæ res ſunt maximè, tum maxumè

Medi-

Meditari ſecum oportei,quo pacto æduorſam ærumnam ferant.

Pericla,damna,exilia:peregrè rediens ſemper cogitet aut filij peccatum, aut vxoris mortem,aut morbum filiæ.

Communia eſſe hæc:fieri poſſe,vt ne quid animo ſit nouum.

Quicquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Ecce ſimilia omnia,omnes congruunt,

Vnum cognoris,omnes noris.(ſcilicet Iudices)Qui ſæpe propter inuidiam adimunt diuiti,

Aut propter miſericordiam addunt pauperi.

Seruum hominem cauſam orare leges non ſinunt.

Neque teſtimonij dictio eſt.

Scena ſecunda.

Vereor ne iſtec fortitudo in neutrum erũpat denique.

Nõ rete Accipitri tenditur,neq; Miluio.

Cœna dubia apponitur.

Prima coitio acerrima eſt.

Si eam ſuſtinueris, poſt illa iam, vt lubet, ludas licet.

Scena tertia.

Actum ne agas.Quod eſt ferendum,feras.

Minue iram.

Scena quarta.

Quot homines,tot ſententiæ.Suus cuiq; mos eſt.

Mihi nõ videtur, quod ſit factum legibus, Reſcindi poſſe.

Actu

Actu tertio. Scena ſecunda.

Cantilenam eandem canis.
O fortunatiſſime, cui, quod amas, domi eſt.
Auribus teneo lupum.
Da locum melioribus.
Potior ſit, qui prior ad dandum eſt.

Scena tertia.

Dictum ſapienti ſat eſt?
Quærere in malo iubes crucem.
Noli metuere, vnà tecùm bona, malaque tolerabimus.
Solus eſt homo amico amicus.

Actu quarto. Scena prima.

Senectus ipſa eſt morbus.
Ego meorum ſolus ſum meus.

Scena ſecunda.

Pro vno duo ſunt mihi dati.
Commodius eſſe opinor duplici ſpe vtier.

Scena tertia.

Quid ſi animam debet?

Scena quarta.

Si quid velis,
Huic mandes, quod quidem rectè curatũ velis. (Ironicôs dictum de eo, qui te ad ſcopulum è tranquillo inferat.)
Quid minus vtile fuerit, quàm hoc vlcus tangere.
In neruum potius ibit. Nihil eſt
Quin malè narrando poſſit deprauarier.
Gallina cecinit.

Scena quinta.

Mulier mulieri magis congruet.

Actu

Actu quinto. Scena prima.

Quàm ſæpe forte temere
Eueniunt, quæ non audeas optare?

Scena ſecunda.

Noſtrate culpa facimus, vt malos expediat eſſe,
Dum nimiùm dici nos bonos ſtudemus, & benignos.
His nunc præmium eſt qui recta parua faciunt.
In eodem luto hæſitas.
Vorſuram ſolues.
Præſens quod fuerat malum, in diem abijt.
Plagæ creſcunt,
Niſi proſpicis.

Scena tertia.

Vir viro quid præſtat?

Scena octaua.

Viduam extrudi, turpe eſt.
In deliros ſenes.
Quid vos (malùm) me ſic ludicamini
Inepti veſtra puerili ſententia?
Nolo, volo: volo, nolo: rurſum cedò cape.
Quod dictum, indictum eſt: quod modo erat ratum, irritum eſt.

Scena nona.

Verba fiunt mortuo.

FINIS.

APPENDIX SENTENTIARVM EX PROBATISSIMIS autoribus ſelectarum,

Præcipuè verò ex libris Apophthegmatum.

Deus. 1

ARBITRIO numinis res hominũ ſurſum deorſumq; voluuntur & reuoluuntur.

Qui facinus arduũ cõcipit animo, prius à Dijs optare debet animũ facinori parẽ.

Deorum, cùm ſint optimi natura, proprium eſt benefacere omnibus, nocere nemini.

Deus vnicus, totius mundi Monarca, malis genijs, ac impijs hominibus nonnunquam abutitur ad vtilitatem Eccleſiæ.

Deus omnium ſapientiſſimus, ſermonis eſt parciſſimi.

Deus impiorum precibus irritatur, magis ad vindictam, quàm ad opitulandum flectatur.

A Dijs optāda potius mens bona, quàm ea, quæ nihil conferunt ad hominis felicitatem.

Abſque prouidentia Dei nihil geritur in rebus mortalium, magiſque fidendum diuino fauori, quàm humanis conſilijs, aut viribus.

Euentus rei in manu Dei eſt, & huic debetur gratia, ſi quid feliciter ceſſerit; ſed interim vult noſtram operam accedere.

Hominis eſt peccare, at Dei, aut hominis Deo proximi emendare peccata.

Dijs carior hominum eſt ſalus, quàm multa templorum ornamenta.

Dij, qui quos velint poſſunt lędere, nec à quoquam lædi viciſſim, non nocent niſi improbis: homines hominibus, ex æquo metuendi ſunt, proindè qui ſuperbè minantur alijs, aut Dij ſibi videntur, aut non cogitant id, quod minantur alijs, in ipſos, poſſe recidere.

Numen magis delectatur frugalitate, quàm optimis victimis.

Non eget Deus noſtris impendijs: amat autem homines, quorum neceſſitati poteſt illis impendijs ſuccurri.

Deus optimè nouit, quid nobis bonum ſit, quid non.

Homo.

SIc homines ſecundis rebus effręnati, ſibiq; præſidentes, tanquam in girum rationis ac doctrinæ duci oportet, vt perſpecta rerũ humanarũ imbecillitate, varietateq; fortunæ, reddantur imbecilliores

Prius debet eſſe homini, vt malo accepto medeatur, quàm vt reijciat in alterũ.

Ferè fit vt de leuioribus malis quærun tur homines, grauiora diſſimulent.

Aequum eſt, vt homo ſe ſuis, ac proprijs bonis metiatur potius, quàm externis, quæ fortuna cùm libet dat, cùm viſum eſt eripit.

Ciues mundi omnes ſunt homines.

Nullum eſt animal, cui tam varia vox ſit, quàm homo.

Non magnæ artis eſt hominem eò prę-pollere, quò ſuaptè natura eſt pronus.

Nemo magis eſt hoſtis homini, quàm ipſe ſibi, dum libidinem, dum iram, dum ambitionem variaſq; cupiditates adhibet in conſilium.

Homo eſt, cui deeſt pecunia: homo non eſt, cui deeſt eruditio.

Homines ſunt ad voluptatẽ proniores, quàm ad virtutem.

Homo nulla re melius cognoſcitur, quàm oratione.

Homo expers philoſophiæ, ad omnem vita functionem eſt inutilis.

Mundus hic fanum eſt Deo dignum, in quo conſtitutus homo ſemper honeſtè, velut in conſpectu numinis omnia cernen tis, ſeruari debet.

Animus. 3

HAbet hominis mens in alto illo ſilentio corporis ſenſibus iã feriatis, aliquid diuinitatis, ſi ſeſe intenderit ad rerum ſublimiorem ſpeculationem.

Hominis

Hominis animus eſt corpori ſeu carceri incluſus, quod quò reddas habitius, hoc magis grauatur animi vis.

Animus in profunda tranquillitate conſtitutus, veros affectus prodit. Contrà quæ vigilantes non audent profari, aut agere, ea noctu occurrunt in ſomniis.

Miſerior eſt egeſtas animi, q̃ corporis.

Corporis vigorem adimit ætas: animi vis ad extremam vſque durat ætatem.

Quod animo inſculptum eſt, niſi cum vita eripi non poteſt.

Animus habet quo ſe delectet, etiam occluſis ſenſibus.

Vt ornamenta ingenij longè pulchriora ſunt externæ nobilitatis inſignibus: ita animus naturâ multò præſtãtior eſt corpore.

Mentis integritati, corporis etiam habitum & cultum oportet congruere.

Animorum morbi ſunt cupiditates.

Animi domicilium eſt corpus.

In eruditis ac ſobrijs vis animi non elãgueſcit, ſed viget potius, augeturq́ue vſu & exercitatione.

Animus in corpore veluti præſidio collocatus eſt: nonnunquam tamen corpori plurima ab animo veniunt mala.

Animo ægrotanti medicus eſt ratio.

Non rectè amat vxorem, qui corpus amat potius quàm animum.

Auimi robur & vis naturæ, magno vſui poſſunt eſſe Reipublicæ.

Animus nec inepto pudori, nec ſuperſtitioni eſt obnoxius.

Bona animi. 4

IN animi bonis nullum ius habet fortuna.

Tum externa bona reddemus nobis ſtabiliora ſi quædam ſepoſuerimus, nec fortunæ volubili commiſerimus.

Fruſtrà parat opes, qui veris animi bonis vacat.

Sola animi bona non ſunt violentia obnoxia, non poſſunt à fortuna eripi.

Virtus. 5

VIrtus abundè ſui eſt præmium, quicunque ſeruatur euentus.

Lacedæmonij quoniã ſeueriores erant, & moribus incorruptioribus, belliq; gloriam potiſſimùm ſpectabant, contemnebant omnes artes, quæ ciuium animos videbantur emaſculare, & à vera virtute otioſam oſtentationem traducere.

Non refert quo quid apparatu fiat, ſed quantum efficiatur, ſi quidem hoc ſpecioſior victoris gloria, quo minus habet præſidij, præter virtutem.

Sæpe fit, vt hominis virtus magiſtratui per ſe contempto & humili, dignitatem conciliet.

In conciliandis matrimonijs, magis eſt ſpectanda virtus, quàm cenſus.

Præmijs, animi iuuenum ad virtutem accenduntur: quæ ſi detrahas, ipſa virtus elangueſcit.

Virtutis caput, eſt caruiſſe vitijs.

Qui virtute præditi ſunt, ijdem ſunt & nobiles.

Imbecil-

Imbecillitas corporis frequenter impedit virtutis vſum.

Arctiora ſunt vincula virtutis, quàm ſanguinis: & omnis bonus bono proximè cognatus eſt ob animorum ſimilitudinē.

Egregia res eſt, iam inde à teneris virtuti aſſueſcere.

Non infirmum erga Rempub. eſt meritum, ſi non ſolùm te præſtiteris egregium virum, ſed aliquem tibi ſimilem gignas, educeſque patriæ.

Qui nihil aliud habet quam maiorū imagines, opinione nobilis eſt verius quàm re: atqui virtute præditus eſt, vnde manat illa vulgaris nobilitas, germanam, ac natiuam habet nobilitatem.

Egregiorum meritorum cōſcientia magnam homini fidem præſtat.

Virtus pulcherrimum genus eſt nobilitatis, quam ſibi quiſque proprijs virtutibus conciliat.

Qui vera virtute præditus eſt, nihil ſpoctat, niſi vt proſit Reipublicæ.

Præmijs inuitatur virtus: at ignaui ignominia eccitantur.

Non ſolùm bonos artes alunt, verùm & virtutes.

Laudibus humanis virtus non eget, ducit enim ſecum laudem ſuam, & decus.

Ad ſtudium virtutis hoc magis intendendum eſt, quò minus ſupereſt vitæ.

Voluptates non aliter quàm Sirenas ei prætermittendas eſſe, qui properat, vt virtutem veluti patriam conſpiciat.

Virtus vſu magis diſcitur, q̃ lectione.

Virtus libris expreſſa, quodammodo pi cta virtus eſt.

Ille infeliciſſimè egenus eſt, qui nulla virtute præditus eſt.

Nihil ſapientia pulchrius, nihil virtute amabilius.

Iucunda eſt virtus eam exercentibus, vnde mirum eſt quoſdam ad id mercedem velle conduci, vt bene viuant, cùm ipſa vir tus abundè magnum ſui ſit præmium.

Vera virtus nihil moratur hominum laudes: eas qui prædicant, plus debent ijs, quos laudant, quàm ipſis, qui laudantur.

Non verè ſunt probi, qui nõ improbos deteſtantur.

Pulchrius eſt bene faciendo, quàm potentia vincere.

Vir bonus vndequaque venatur ſtimulos ad virtutem.

Veritas. 6

VEritas in dicendo maximè probanda eſt, & is optimè dicit, cuius oratio congruit rebus, ex quibus petenda eſt orationis qualitas, potius quàm ex artificio.

Veritas multis verbis nõ eget: & rectius meminimus quæ paucis verbis comprehenſa ſunt.

Philoſophia. 7

QVi experimentis addiſcunt adminiſtrare regnum, licèt ingenio feliciſſimo nati ſint, tamen, & ſero, & magno Reip. malo tandem euadunt boni reges. At qui philoſophiæ præmunitus præce-

præceptis accedit, ſi adſit mens integra, vix poterit ab honeſto deflectere.

Nemo philoſophia expers, eſt idoneus regno.

Lapidis eſt, non ſentire diſcrimen inter laudantem & vituperantem: ſed philoſophi eſt, non ita commoueri, vt ab honeſto recedat.

Vulgatum eſt, neque ſolem, neq; aquã, neque ignem magis vtilem eſſe hominibus, quàm amicos. Sed ingenij philoſophi ci eſt, quemadmodum periti medici ex beſtijs, ac ſerpentibus noxijs vitalia quædam remedia colligunt, ita ex inimicorum odio decerpere aliquid, quod vertat in ſuũ bonum.

Delicati pueri ad Philoſophiam non ſunt idonei.

Turpiſſimum eſt philoſopho, ſecus docere quàm viuit.

Is verè liber eſt, quem philoſophia liberum facit.

Philoſophum vt veſtis neglectior, ita & oratio decet inaffectata.

Philoſophia res eſt vſque adeò difficilis, vt eam vel ſimulare, magna ſit pars philoſophiæ.

Natura dat viuere, philoſophia dat rectè viuere. Illa ad virtutem dociles, non doctos gignit.

Proprium eſt philoſophi, mederi vitijs hominum.

Liberales diſciplinæ velut pediſſequæ ſunt moralis philoſophiæ, quarũ primis

habenda eſt & cuius gratia diſcuntur oĩa.

Philoſophi libertas eſt moleſta omnib.

Quod ars medica præſtat corpori, hoc philoſophia præſtat animo.

Non eſt idoneus philoſophiæ diſcipulus, qui ſtultum pudorem non poſſit contemnere.

Sola philoſophia præſtat vitam veram, tranquillam, ac ſuauem.

Solus philoſophus viros vincit.

Præſtantius eſt quod præſtat philoſophus, quam quod orator.

Munus Oratoris inferius eſt, quàm vt philoſopho conueniat.

Sponte mortem adſciſcere, poſteaquã deſit eſſe vſui ad vitam humanam, eſt veri philoſophi.

Quemadmodum equus indomitus ad omnem modum incommodus eſt, ob inſcitias, ac ferociam; ita, qui rapitur affectibus, quos ſola domat philoſophia, ad omnem vitæ conſuetudinem inutilis eſt.

Vulgus legibus ſcriptis arcetur à peccã do, philoſophus rationem habet pro legibus, non ideò quod rectum eſt faciens, quia lex iuſſit, nec à ſcelere temperans, quia lex vetuit: ſed quia nouit per ſe rectum eſſe, hoc per ſe turpe.

Probitas. 8

APud bonos in bona cauſa ſuperuacua eſt commẽdatio, cùm ipſa res impetret, quod præcibus exoratur.

Probus vir ob loci infamiam non fit deterior, imò ex dignitate hominis honor lo

co additur: nec ſolus magiſtratus oſtendit virum,ſed vir oſtendit magiſtratum.

Bonorum probrum eſt, virum probum egere neceſſarijs,

Probis viris etiam iniuratis eſt habenda fides:leuibus ne iuratis quidem.

Non verè ſunt probi, qui non improbos deteſtantur.

Immodica bonitas ſæpe contemptum parit.

Etiam improbis in neceſſitate ſuccurrit vir bonus:debetur enim hoc officium, ſi non meritis illius,qui iuuatur, certè naturæ.

Prudentia. 7

PRudentis eſt, pro re nata nouare conſilia,at ſine cauſa ſubinde alium fieri, inconſtantiæ vitium eſt.

Prudentia vrbes bene gubernat, ac domat: nec cantilenis, nec modis regitur probè.

Mederi maleuolis potius quàm vlciſci, prudentia eſt,& ciuilitas.

In bello plus habet momenti vnus vir prudens,& cordatus,quàm turba imprudentium, fit enim ſæpe,vt cordati viri autores ſint victoriæ,ſoliq; fortes habeãtur.

Vnus vir cordatus poteſt hoc totũ præſtare, qnod Reip.intereſt.

Eſt vbi loquendum ſit ſeuerius, eſt vbi blandius,eſt vbi magnificẽtius, eſt vbi ſubmiſſius, eſt vbi iucundius, eſt vbi durius; id ſi fiat citra perfidiam,prudentia eſt.

Prudentis non eſt, ob fortunæ ſucceſ-

ſum intumeſcere, cũ ipſe ſit nihilo maior.

In bello plus habet momenti prudẽtia ſolertiaque, quàm vires conſilij expertes.

Prudentis eſt naturæ ſuæ morbũ agnoſcere, & vitio materiam præcidere.

Regnum, quód beneficijs, & beneuolentia tenetur perpetuum eſt: quod verò vi, metuque, non eſt diuturnum.

Parentum eſt obiurgare liberos, ſed intra domeſticos parietes.

Solercia ac prudentia in conſilijs plus habent momenti in imperatore, quàm vires in prælijs.

Eſt prudentia in fido diffidere, donec pcriculum feceris.

Tutiſſimus eſt murus prudentia, neq; enim collabitur, nec proditur.

Oculi perlucent toti corpori, nec vlla eſt virtus abſque prudentia.

Vbi plus eſt periculi, ibi maior adhibenda eſt cautio.

Hæc eſt præcipua pars boni cõſultoris, diſpicere non ſolùm quid per ſe optimũ ſit, ſed quid pro temporum ratione poſſit obtineri.

Fortitudo. 10

APud Lacedæmonios admirabilis erat malorum tolerantia, quæ ſi ſuſcipitur ob res honeſtas, magnam promeretur laudem: ſin ob turpes, non ſolùm non meretur fortitudinis laudem qui tolerat, ſed hoc miſerior eſt ac vir peior, quò conſtantius ſe geſſerit.

Non perinde refert quàm numeroſum militem

militem educas in prælium, vt quàm fortem, & exercitatum.

Maieſtas, dignitasq; regia non veſtium ſplendore, ſed prudentia ac fortitudine paranda eſt.

Non à militũ numero pendet victoria, ſed à fortitudine, reiq; gerẽdæ celeritate.

Magis refert quàm fortes viros habeat ciuitas, quàm multos.

Viris fortibus non opus eſt mœnibus.

Ciuitas non eget mœnibus, quæ iuuentutem alit bellis idoneam.

Inſignis eſt tolerantia, quæ ex hoſte capitali reddit amicum, ac propugnatorem.

Non perinde refert vbi confligas cũ hoſte, vt quàm ſtrenuè ſe gerat dux aut miles in bello.

Fortius eſt diutinam ſeruitutem quamuis duram perferre, quàm morte finire dolores, multoq; ſanctius eſt, quod docet Socrates, non eſſe fas animã de corporis præſidio decedere iniuſſu imperatoris.

Clypeus tuetur, ſed gladius fortitudinis organum eſt.

Extremæ ignauiæ eſt, tum non præſtare fortem animũ, cùm audacia ſpem præbet incolumitatis: timiditas autem nihil aliud, quàm certum promittit exitium.

Bona eſt timiditas, quæ deterret à turpibus, & reddit hominem circumſpectum.

Illi fortes non ſunt, qui quouis modo vitam contemnunt, ſed qui tanti faciunt virtutem, vt huius gratia vitam alioqui carã negligant.

Excellen-

Exccellentium, virorum eſt, negligere contumeliam, quæ à palám improbis proficiſcitur, à quibus etiam laudari turpe.

Aliquid concedendum eſt iuris fortibus, & de Rep. benemeritis: & bene penſat linguæ vitium, qui factis egregius eſt.

Ciuitas pro ſaxis, ac mœnibus, incolentium virtute munienda eſt, quos iungat cõcordia, nullus poteſt eſſe murus inexpugnabilior.

Vulnus gladio factum fortitudinem arguit, at telo factum catapultæ, indiligentiæ ſignum eſt.

Nihil proſunt munimenta, niſi vir fortis ea tueatur.

Pulcherrimum eſt inimicum ſuis ipſius armis opprimere.

Inertiæ genus eſt de fortitudine philoſophorum more diſputare, ſed protinus factis exercenda virtus, quæ paucis dogmatibus tradi poteſt.

Fortium virorum eſt male facere ijs, qui malo digni ſunt, nõ aũt malẽ dicere.

Aduerſas fortunæ procellas tuetur ſapientum animus impauidus.

Animus impauidus naturam pro lege ſequitur, cui ſi repugnet lex, eam contemnit.

Animus impauidus cupiditatũ tumultus ratione compeſcit.

Non eſt fortitudinis, ſed amẽtiæ, ſemet in vitæ diſcrimen conijçere.

Excelſi animi eſt, ingratitudine non deterreri à ſtudio bene merẽdi de omnibus.

Honeſta

Honeſta mors eſt, oppetere pro amicis liberandis.

Frequenter deſperatio magnum robur addit animo, non minus q̃ ſpes victoriæ.

Prius eſſe debet homini, vt malo accepto medeatur, q̃ vt regerat in alterum.

Temeritatis eſt non fortitudinis, ſubire periculum, ni ob cauſam grauem & honeſtam fiat.

Animi fortis eſt mortem contemnere, quoties aut ineuitabilis neceſſitas vrget, aut cauſa grauis, & honeſta ſuadet.

Egregium imperterriti pectoris eſt documentum in cauſa honeſta, piaque, nec certam mortem perhorreſcere.

Felicitas. 11

NEmo appellandus beatus, niſi ad ſupremum vitæ diem peruenerit.

Tota hominis felicitas animi bonis metienda.

Felicitas honeſto metienda.

Poſt hanc vitam felices erunt, qui hîc piè iuſteq; vixerũt, non qui fictis cæremonijs fuerint initiati.

Quidam ex contemplatione alienæ felicitatis, ſuam exaſperant calamitatem.

Qui feliciter abſoluit vitam, huic nihil ſiniſtri poteſt accidere, quòd felicitatem ægritudine aliqua contaminet. At quibus res ſunt ſecundæ, ij nihil magis optant quàm diuturnam vitam.

Nihil eſt ad veram felicitatẽ efficacius, quàm virtutem propter ſe amare, vitium propter ſe odiſſe.

Præcipua regum felicitas eſt, quòd nulli ſeruiunt.

Infelix eſt felicitas, quæ hominem reddit inſolentiorem, quę non plauſum meretur, ſed lacrima.

Iuſtitia. 12

CVm iuſtitiam oporteat eſſe clemētia temperatam, quoties nacta eſt grauē interpellatorem & minus habet inuidiæ, qui plus impetrat gratiæ.

Fortitudinis nullus vſus eſt, niſi adſit iuſtitia.

Quid verò fortitudine fuerit opus, ſi iuſtitia ſuum cuiq; vltrò reddens adfuerit?

Nihil præter æquum faciendum eſt.

Iuſtitia & ęquitas maximè reddunt diuturnum imperium.

Nemo poteſt eſſe iuſtitiæ tenax, qui ſuprà, q̃ ſatis eſt, congerendi ſtudio tenetur.

Iure agere volētibus, nō eſt opus armis.

Pro iniuſtis orare, fortaſſis humanitatis eſt: ac exoriri, eſt à iuſtitia deflectentis.

Qui magnis in rebus ſe iuſtitiæ cultorem haberi velit, eum in paruis interdum illam violare oportet.

Gloria. 13

PRæclarum eſt non aliud virtutis præmium ambire, quàm gloriam, nec pacem hoſti vendere, milite fraudato.

Fucis parta gloria, vt nō eſt vera gloria, ita nec diuturna eſt.

Gloriæ ſtudium, amorem excutit voluptatum.

Gloria vitæ anteponenda.

Hone-

Honeſtius eſt vitam cum laude impendere patria, quàm cum dedecore pœnæ.

Generoſæ mentis eſt, laudis potius honore teneri quàm pecuniæ.

Ingenui pudore & laudis amore melius ducuntur ad honeſta.

Laus præmium eſt rectè factorum, & ea demum opitulans grata eſt, quæ adfertur in ipſo diſcriminis articulo.

Patriæ potius naſcimur, quàm gloriæ.

Non videndum an gloriæ ſatis; ſed an patriæ ſatis vixerimus.

Viri fortes, gloria, virtutis præmio contenti ſunt.

Parum illuſtris eſt, qui præter imagines & cognomen nihil habet verę nobilitatis.

Excelſi animi eſt, quum præclara geſſeris, gloriam contemnere.

Vt vmbra corpus ſequitur, ſic virtutem gloria.

Primam oportet eſſe curam factorum, gloria nanq; vltrò conſequitur.

Eximiam virtutem ſponte ſuum conſequitur decus: Nec vlla ſpecioſior ſtatua, quàm honorifica bene actę vitę memoria.

Præclarum facinus geſtum, monumentum eſt eius, cui geſſit.

Quiſquis laudat victum, victoris gloriã illuſtrat.

Egregiorum meritorum conſcientia, magnam homini præſtat fidem.

Manſuetudo & comitas. 14

MAnſuetudinem cum iuſtitia oportet eſſe coniunctam in principe.

Eſt

Eſt quidem præcipua virtus in principe comitas & manſuetudo; verùm ob malum ingenium hæc ita temperanda eſt, vt principi ſua conſtet autoritas.

Principis in facinoroſos lenitas, quid aliud eſt quàm in bonos crudelitas?

Erga improbos manſuetudo nimia, inutilis eſt ciuitati.

Barbaricæ feritatis eſt, in proſtratos ſæuire.

Ita temperanda eſt clementia, ne nobis ſit exitio.

In colloquijs adhibenda eſt ſermonis comitas.

Comitatis eſt, benignè polliceri: ſed quoniam omnibus operá præſtari non poteſt, eligendi ſunt quibus illam impertias.

Potentia, clementia, comitateq́; fit diuturna, ferocia breuis.

Non verè victor eſt, qui iracundiæ vindictam flagitāti frænum neſcit imponere.

Beneuolentiam maximè conciliat benignitas.

Ira, contentioq́; melius ſoluitur blandis verbis, & benignitate, q̃ repugnando.

Sobrietas. 15

Bono ſtomaco ſatis eſt obſonium eſſe coctum, etiam ſi nihil accedat delitiarum.

Non eſt dignus nomine Romano, qui plus appetit quàm quod ad victum frugalem ſatis eſt.

Immodicè bibere, quouis loco turpe eſt.

Sobrietas, ſalubrium conſiliorum eſt parens:

parens: neque enim vinoſi ad conſultandum ſunt idonei.

Facillimè viuit, qui pauciſſimis contentus eſt.

Fames, & ſitis optimè condit omnia.

Qui paucis, ac neceſſarijs cõtentus eſt, ſibi facit vilem annonam.

Expeditiſſima eſt ratio augẽdi cenſus, detrahere ſumptibus.

Tenue prandium optimè condit cœnã.

Optimum condimentum eſt fames.

Ebrijs omnia in girum verſari vidẽtur.

Studium, ac victus parſimonia pallorẽ conciliant homini.

Sobrietas in primis decet principem.

Victus moderandus eſt non ex rerum copia, ſed ex vſu, ac neceſſitate naturæ.

Lacedęmonijs nulla non in rẽ placebat ſimplicitas, atque frugalitas.

Nihil ſimilius eſt inſano quàm ebrius.

Verecundia. 16

PVdor vt multis ad honeſtas actiones obſtat, ita nonnunquam improbę mentis homines à turpibus reuocat.

Pudor, virtutis tincturæ.

Probis viris vbiq; placet verecundia.

Honeſta formidoloſitas eſt, quæ à turpibus deterret.

Rubor probam indolem arguit, pallor non item.

Inutilis eſt verecundia, quæ obſtat quo minus negemus obſequium ad inhoneſta vocanti.

Pudor teneram ætatem optimè deterret

ret à peccando,qui nuſquàm non adeſt ſi quis reuereatur ſeipſum.

Bonorum probrum eſt, virum probrũ egere neceſſarijs.

Pudicitia. 17

PRima laus pudicitiæ matronalis eſt, nulli notam eſſe, præter quàm ſuo viro, cùm quo cubat.

Sat dotata venit puella, quæ pudicitiã, & honeſtos mores ſecum adfert.

Virgines nullo cultu melius ornantur quàm ſimplici.

Obedientia. 18

IMperare, & parere imperio, ars omniũ pulcherrima: quæ duę res à ciuibus excludunt ſeditiones, & tuentur concordiam.

Non ſunt gerendo magiſtratui idonei, qui legibus, ac magiſtratibus neſciunt obſequi.

Parere dicitur, qui quod didicit optimũ eſſe, factis facit.

Moderatio & mediocritas. 19

DEcet eum, qui multa poſſidet, non pro libidine, ſed pro ratione viuere.

Pernicioſę ſunt diuitię, ni adſit animus diuitijs ſuperior, qui poſſit earum vſum non ex copia, ſed ex neceſſitate moderari.

Admirabilis Leonidæ moderatio fuit, qui nuncia triſtia nuncianti non tantùm non ſuccenſuit, vt principum vulgus ſolet, ſed & vitæ & famæ eius conſultum voluit.

Hic temperantia adhibenda eſt, vt princeps nec amicos alienet tirannica ſæuitia, nec patiatur illos regia familiaritate abuti, ad quiduis audendum prętera ius aduerſus plebeios, qui nimium irritati ſæpe reges ſuos excuſſerunt.

Moderata vitæ cura calcar addit ad fortiter agendum, & immodicus mortis pauor ab egregijs factis deterret.

Quæ moderata ſunt, in longum tēpus durant, & hoc ipſo meliora ſunt.

Non eſt tutum eos maledictis irritare, quibus in manu eſt cum velint re ipſa lædere.

Hoc non ſolùm moderationis & clemētiæ, vt verumetiam eximiæ cuiuſdam magnanimitatis eſt documentum: ingratorū ſibilos regem negligere.

Nihil aure tiranni violentius: apud bonos etiam principes admonendi libertas verbis placidis eſt temperanda.

Calor ætatis vix ſinit iuuenes ſeruare modum.

Mediocritas in omni re eſt optima.

Quod excedit modū tametſi vitioſum eſt, tamen ad exercitandum aliorum ſocordiam conducibile eſt.

Tutiſſimum eſt mediocribus, ac parabilibus delectari.

Innocentia. 20

NOn miſeri ſunt, quibus præter meritū, incolumiq; innocētia, accidit aliqua calamitas: ſed ij verè deplorandi, qui ſua ſpōte diſceſſerunt ab honeſto, etiamſi

nulla ſequatur calamitas.

Certius innocentiæ ſignum eſt, ita rem gerere, vt nemo velit accuſare, quam ſi poſtulabaris, elabaris è iudicio. Elabuntur enim interdum & innocentes.

At qui abſoluitur, licet pœnā effugiat, cicatricem tamen criminis circunfert.

Innocentem punire, ſcelus eſt: culpam interdum condonare, in gratiam honeſti deprecatoris, humanitas eſt.

Expedit ad bonos mores, vt in iudicijs ſuccumbat prauitas, vincat innocentia.

Aequalitas. 21

AEqualitas, pacis, & tranquillitatis eſt altrix, inæqualitas verò ſeditionis ſeminarium.

Aequalitas & ad frugalitatem & ad concordiam in primis conducit.

Aequalitas occaſionem murmuris excludit.

Malus ciuis ille eſt, cui non ſatis eſt id, quod cæteris ſatis eſt.

Inter quos eſt æqualitas, & ex æqualitate concordia, ij tutiores ſunt ab hoſtium incurſu.

Amicitia. 22

AMicitia, eſt animorum coniunctio, quos non dirimit locus.

Nō eſt aliquid amicis, quibus fidimus, committendum, quod ſi efficiant, pariat nobis infamiam.

Hoſtes in hoc vtiliores nobis ſunt quā amici, vt errata noſtra cognoſcamus, & cognita corrigamus.

Inſo-

Inſolenter vtentes rebus proſperis amici deſtituunt.

Aliquouſque amicis gratificãdum, ſed citra violationem religionis.

Quemadmodum non quæuis damus omnibus, ita ſpectandum eſt cui in quã cauſa gratificemur.

Nimia amicitia cauſam aliquando dat odio.

Nulla poſſeſſio melior eſt, quàm amicitia.

Simultatem oporiet morte finiri, amicitiam non item.

Amici admonendi non modo maniſeſtè, ſed cum quadam acrimonia.

Amicitia non reperta eſt ad reprehenſionem. ſed ad iucunditatem.

Non vtilitatis cauſa amicitia expetenda eſt.

Qui commodi gratia ſunt amici ſublata commodi ſpe, deſerunt amicitiam.

Non rectè amat vxorem, qui corpus amat potius quàm animum.

Sic ama tanquam oſurus, & ſic oderis tanquam amaturus.

Amici minari, parum eſt humanum.

Rebus proſperis aduolant quilibet etiã minus amici: qui verò ad ſunt reſtante fortuna, hi verè ſunt amici.

Reuerentiæ comes eſt amor, metus odium.

Vt illis ſtatuas faciẽdas committimus, à quibus videmus aliquas ſtatuas elegantes factas: ita non ſunt in amicitiam admittendi,

tendi, niſi quos cognouerimus erga alios perſtitiſſe fidos & vtiles amicos.

Maior vtilitas eſt à fidis amicis, quàm à vaſis:& plus damni eſt, niſi deligas.

Non fucanda facies, ſed animus honeſtis ſtudijs exornandus eſt: hæc enim forma veros conciliat ac perpetuos amicos.

Nullum eſt grauius teſtimoniũ, quàm inimici de inimico.

Amici plerunque obſtant, nè liceat vbique rectum clauum tenere.

Amicos ſecundæ res parant, aduerſæ probant.

Inſtabiles quorundam ſunt amicitiæ, qui conſecuti quod volũt, negligunt amicum, ijdem dum ſperant obſeruiunt.

Amicus ab amico quod eſt iniuſtũ non debet petere.

In amico fido diffidere, prudentia eſt.

De amico humanius eſt bene ſperare, quàm diuinare peiora.

In rebus afflictis potiſſimùm fidis amicis vtendum eſt, qui vel re opitulẽtur, vel conſolando moleſtiam mitigent.

Nõ ſatis eſt, ſi comites nos præbeamus amicis, ſed comitati comes eſt adiungenda benignitas.

Inconſtantes & perfidi amici ſunt, qui amicitiam commodo metiũtur, cuius ſpe adempta, protinus ab amicitia recedant.

Reuerentia cum amore coniuncta eſt. Metuimus autem illos maximè, quos odimus.

Quiſquis docet, admonet, inſtituitque

ad virtu-

ad virtutem adoleſcentes, vtiq; amat:atq; is demum verus eſt amor. Nam qui vulgò dicuntur amare, ſuum venantur commodum, cum incommodo adamati.

Vulgatum eſt neq; ſolem, neq; aquam, neq; ignem magis vtilẽ eſſe hominibus, q̃ amicos. Sed ĩgenij philoſophici eſt, vt quẽ admodum periti medici ex beſtijs, ac ſerpentibus noxijs vtilia quædã remedia colligunt, ita ex inimicorum odio decerpere aliquid, quod vertat in ſuum bonum.

Grauiſſimè lædunt amici, qui expiſcantur arcana.

Arctiora ſunt virtutis vincula q̃ ſanguinis: & omnis bonus bono proximè cognatus eſt ob animorum ſimilitudinem.

Amicitia, facit omnia communia.

Non eſt bonus amor, aut ſincerus, niſi quem conciliat virtus.

Is verè & conſtanter amat, qui iudicio amat.

Illi ex animo ſunt amici, qui principem magis amant, quàm timent.

Conſilium. 23

IN conſultationibus non ſolùm quid ſit pulcherrimum ſpectandum eſt, ſed quid fieri poſſit.

Inconſulta conſilia nonnunquàm feliciter cedunt.

Conſultius eſt, ſe non committere periculo, quàm dare operam vt ingreſſus periculum temerè expedias.

Non præcipitanda ſunt conſilia, ſed moribus ſenilibus vtendum.

Non ſemper tutum eſt, regibus optimũ dare conſilium.

Omnes ægrotis damus recta conſilia: ſibi verò pauci conſulunt.

Ad bene conſulendum non refert quã ſis vocalis, ſed quàm opportuna ſuadeas.

In bello plus habet momenti prudentia ſolertiaq;, quàm vires conſiij expertes.

Eloquentia. 24

VT fabula nonnunquam exploditur vitio hiſtrionis, ita ſæpe melior cauſa vincitur à peiore patroni infantia ſtultitiáve.

In teſte ſpectatur fides, in patrono eloquentia.

Actori voce opus eſt, quæ vincat multitudinis fragorem: orator talis eſſe debet vt populus ipſum vltro tacitus & attentus auſcultet.

Ars. 25

ARs omnis à naturali ſimplicitate recedit, ita dolo affinis eſt.

Quæ per ſe triſtia ſunt, ea decet arte exhilarare.

Prorſus contemnendum eſt imperitæ multitudinis iudicium, cum artis abundè magnum præmium ſit ipſa conſcientia.

Ex minimo veſtigio artifex cognoſcit artificem.

Citò nata, citò pereunt: diu elaborata, ferunt ætatem.

Conſultum eſt vnumquemque in ea ſe arte exercere, in qua valet plurimum.

Quæ naturæ deformia ſunt, plus habent

bent & artis & voluntatis in tabula.

Illud potius artis eſt, quæ magna ſunt ita tractare, vt auditori quoque magna vi deantur, & contra.

Nemo rectè de artificio poteſt iudicare niſi artifex.

Ex nimio artificio agnoſcitur artifex.

Artes bonæ vbique ſunt in pretio, nec poſſunt à fortuna eripi.

Oratio. 26

VT in nummo non ſpectatur elegantia ſculpturæ, ſed pondus, ac materia: ita non refert quàm ſit elegans oratio, ſed quàm grauis, & vtilis.

Loquentis orationem commendat forma, rurſuſque oratio compoſita gratiam addit formæ.

Animo ægrotanti medicus eſt oratio.

Autoritas. 27

MAgno obuioque lucro autoritas eſt anteponenda.

Primum autotitas, ac fama tardè paulatimque nec ſine negocio paratur: at qui tam innotuit, facile magnam aſſequitur laudem.

Beneficium. 28

BEneficij accepti meminiſſe, dati obliuiſci oportet.

Ingratitudo erga bene meritum, nec morte plectenda.

Beneficij memoria breuiſſima, at iniuriæ ſolet eſſe tenaciſſima.

Benefacta benefactis addenda ſunt: ne ſi deſinamus benefacere, obſoleſcat prio-

rum benefactorum memoria.

Senectus. 29

SEnibus ita viuendum eſt, vt adoleſcentibus exhibeant rectè viuendi formam.

Peculiaris querela eſt ſenibus de rebus in deterius prolapſis.

Senectus multis nominibus vulgò malè audit.

Non precipitanda ſunt conſilia,ſed moribus vtendum ſenilibus.

Optimum eſt viaticum ad ſenectutem eruditio.

Magna pars incommodorum, ob quæ vulgò malè audit ſenectus, ab imperantia vitæ proficiſcitur.

Iuuentus. 30

AEtatem teneram optimè deterret à peccando pudor: qui nuſquam non adeſt,ſi quis reuereatur ſeipſum.

Iuuenili ætati remedium adhibendum eſt pro ſupplicio.

Quemadmodum tinctores eum potiſſimùm colorem inducunt,quo vident homines maximè delectari: ita iuuentus ad ea ſtudia potiſſimùm incumbit quibus populus defert honores.

Iuuentus corrumpitur, ſi permittatur otio luxus, ac malorum omniũ magiſtro.

Magna res eſt,iam inde à teneris virtuti aſſueſcere.

Quæ proſunt iuueni,nocent ſeni,& cõtrà quæ iuuãt cœlo tepido, lædũt frigido.

Si adoleſcentes malè morati euadant, id

id primæ ætatis formatoribus potiſſimùm imputandum eſt.

Sapiens. 31

SApiens non niſi cùm res poſtulat, pluribus verbis quàm opus ſit vtitur.

Fallit tragœdia tractans argumenta cõficta, ſed adeò ſcitè vt vera credantur: iuſtior autem velle videtur qui fallendo prodeſt: & ſapientior eſt, qui per fictas fabulas diſcit quid ſit turpe, quid ſit honeſtum.

Vir eruditus ac ſapientia præditus, non perit, niſi graui Reip. diſpendio.

Pro varietate occaſionum vir probus & ſapiens ſæpenumero cogitur mutare conſilium, cùm ſcriptura nunquam mutetur.

Sapiens, vates eſt optimus.

Nulla mœnia tam ſunt munita, quin machinis aut ſuffuſionibus, aut, vt nihil horum, proditione capiantur: at ſapientis decreta ſunt inexpugnabilia.

Sapienti nihil peregrinũ eſſe debet, niſi quod cum vitio ſit coniunctum.

Silentio ſtultitiam tegere; eſt pars aliqua ſapientis.

Sapiens ſecũ in pectore circunfert, quo ſe commendet quibuſlibet.

Inſipientis eſt dolere amiſſis potius quàm gaudere relictis.

Memoria. 32

NOn expetenda eſt honorifica memoria, niſi rectè factis promerita eſt.

Tm̃ ſcimus, quantũ memoriæ tenemus.

Facilè meminimus quæ volumus, at nõ licet obliuiſci quæ volumus.

Tenaciſſima eſt iniuriæ memoria, at beneficij breuiſſima.

Veritas multis verbis nõ eget: & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehenſa ſunt.

Memoria hominum eſt adeò labilis, vt ægrè reperias duos, qui quæ ſimul audierunt, eodem modo referant.

Patria. 33

EGregiè inculpatus eſt, cui nihil obijci poteſt præter patriam.

Nemo patriæ parem refert gratiam, etiam ſi vitam impendat.

Non tã refert vnde natus ſis, ſed qui ſis.

Patriæ potius naſcimur, quàm gloriæ.

Non infimum erga Rempub. eſt meritum, ſi non ſolùm te præſtiteris egregium virum, ſed aliquem tibi ſimilem gignas educeſque patriæ.

Non videndum an gloria ſatis, ſed an patriæ ſatis vixerimus.

Vrbis libertas eſt vita carior: nec turpiter occũbit, qui pro patria pugnãs moriť.

Patriæ periclitantis potius habenda eſt ratio, quàm priuatæ incolumitatis.

Reip. ſubleuandæ curis immori pulcrũ eſt; at patriam in extremo diſcriminũ noſtra ceſſatione deſeri, turpiſſimum eſt.

Reſpublica. 34

REſpublicæ nullo munimentó tutiores ſunt quàm virtute ciuium.

Publica vtilitas anteponenda eſt odio priuato.

In Republ. bene inſtituta omnia proficiunt

ficiunt in melius.

Animi robur & vis naturæ magno vſui poſſunt eſſe Reipublicæ.

Vnicuiq; pluris facienda eſt vtilitas cõmunis, quàm propria.

Quiſquis alienam Remp. vehementer adamat, ſuam quodammodò vituperat.

Ea Reipu. ſpecies non eſt vtilis ciuitati cùm nemo velit eſſe in ſua familia.

Reſpub. duabus rebus continetur, præmio & pœna.

Reſp. malè morata eſt, vbi licet impunè maledicere, nihil mali commiſeris.

Tempore pacis, magis quàm belli, Reipu. viget autoritas, vt jus habeat decernendi, quod ad tuendam ciuitatis tranquillitatem cenſuerit conducere.

Qui ſunt iracundioris ingenij, ad diſciplinas quidem idonei ſunt, ad gerendam Rempublicam non item.

Multò abſurdius eſt ei commendare Rempub. qui gubernandi artes non tenet, quàm ſi aſinũ pro æquo adhibeas aratro.

Priuata ſimultas poſthabenda eſt Reipublicæ commodis.

Non infimum erga Remp. eſt meritum, ſi non ſolùm ipſe te præſtiteris egregium virum, ſed aliquem tibi ſimilem gignas educeſque patriæ.

Hoc præcipuum vlcus eſt omnium Rerump. quòd omnia munia per vicarios adminiſtrantur, interdùm alteros, ac tertios.

Priuati affectus vtilitati publicæ poſthabendi ſunt.

In omni negocio magni refert quales ſunt, quibus gerendæ rei credit autoritas.

Publicæ ſanitati priuata incolumitas eſt poſtponenda.

Reipu. corruptela non alia magis ex re naſcitur, quàm ex delitijs.

Qui præclaros viros eijciunt è ciuitate, Rempu. lædunt potius quàm eos, quos expellunt.

Inutile eſt Reip. ſubinde mutare duces, ſed ſatius eſt quem idoneum, ac fidum na ctus ſis, eum non mutare.

Non poteſt conſiſtere Reſp. vbi non eſt honos virtuti, nec pœna ſceleroſis.

Reipu. dignitas, præferenda eſt priuato commodo.

Lex. 35

IN Repub. bene inſtituta, ſuprema autoritas eſt legibus deferenda: nec vlli magiſtratui fas quicquam contra leges publicas tentare.

Non aliundè florent Reſp. quam ſi legũ vigeat autoritas.

Ibi tirannus oriri non põt, vbi ex arbitrio priſcarum legum geruntur omnia.

Norma cõiugis vir eſt, quæ recte viuit, ſi illa publicis legibus obtemperet.

Negocium, quod pro legibus, ac iure ſuſcipitur, oportet omni carere iniuria.

Legibus cõuenit autoritas in homines, non contra.

Multò pulchrius eſt, ac difficilius regnũ rectis legibus ſanctiſq; moribus exornare, quàm armis regno regnum addere.

Qui

Qui contra leges aliquid admiſerit, nõ conuenit vt regi opituletur.

Leges non omnia præſcribunt, vt virtutis regula docet vbiq; quid ſit honeſtum, quid turpe.

Qui legibus ac magiſtratibus neſciunt obſequi, non ſunt gerendo magiſtratui idonei.

Vbi ſumma eſt legum autoritas, ibi eſt minimum tirannidis.

Quiſquis violat leges, nõ vnum ciuem lædit ſed totam Rempublicam, quod quidem in ipſo eſt.

Princeps. 36

PRincipi non minus indecorum eſt, & pernicioſum, inhoneſtis inſtitui, quàm naſci.

Principi non quælibet artes diſcendæ ſunt, ſed eæ duntaxat quæ tradunt rationem rectè adminiſtrandi regnum.

Principi non omnes literę conueniunt, ſed ea quę politicem tradunt, aut ethicen, quæque rectè ac ſecus geſtorum exempla commonſtrant, id quod facit hiſtoria.

Domini tantùm timentur à ſeruis, quo mali metu coerceantur, quos non corrigit pudor.

Pater quoniam liberis conſulit potius quàm ſibi, diligitur ab illis, fit vt autoritatem comitetur reuerentia. Aduerſus hos adeò non eſt opus ſatellitio, vt non aliud ſit ſatellitium fidelius illorum ſtipatu. Quod ſi rex beneuolētia, ac benefactis adiungeret ſibi ciuiū animos, non eſſet opus

barbarico,conductitioq; ſatellitio, ſed nullos haberet corporis ſui cuſtodes tutiores quàm ciues erga quos patris gereret affectum. Porrò quibus placet hoc dictum, Oderint dum metuant, nullos magis habent ſuſpectos, quàm quibus oportebat maxime confidere,ac multos metuat oportet,quem metuunt multi.

Principis nō eſt mollicie,delicijsve, ſed temperantia ac ſapientia priuatis hominibus antecellere.

Principem facere quod ab alijs fieri velit,genus efficaciſſimū eſt exhortationis.

Bonus Imperator legum imperatis parere debet.

Imperatoris officiū eſt, erga rebellantes audacia, erga ſubiectos beneuolētia vti.

Rex veluti legum eſt architectus.

Non conuenit vt regi opituletur, qui contra leges aliquid admiſerit.

Multò regalius eſt,condere vrbes, quā conditas demoliri.

Breuiloquentia principem decet, & Laconem.

Quod decet plebeium,non ſemper decet principem.

Multum habet momenti principis integritas: ſed multò plus ciuium recta inſtitutio.

Regem naſci nihil magni eſt: regno dignum ſe præſtare,maximum eſt.

Glorioſius eſt regnum virtute partum, quàm ſi hæreditate obuenerit.

Bono principi nihil iucundius eſt ciuium

uium concordia : at tiranno nihil formidabilius.

Quemadmodum qui medendi eſt imperitus, non ideo medicus eſt, nec vulgo medicus appellatur. : ita non ſtatim princeps eſt, aut magiſtratus, qui populi ſuffragijs declaratus ſit, niſi artem gubernandæ ciuitatis nouerit.

Qui fauētibus vult vti ciuibus, ad multas iniurias conueniendum eſt.

Plurimum vtilitatis ex principum ſapiētia naſcitur.

Quicquid pugnat cum legibus, hoc velut inſciente principe tentatum haberi decet : cùm ipſe nihil aliud ſit quàm legum miniſter.

Vbi reges non naſcuntur, ſed ciuium ſuffragijs eliguntur, hoc ipſo publicis calculis princeps iudicatus eſt cæteris melior, quod ad regnum aſcitus eſt.

Nemo principatū debet ſuſcipere, niſi melior ſit his, quos ſuſcipiat, Debet enim princeps virtute præcellere cæteris ciuibus, quibus præeſt.

Nihil principi magnificentius, quàm ſi ditionem quam accepit, reddat ſtatim meliorem.

Decet principis autoritatem ſartam tectam vbique præſtare.

Quemadmodum Deus vnicus totius mūdi Monarca, malis genijs, ac impijs hominibus nonnunquam abutitur ad vtilitatem Eccleſiæ: ita principes cordati norūt, & probis, & improbis vti : non ꝙ ipſi per

malos aliquid mali faciant, ſed quod per malos puniant malos.

Turpiſſimum eſt regi vacare vnquam à Reip. negocijs.

Principibus in priuatis offenſis, debet eſſe ſatis, potuiſſe vlciſci.

Is optime ducis nomine fungitur, qui res hoſtiū quàm maximè cognitas habet.

Eſt principis munus vnicum alijs proſpicere, & publicis conſulere commodis.

Tum maximè principi inuigilandum, cùm populus maximè indulget genio: neque oportet vnquam principem genialiter viuere.

Solertia ducis non ſolùm terrorem exi mit animis militū, verùm etiam commoda interpretatione addit alacritatem.

Nomenclatorum laus eſt, quàm plurimos noſſe; & egregij ducis eſt, ob egregia in Remp merita nulli ciuiū ignotum eſſe.

Præſtat principem è philoſophiæ præceptis haurire ſapientiam potius, quàm experimentis (vt vocant) miſeram colligere prudentiam.

Regi nihil prius, ac carius eſſet debet probis, ac fidis amicis.

Principe dignius eſt, honorem & opes eorum, quibus imperat, augere potius quàm imminuere.

Non minus cogitur princeps obſeruire populo, quàm populus principi: niſi quòd princeps id facit cum dignitate: alioqui re vera mutua ſeruitus eſt.

Vt nulla re melius conſtabilitur imperium,

rium,quàm ciuium beneuolentia:ita diffi cilimum eſt iam regnum adminiſtranti,erga quoslibet eſſe humanũ: non ſolũ quòd regia poteſtas oppoſita ſit inuidiæ, verum etiam quòd Reſpublicæ non poſſit eſſe incolumis,niſi ſcelera ſupplicijs coerceant.

Præcipua regum debet eſſe cura,vt cognoſcendis cauſis viros præficiant incorruptos.

Non tam magnum eſt regnum adipiſci, quàm promeruiſſe.

Imperatoris eſt,ciuium multorum ſalutem,ſuæ vnius anteponere incolumitati.

Regibus temperanda eſt humanitas erga ciues, vt interim regiam tueantur autoritatem.

Prę̨cipua regum ars eſt,nullum reijcere, ſed ad publicam vtilitatem omniũ operam accommodare.

Eſt animus principis verè philoſophicus, qui nouit etiam ex inimicis capere vtilitatem: nec quod vulgus ſolet hoc tantùm ſpectare, vt maledicos officiat malo, ſed vt ipſe minus malus reddatur, illorũ maledictis admonitus.

Pulchrius eſt bonum præſtare ducem, quàm quemuis militem.

Regi nihil beneuolentia firmius, aut munitius eſſe poteſt.

Regnum armis & auſteritate frequenter paratur, ſed non niſi honeſta opinione,ciuiumq; beneuolentia retinetur.

Magni refert vt bonus princeps quàm diutiſſimè viuat.

Multum

Multum regis habet, qui ſcitè regis perſonam poteſt gerere.

Rex non honeſti, iuſtiq; regula, ſed honeſti iuſtiq; miniſter eſt.

Bonus princeps, qui magis à ſuis diligitur quàm timetur, habet quicquid ciues poſſident.

Ad priuatas iniurias oportet principem eſſe facilem ad ignoſcendum: in ijs quæ Remp. lædunt, decet eſſe ſeuerum.

Imperium. 37

BEllum non niſi iuſtè ſuſcipiendũ, imperiumque virtute partium, virtute tuendum.

Cum multis pugnet oportet, qui multis vult imperare.

Virtute propagandum eſt imperiũ, non dolis aut pecunia.

Graue documentum vniuerſis imperia virtute parari: auaritia, luxu, delicijsque vel perire, vel verti in tirannidem.

Nemo idoneus eſt magiſtratui, qui nõ poteſt diſſimulare multa præter æquum, & bonum facta.

Philoſophia vel imperium, non tollunt affectus.

Imperator per omnem vitam in Reipubli. negocijs verſari debet, nec à domeſticis delicijs ad imperium accerſiri.

Nihil difficilius quàm bene imperare.

Libertas. 38

PRæſtantius eſt, ſuam ſeruare: quàm alijs adimere libertatem.

Nemo liber, qui ſeruit cupiditatibus.

Nullũ imperium ſpecioſius & liberius, quam ſi quis animo ſuo poſſit imperare.

Nulla voluptas viris ingenuis ſuauior eſt libertate.

Vbi regnat luxus, ibi libertas diu non poteſt eſſe.

Libertas vrbis eſt vita carior, nec turpi ter occumbit, qui pro patria pugnans mo ritur.

Quoniam moriendi poteſtatem nullus hoſtis poteſt eripere, quiſquis mortẽ contemnit, habet quò, cùm vult, ſemet in libertatem aſſerat.

Peſſimus eſt imperator, qui ſibi non po teſt imperare.

Liberi non ſumus quando alicui conſulimus, vtilitatis, aut alicuius rei gratia.

In ciuili conſeſſu cuique liberum eſt quæ videntur dicere.

Non eſt verè liber, niſi cuius animũ ſpe, metuq; liberauit ſapientia.

Inhumanitatis eſt, ſi princeps nihil indulgeat amicis, ac familiaribus. Sed perniciõſum eſt illis licere quicquid libet.

Is verè liber eſt, quem philoſophia libe rum facit.

Peſtilẽtiſſimum genus eſt adulationis, ſub libertatis imagine blandiri.

Hæc non minima laus eſt ſeruorũ, nolle fugere ſi liceat: at nolle tyrannicam ſer uitutem commutare libertate, ſi detur op portunitas, animi ſeruilis eſt.

Omnibus regibus natura inuiſa eſt po puli libertas.

Seruus eſt qui ſuis cupiditatibus imperare non poteſt.

Libertas bene magno emitur, nec ſine negocio ſeruatur.

Qui ſeruit vitijs, verè liber non eſt dicendus:

Qui multis eget, liber eſſe non poteſt.

Ibi iuſtitiæ locus non eſt, vbi quiſque potentior eſt, ita licentius opprimit imbecilliorem.

Non verè liber eſt, quiſquis ingenuus natus eſt.

Nihil beatum ſi abſit libertas.

Libertas quamuis inops, omnibus diuitum delicijs præferenda eſt, vbi ipſa minuitur.

Fama. 39

Fama velut ordo quidam eſt hominis.

Inſanus eſt, qui pro nihilo habet qua ſit opinione apud ſuos.

Honeſtius eſt fama, q̃ pecunia diteſcere.

Iactura rei facile ſarciri poteſt: fama contaminata vix vnquàm diluitur.

Qui loquitur quæ ſunt optima, & facit quæ honeſtiſſima, famam honeſtam habebit.

Eximiam virtutem honeſta fama vltrò comitatur, generoſis animis amor laudũ veluti ſtimulus ad præclara facinora innatus eſt.

Satius eſt ad parandum honeſtam famam, vnum quiddam inſigne prædicere, quàm de friuolis quibuslibet diuinare.

Præſtat vno opere edito, ſed egregio, pa-

rat famam eruditionis, quàm minus accuratè ſcribere de ſingulis.

Regiũ eſt, cùm benefacias, malè audire.

Primum autoritas ac fama, tardè paulatimque nec ſine negocio paratur: at qui iam innotuit, facilè magnam aſſequitur laudem.

Vrbis celebritas non nihil facit ad illuſtre nomen.

Exercitium & exercitatio. 40

MOderati labores corpora reddunt firmiora.

Exercitatio plus habet momenti ad honeſtatem, quàm natura.

Exercitia ad confirmandnm corporis robur adhibentur, non ad exhauriendas vires.

Hominis ingenium ſi exerceatur, ad res optimas eſt accommodum, ſin ad vitia degeneret, longè eſt infra mutas pecudes.

Inuita minerua fruſtrà laboratur rectè dicitur à doctis, exercitatio conſummat eruditionem.

Honor. 41

HOnor non autoritati, ſed meritis tribuendus eſt.

Honor non ſolùm alit artes, verum etiã virtutem.

Honor, eſt virtutis merces & præmiũ.

Diuitiæ. 42

POtentes non oportet humiliorum dictis admodum commoueri.

Stultiſſimum eſt locupletes pugnare cũ

his, quibus non eſt multũ quod eripiatur.

Diuitibus opus eſt multis præceptis, vt frugaliter viuant, vt corpus exerceant laboribus, nec corporis ambitioſo cultu delectentur, aliaque innumera, quæ omnia ſeipſam docet paupertas.

Immodicæ poſſeſſiones vt non ſine negocio parantur: ita non abſque lite perueniunt ad hæredes.

Hoc miſerius egeni ſunt diuites, quod non intelligant quàm precioſa, quàm neceſſaria re careant.

Externis bonis homo nihilo fit melior.

Nihil eſt tam munitum, quod auro non expugnetur.

Iniquæ ſunt diuitiæ, quæ virũ reddũt deteriorem: ac fortibus viris non eſt opus pecunia.

Ii non facilè parent ſalubribus monitis, qui ſucceſſu rerum elati ſibi felices videntur.

Nulli vitio datur, ea ſibi parare, quibus opus eſt, ſi deſint: nec hic ſpectanda eſt ætas, ſed egeſtas.

Fruſtrà parantur bona, ſi qui parauit, tueri neſciat.

Inter egenos habendus non eſt, qui bonas artes, ac probos amicos ſibi parauit certiſſimum ſenectutis viaticum.

Diuitias comitatur luxus, luxus exit in tirannidem, dum fœnum migrat in cornua.

Opes, ac nominis ſplendor conciliant inuidiam.

Mores.

Mores. 43

NOn minus intereſt quos aſciſcas prę ceptores, quàm quos nactus ſis parentes.

Etenim vt liberi referunt fermè maiorum ingenium vnde prognati ſunt, ita prę ceptorum vitia demigrant in quos inſtituunt. Et honeſta vitæ inſtitutio potiſſimùm ab illis petenda eſt, qui virtutem ipſis factis præſtiterunt, non ab ijs, qui compoſitis arte verbis de virtute nugantur.

Sola virtus primùm ac ſtatim à teneris vnguiculis diſcenda: nec vlla ævi portio artibus friuolis danda, quæ vt in pueris habent oſtẽtationem plauſibilem, ita nec grandibus decoræ ſunt, nec ad ſeria vocatis vtiles.

Quemadmodum cauas ad venatum habiles reddit educatio, ita viros bello & Reipub vtiles reddit recta inſtitutio.

Viſum eſt Laconi ineptum, per omnẽ vitam de virtute diſputare, veluti de re controuerſa: cùm oporteat à prima ſtatim adoleſcentia habere certiſſima decreta de honeſto impreſſa animo, & ſecundũ virtutem exerceri, non quærere quemadmodum faciunt philoſophi, qui magna cõtentione, inter ipſos de ſummo bono, ac malo digladiantur, ne in hoc quidem conſentientes, quid ſit virtus, ac beatitudo.

Ne nobis quidem nobilitas, quam miratur hominum vulgus, ductumq; ab Herculegenus profuerit, niſi ea geſſerimus, per quæ ille mortalium omnium clariſſimus,

ac generoſiſſimus extitit, ac per omnem vitam quæ honeſta ſunt, id ſciamus & exerceamus.

Præditi virtute qui ſunt, recteq; educati, probant quid pro ratione temporis expediat.

Satis eſt ciues honeſtè fuiſſe inſtitutos. hi ſua ſponte videbunt, quid pro tempore facto ſit opus.

Multum habet momenti principis integritas, ſed multò plus ciuium recta inſtitutio.

Si adoleſcentes malè morati euadant, id primæ ætatis formatoribus potiſſimùm imputandum eſt.

Res ſunt vulgariũ, vt alienæ inuideant, ſuam autem deplorent ſortem.

Suadet loquentis vita, non oratio.

Non abſque diſcrimine mores ciuitatis corrupti vitijs ad meliorem frugem reuocantur.

Quemadmodum plantæ, ac ſemina, ſic hominum mores ad regionis habitum immutantur.

Matronæ nihil pulchrius, nihil precioſius, quàm liberi rectè educati.

Quemadmodum laudi eſt apud Barbaros natum, Græcorum diſciplinas ſcire: ita turpe apud Græcos natum, ad Barbarorum mores degeneraſſe.

Nemo alienis factis dehoneſtatur, ſed ſuis quiſque moribus æſtimandus eſt.

Mentis integritati: corporis etiam habitum & cultum oportet congruere.

Multa

Multa benè nata ingenia pereunt vitio inſtituentium.

Sic eſt multorum ingenium, vt ſi deſint inimici, in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant.

Eruditio pernicioſa eſt, ſi in animum inciderit prauis affectibus corruptũ: & quò quæque diſciplina ſanctior, hoc fit pernicioſior, ſi contigerit improbo.

Qui tam prauo ſunt ingenio, vt eos irrideant, qui de ipſis bene meriti ſunt, grauius nocent, ſi quis illos malefactis prouocet.

Regiũ eſt, cùm benè facias, malè audire.

Non habendi pro liberis ſunt, qui degenerant à parentum inſtitutione.

Quales naſcantur liberi, nulli in manu eſt: at vt recta inſtitutione euadant boni, noſtræ poteſtatis eſt.

Qui natura probus eſt, vbique & apud omnes probus eſt.

E' ſermonis procacitate colligitur, & morum impudentia.

Generoſa indoles, ſi accedat inſtitutio, magno bono eſt patriæ: ſin ad vitia degeneret, magnum adfert malum.

Naturæ beneficio viuunt, & ignauiſſimi: at honeſtè mori non contingit niſi virtute præditis.

Maxima pars incommodorum, ob quæ vulgò malè audit ſenectus, ab intemperantia vitæ proficiſcitur.

Res efficax eſt natura, ſed potentior eſt inſtitutio, quæ malam naturam corrigit.

Res verbis anteponendæ. 44

MVltò præclarius eſt res magnificas gerere,quàm habere linguã ad magnificè loquendum expeditam.

Quod per ſe rectum eſt & vtile,nõ eget prolixa oratione.

Ipſa cauſæ bonitas facilè ſeipſam commendat.Quòd ſi vſquam locus eſt loquacitati, eam oportet ad inhoneſtas cauſas adhibere.

Rex operum eſt virtus,non autem plurimis verbis,multisq́; diſciplinis eget.

Reprehendendi ſunt, qui cùm re ſint fideles,tamen officium orationis aſperitate corrumpunt. his peiores ſunt, qui ſermone benigni, re lædunt: peſſimi, qui verbis moleſti ſunt,tamen factis noxij.

Multò præſtantius eſt res egregias gerere,quàm geſtas celebrare.

Rectius ſuo fungitur officio, qui ex animo facit, quàm qui metu mali.

Superuacaneum eſt in eo laudando ſumere operam, quem vno ore omnes prædicant.

In omni actione ſpectandum decorum perſonæ.

Inertiæ genus eſt,de fortitudine philoſophorum more diſputare,ſed protinus factis exercenda virtus, quæ paucis dogmatibus tradi poteſt.

Fortuna. 45

EVentus homini non eſt in manu.

Fortuna non addit ſapientiam.

Non oĩa oĩbus æque feliciter cedunt.

In tranquilliſsimis rebus interdum exiſtit periculum, quod nullus expectat.

Tota belli fortuna pendet à virtute prudentiaq; ducis.

Fortuna ſæpe ſua indignis largitur munera.

Spes. 46

MVlta ſibi promittunt inania, qui ſpe ducuntur.

Ingenia erecta non deſperāda, ſed quod redundat recidendum eſt.

Frequenter deſperatio magnum robur addit animo, non minus quàm ſpes victoriæ.

Victoria. 47

PVlchrum eſt vincere laceſentes, præſertim his præſidijs, quibus hoſtes potiſſimum ſeſe iactant,

Ad victoriam plurimum momenti eſt in imperatore.

Victis ſoler eſſe ſolatio, virtute præſtantis viri dextera cadere.

Victoria magno empta, non eſt victoria ſed calamitas: interdum enim felicius eſt non aſſequi, quàm nimio mercari quod ambis.

Vnius ducis ingenio victoriam acceptā ferri oportet, non virtuti militum.

Moderanda eſt victoria, nec ſæuiendū in eos, qui contra ferre arma deſiſtunt.

Victoriæ ſpes extenuat omnia, quæ ſolent à bello deterrere.

In bello prima ducū debet eſſe cura, vt q̄ minima ciuium iactura paretur victoria.

Is

Is lõgè inferior eſt, q honeſto vincitur.
Nulla ſpecioſior eſt victoria, quàm virtute vincere.

Miles. 48

NOn perinde refert quàm multos imperator educat milites in prælium, ſed quàm ſtrenuos, & exercitatos.
Bonus miles inſtitutione fit.
Facilius eſt nouum inuenire imperatorem, quàm nouum, & exercitatũ militem.
Mendicitas ad omnem deſperationẽ vocat armatum.
Turba militũ, niſi adſit dux cordatus, ac vigilans, nulli eſt vſui.
Periti bellatoris eſt, non minus ſcire fugiendi artem, quàm pugnandi.
Ii demum vtiles ſunt bello milites, qui bus decretum eſt in prælio aut vincere, aut mortem oppetere.
Nihil in bello præclaræ rei geret, cuius animum mortis metus occupat.
Militis non eſt dare conſilium, ſed vbi res poſtulat bonam nauare operam.

Bellum. 49

QVi bellum ſuſceperunt, oportet per omnia ſeruire belli neceſſitatibus.
In bello aut vincendum, aut fortiter occumbendum.
Metus mortis in bello, eſt res ignominioſa.
In bello plus habet momenti quales ducas milites, quàm multos.
Nullum negocium periculoſius quàm bellum.

Pro

Pro patria pugnantem occumbere pulcherrimum eſt.

Cibo, vinoq; graues ad prælių̃ non ſunt idonei.

In bello non liberum eſt quæ cuiq; videntur dicere.

Non eſt optãdum bellum, ſed nec in bello, nec in pace, libertatem tueri licet, niſi mortis timorem abieceris.

Error in bello, mors eſt.

In bello celanda ſunt conſilia principū̃.

In bello non refert quàm multi ſint duces, ſed quàm bello gerendo accommodi.

Maiore Reipublicæ diſcrimine pacta violantur in bellis, ſed illic quæq; violantur ab his, qui domi cõſueuerunt fallere.

Pax bello paratur, nec eam tueri licet, niſi ciues ſint ad bellum inſtructi.

Sola animi bona non ſunt bellorum violentia obnoxia.

Ad victoriam plurimum habet momenti, ſi imperator ſtrenuus, præſens regat exercitum.

Non eſt turpe fugere, quoties magis expedit hoſti dare locum, quàm conſerere manus.

Iuſtitiæ leges non poſſunt tueri, qui ditionis amplianda, gloriæve cauſa bellū̃ inferunt alienis ciuitatibus.

Affectus priuati frequenter & ciuitates & regna bellis committunt, ac peſſundãt.

Bellum non niſi iuſtè eſt ſuſcipiendum.

Tota belli fortuna à ducis virtute, prudentiaq; pendet.

Occaſio. 50

ADuerſus hoſtes nulla prætereunda eſt occaſio.

Pro tempore, proque re nata variandus eſt ſermonis habitus.

Scriptura non mutatur, cum pro varietate occaſionum vir probus & ſapiens cogatur ſæpe mutare conſilium.

Inimici per occaſionem vtiles ſunt nobis, per quos non licet impunè, ſecurèque negligentes eſſe.

Ira. 51

TVtum eſt iram premere, ne prorumpat in verba.

Ira, contentioq; melius ſoluitur blãdis verbis & benignitate, quàm repugnando.

Ira eſt breuis inſania.

Minus ſui compos eſt ira, quã ebrietas.

Probis etiam ingenijs adiuncta iracundia eſt, ſed hoc vitium tolerabile eſt, ſi celeriter ad ſe animus redeat, & pro ira rationem in conſilium adhibeat. At ſi perturbatio penitus inſideat animo, ita vt, excuſſa ratione, feratur effræni impetu, certa pernicies.

Ira ad omnem functionem inutilis eſt: & prouerbio quoq; princeps iubetur, & æqua & iniqua audire.

Error. 52

HOminis eſt peccare, at Dei aut hominis Deo proximi, emendare peccata.

Par eſt vt nos noſtra ipſorum feramus errata.

In

In alienis erratis perſpicaces ſumus, ad ſua quiſque luſcioſus eſt.

Ex leuiſſimis offenſis, ſi negligantur, naſcuntur atroces tragœdiæ.

Error eſt immedicabilis, cum tranſit in habitum, & conſuetudinem.

Raris lapſibus danda eſt venia.

Iuuentus facilius in errorem impeditur, quàm ſenectus.

Vulgus. 53

NIhil imitari ſolet vulgus libentius, quàm quod à viris principibus conſpexerint factitari.

Quid tam impium eſt, quod mortalium vulgus non admittat ampli principatus gratia?

Quod decet plebeium, non ſemper decet principem.

Quæ recta ſunt ſemper pauciſſimis placent.

Vulgus hominum, cupiditatibus agitur, non ratione.

Apud Græcos cùm certarent artifices, de his iudicabant artis expertes.

Vni nihil placet omnium, quæ vulgus vel facit, vel dicit.

Vulgus hominum ea tantùm approbat, quibus aſſueuit, ab exoticis abhorret, non quia per ſe mala ſunt, ſed quia peregrina.

Vulgo ingens probrum eſt paupertas: magna gloria, diuitijs per fas, nefaſq; partis abundare.

Otium. 54

IGnauia, peſtis maxima eſt Reipublicæ.
Non eſt reprehendendum otium honeſtis rebus partum.

Qui per fas & nefas otium ſectantur, vituperio digni ſunt.

Otium in pace delitias alit, & omne flagitiorum genus.

Luxus, & otium in iuuenibus ſtultitia eſt: in ſenibus verò crimen.

Honeſtę occupationes inutili, turpique otio præferendæ ſunt.

Otium omnia mala docet adoleſcẽtes.

Iuuentus corrumpitur, ſi permittatur otio luxus ac malorum omnium magiſtro.

Voluptas & luxus. 55

NIhil ſeruilius abiectiuſq; eſt, quàm gulæ, ventriſque voluptatibus obnoxium viuere.

Inepta voluptas eſt, magis delectari ipſa ſimulatione, quàm natura.

Inſaniam aufert medicus, voluptas cùm æquè mentem eripiat homini, vix ſanabile malum eſt.

Oleum inunctum, reddit corpus firmius, & iniuriæ patientius: infuſum in viſcera delicatius ac ſegnius.

Luxu nihil turpius, libido pecudem ex homine reddit.

Voluptates venientes fucata ſpecie blãdiuntur, abeuntes autem, pœnitentiam ac dolorem relinquunt.

Ex priuatis affectibus ferè omnis huma

næ

næ vitæ pernicies naſcitur.

Luxus ferè alit amorem,tempus omnia tollit,aut certè mitigat.

Luxus eſt maximus, naturam artificio corrumpere.

Veſtium luxus arguit, animum parum ſobrium, & intuentium oculos ad libidinem ſollicitat citius, quàm ad honeſtam opinionem.

Quàm optimè hoc natura comparatũ eſt, vt hæ duæ res ſeſe inuicem comitentur, voluptas ac dolor.

Voluptati inhoneſtæ parata eſt comes pœnitentia.

Faſtidioſè delicatus videtur, qui inter varias delitias cibum appetit vilem ac plebeium.

Vnguentum in homine arguit vitę mollicíem.

Non turpe eſt vti conceſſa voluptate, ſed ei ſeruire,deditumq́; eſſe, in turpibus habendum eſt.

Amplecti voluptatem, fœminarum potiùs eſt,quàm virorum.

Homines proniores ad voluptatẽ ſunt, quàm ad virtutem.

Nulla capitalior peſtis hominibus à natura data eſt,quàm voluptas: nam ex hoc fonte prodit quicquid eſt in hominum vita ſcelerum & calamitatum.

Ea delectant,quæ contingunt expetita: quæ vltrò obijciuntur,non perinde iuuãt.

Corruptela è muneribus. 56

PEcunia vincere,ſpetioſum non eſt.

Qui Remp. adminiſtrant, tamen à capiendis muneribus non temperant, nec boni ſunt viri nec tales habendi.

In ſinceros fauor eſt, qui donis emitur: qua ſi minas, ingens murmur, ſi tollas, ſeditio grauis oritur.

Iniuria. 57

AD priuatas iniurias oportet principem eſſe facilem ad ignoſcendũ, quæ lædunt Remp. decet eſſe ſeuerum.

Qui iniuriam faciũt, infeliciores ſunt, quàm qui patiuntur.

Qui veterem impunè fert iniuriam, inuitat nouam.

Iniuriæ memoria tenaciſſima eſt, at beneficij breuiſſima.

Infamia. 59

TVrpitudinis alienæ ſpecies velut in theatrum producta deterret à vitijs, & ad virtutem extimulat ingenia non omnino deplorata.

Remiſſa culpa, manet tamen prioris infamiæ veſtigium.

Quò fœdius eſt crimen, hoc tenacius hæret apud multos criminis ſuſpicio, vel in innocentiſſimum.

Non eſt aliquid amicis quibus fidimus, committendum, quod ſi efficiant, pariat nobis infamiam.

Improbitas. 58

EXtrema improbitatis eſt linea, etiam illudere, quos afflixeris.

Improbus eſt, qui ſcit beneficium accipere, neſcit reddere.

Ex improbis conuictoribus nihil capitur, niſi probrum, & ignominia.

Magnę felicitatis eſt, ab improba muliere liberari.

Impunitas. 60

IMpunitate nihil periculoſius eſt, quæ ſemper ad deteriora prolabitur.

Impunitæ iniurię exemplum, omnibus in iniuriam minatur. Etenim ſi liceat impunè lædere, quis tutus erit ab improborum violentia?

Simultas. 61

SImultatem exercere cum ſepulto, indecôrum eſt, vt in mortuum ſæuire.

Simultatem oportet morte finiri, amicitiam non item.

Loquacitas. 62

EX multiloquio pleraque naſcuntur incommoda.

Quidam hoc præclarum exiſtimant, ſi nunquam ſileant cùm id ſit certiſſimum fatuitatis argumentum, vt contra, ſilentiũ vbi loquendi tempus non eſt, prudentiæ ſignum eſt.

Multiloquium nõ ſolùm moleſtum eſt auditori: verumetiam ad perſuadendum inutile, præſertim apud principes tum varijs occupatos, tum auribus faſtidioſis.

Peculiaris erat Lacedæmonijs verborũ paucitas, vnde & ab ea religione breuiloquentia laconiſmus dicitur.

Stolidi oratoris inanis loquacitas reſpõſo indigna eſt.

Fruſtrà de his verba fiunt, ad quæ per-

ficiendą non ſuppetit facultas.

Eſt hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi ſermone, quàm cauſa poſtulat lon giore; adeò nuſquam non placebat frugalitas. Nam ad cauſam non magnam adhibere ſuperuacuam rerum copiam, luxuriæ genus eſt.

Effectu caret loquacitas: taciturnitas autem certiora habet conſilia.

Breuiloquentia ducem decet maximè.

Multa verba nequaquam arguunt ſapientem opinionem.

Aequo effræni nemo non metuit inſidere, at plus eſt periculi à lingua effræni.

Eſt aliqua ſapientis pars, ſilentio ſtultitiam tegere.

Indecenter is magnificè loquitur, cui vires non ſuppetunt orationi pares.

Nihil eſt violentius aure tiranni: apud bonos etiam principes admonẽdi libertas verbis placidioribus eſt temperanda.

Silentij tuta ſunt fidi præmia.

Multis verbis veritas nõ eget: & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehenſa ſunt.

Orationis expedita breuitas eſt probanda.

Ad cauſam non magnam adhibere ſuperuacuam verborum copiam, luxuriæ genus eſt.

Prius cogitãdum quid loquaris, quàm lingua prorumpat in verba.

Aduerſus nihil malè meritum audire maledicam linguam iniuriæ genus eſt.

Nihil

Nihil oratione melius, ſi parcè promas lingua theſaurum.

Nihil efficiendum eſt, ſi quid liberius dictum ſit in conuiuio.

Maledicentia. 63

QVi paſſim maledicunt omnibus, eos palám eſt id naturæ vitio facere, nõ ex eorũ merito, q̃bus obtrectãt.

Maledicentia contẽnenda eſt, quæ non à iudicio, ſed ab omni morbo proficiſcit.

Aduerſus nihil malè meritũ, audire maledicam linguam, iniuriæ genus eſt.

Turpiter obijcit alteri vitium, à quo ipſe immunis non eſt.

Periculosè maledicit alteri, cui vel idẽ, vel ſimile, vel diuerſum, ſed deterius vitiũ poteſt obijci.

Oium rerum nocentiſſima eſt calũnia.

Sæpenumero accidit, vt qui alios inſectantur, ipſi grauioribus madeant vitijs.

Imprudenter in alterũ vitiũ torquet, ſi in promptu eſt quod ipſi viciſſim obijciat.

Mendacium. 64

MEndacij nomine continentur aſſentatores, calumniatores, infidi conſiliarij, peruerſi educatores, qui fontes ſunt ferè malorũ omniũ, quibus ſurſum deorſum turbatur vita mortalium.

Perfidia. 65

NIhil eis tutò credi debet, qui in patriam perfidi fuerint.

Stultè dubitat de peierãdo, qui facinus periurio par non dubitauerit cõmitt re; eoque in atrocibus ſceleribus nihil pon-

deris habet iuſiurandum, nam quiſquis audet dare venenum, audebit & cum periurio inficiare.

Iniuria. 66

QVi auidè obtrectant alienæ laudi, magis produnt morbum ſuũ, quàm detegunt mores alienos, & qui ob res parum honeſtas laudant quempiã, aut ob laudabiles vituperant, indicãt ſtultitiam ſuam. peruerſumq; iudicium.

Inuidus abundè dat pœnarum, etiam ſi nemo vlciſcatur.

Vt ferrum abſumitur rubigine, ita inuidus ſuo ipſius vitio contabeſcit.

Inuidus tam inutilis eſt ciuitati, quàm lolium tritico, ignauus bello.

Ij, quos habet inuidia, magis ſunt miſericordia digni quàm ira.

Inuidus non minus diſcruciatur aliena felicitate quàm ſuo infortunio.

Ambitio. 67

NEſcit pietatis iura regnãdi cupiditas.

Ambitio malè profundit, quod malè colligit auaritia.

Cupiditates, animi ſunt morbi.

Malus ciuis eſt, cui nõ ſatis eſt, id, quod ſatis eſt cæteris.

Turpior eſt ambitio ex vtilitate cultus, quàm ex amictu ſplendido.

Turpis eſt ambitio ex fuco virtutis laudem captans.

Adulatio. 68

BLandiloquio nocentius nihil.

Ingenium hominum ad aliena vitia

tia perſpicax eſt,ad ſua cæcum.

Peſtilentiſſimum eſt genus adulationis, ſub libertatis imagine blandiri.

Aliena rectius proſpicimus, quàm noſtra, & ſibi quiſq; adulator eſt.

Lapidis eſt non ſentire diſcrimen inter laudantem & vituperantem, ſed philoſophi eſt non ita commoueri, vt ab honeſto recedat.

Nemo ſuam turpitudinẽ perſpicit, ſed ſibi quiſque adulator eſt.

Vt adulationem affectare turpe eſt, ita ingerentem ſe non oportet omnino repellere, prodeſt enim in hoc, vt homo perſpiciat qualis eſſe debeat.

Audacia. 69

FIt ſæpenumero, vt qui fragili quærit illudere dentem, infringat ſolido.

Periculoſa eſt audacia, ſi vires non ſuppetant ſpiritibus.

Expenſio periculi reuocat hominem ab audacia.

Aſſiduitate nimia facilitas magis quàm facultas, nec fiducia, ſed temeritas parat.

Bona eſt timiditas, quę deterret à turpibus, & reddit hominem circunſpectum.

Mors. 70

HOneſta mors eſt, oppetere pro amicis liberandis.

Magis metuunt mortem, qui domi habent vnde poſſint ſuauiter viuere.

Morientibus præcipuum ſolet eſſe ſolatium ſpes vindictæ.

Vt tiranni viuũt inſuauius ijs, qui mor

tem vehementer optant, ita mortem periñ de metuunt, quaſi vitam ſuauiſſimè degant.

Optimum eſt exire de vita, cum res ſunt proſperrimę.

Nullos mortis conſideratio deterret ab honeſtis actionibus: cõtrà, mortis obliuio multos inuitat ad licentius peccandum.

Somnus profundior adimit omnem ſenſum, & animus à corpore digreſſus, aliquãdo in ſuum domicilium rediturus eſt.

Mors quidem mala non eſt, ſed iter ad mortem miſerum eſt.

Somnus, mortis eſt imago.

Ille non viuit, qui perpetuò mortis metu viuit.

Mors omnium malorum ſenſum adimit.

FINIS.

SENTENTIAE Collectaneæ, ET SIMILIA EX DEMOSTHENIS Orationibus & Epiſtolis, in certa virtutum ac vitiorum capita collecta.

De Deo. I

OMNIS ſerij dicti & facti principiũ à Diis immortalibus maximè ducendũ eſſe cenſeo. Ex Epiſt. 1.

Tantò plures occaſiones ad Deorum beneuolentiam conciliandam habemus, quantò magis pia iuſtioraque facere pergimus. Ex Orato. ad Philipp.

Omnibus vno conſenſu autor eſt vt ij acerbè puniantur; qui hoſtibus aliquid indulſerunt, Iupiter, Dion, & reliqui Dij. Ex Orat. de falſa legat.

Qui petulanter, & flagitioſè leges inſtitutaq; veſtra deſpiciunt, quiq; impudenter impij erga Deos fuerunt, duas ob cau-

ſas graui ſupplicio afficiendi ſunt, vt & hi ſcelerum ſuorum pœnas luant, & alij curent caueantq; ne quicquam in Deos & Remp. peccent. Contra Neæram.

Bona quidē expectare, & à Dijs vt dent, precibus expoſcere oportet, ſed omnia humana exiſtimare. Ex Orat. ad Leptinem.

Omnium rerum exitus, vt Deus voluerit, conſequitur: conſilium autem ipſum conſultoris mentē declarat. Pro corona.

Equidem arbitror eum oportere, qui ſit templum ingreſſurus, & vaſa ſacra, & caniſtra tractaturus, & rerum ad Deos ſpectantium curationi præfuturus, non certorum dierum ſpatio purè viuere modò, ſed per totam vitam. Contra Androtionem, & contra Timocratem.

Propterea quod res quidam Græcas fideliter, Deorum verò religionem & ſacra piè tractabant, quæq; ad ſe pertinebant, ex quo adminiſtrabant magnam meritò adepti ſunt felicitatem. Olint. 3.

Oportet eum, qui maximis laudibus dignus ſit, non Dijs cariſſimum videri, ſed hominibus, partim quidem propter ſe, partim verò propter fortunam admirationi eſſe. Ex Orat. Amator.

Philoſophia, aut doctrina. 2

OMnis natura pręclarior, & illuſtrior ſit, ſi ratio quædam conformatioq; doctrinæ acceſſerit. longè verò maximè ijs quibuſcunq; initio melioré paulò quàm alijs ſortiri contingit: illis enim ſeſe tantū vincere, his verò alijt etiam præſtare accidit.

dit. Ex Orator. Amator.

Humanam quidem mentem rerum omnium ducem, hanc autem Philoſophiā ſolam rectè inſtituendi viam doceri poſſe inuenimus. Ex Orat. Amator.

De prudentia. 3

OMnis virtutis principium quidem eſt prudentia, finis verò fortitudo; & vt illa quid agendum ſit indicat, ita hęc ſeruat & tuetur. Ex Orat. funebri.

Principium quidem eſt rectè iudicandi omnia, vt nihil antè nos noſſe exiſtimetis, quàm intellexeritis, cùm alioqui ſciatis ſæpe iam multos de ſententia deceſſiſſe. Ex 6. procœmio.

Pulcrum quidem eſt, ob vnum aliquod præclarum facinus, clarum, & illuſtrem eſſe, ſed longè pulchriùs eſt omnia amplecti, ob quæ vir prudens gloriæ ſtudeat. Ex Orat. Amator.

Et ſi mors eſt ferè communis plurimorum, vt eos, qui laudant & blandiuntur, ament, eos verò, qui increpant & probè cōſulunt odio habeant: veruntamen prudentis officium eſt, eniti vt cupiditatem rationi ſemper habeat obtemperantem. Ex 57. procœmio.

Principio aliquod nō dare, prudentum hominum eſt officium; habentibus autem eripere, inuidentiū. Ex Orat. ad Leptinē.

Debetur hominibus modeſtis, ac prudentibus vereq; rem examinare volentibus multò maior honor, quàm ærea ſtatua. Ex Orat. contra Ariſtocratem.

Quę quis proferre vereẗur, ea quoque ſcribere caueat. Ex 4. Epiſt.

Cùm vnus, qui iniuria affectus eſt, non ſumpſerit pœnas, tum vnumquenq; expectare oportet, ſe primum poſtea fore, cui facienda ſit iniuria, nec huiuſmodi contẽnere decet, neq; permanere dum ad id perueniat, ſed ex longinquo præcauere. Ex Orat. contra Midiam.

Norunt Cecropidæ ducem ſuum partim Draconem partim hominem dici, non aliunde profectò. niſi quòd prudentia ſua homini, viribus Draconis ſimilis eſſe diceretur. Ex orat. funebri.

Omnia quæ præclara ſunt, quæq́; auguſta, & per quæ ciuitas, decoratur, ac cõſeruatur liberorum erga parentes obſeruantia, iuuenũm erga natu maiores reuerentia. Ex orat. 1. contra Ariſtog.

Illud exiſtimo prudentium hominum munus eſſe vt parem curam & prouidentiam rerum veſtrarum priuatarum quam alienarum habeatis, nõ humani ſolùm ſed etiam prudẽtes videamini. Ex 17. procem.

De ſtultitia. 4

MVltarum, & grauium calamitatum multis hominibus ſtultitia cauſa eſt. Ex orat. de Rhodiorum libertate.

Turpe eſt ſibi fucũ facere, & omnibus, quæ moleſta ſunt, procraſtinandis, omniũ rerum occaſionem amittere. Ex orat. 3. in Philip.

Facillimum eſt omnium, ſeſe decipere. Olyn. 3.

Stultum

Stultum eſt ipſos res veſtras negligentes,dicere alienarum rerum curã vos habere,& præſentia contemnentes, de futuris alios terrere. Ex ora 3.in Philip.

Priuſquàm principium rectè ſubieceritis,ridiculum de fine qualiacunque verba facere. Olynt. 3.

Epilepſia laborantes prædicat ſe ſanaturum, cùm ipſe omni improbitate,& malitia laboret. Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Illud quidem turpe eſt,poſtea aliquando dicere ſi quid acciderit; quis enim putaſſet hæc futura eſſe? haud dubiè oportebat vnum facere,& alterum nõ facere. Ex orat. 3.in Philip.

Neque quicquam proſpicitis,priuſquã aut factum quid, aut quid fiat audieritis. Ex oratio. 1. in Philip.

Occaſio.

PAruæ occaſiones,magnarum rerũ cauſæ exiſtũt. Ex orat. ad Leptinem.

Occaſione parua, & prima quæq; offenſio celeriter omnia diſtulit atq; euertit. Ex orat. de Cherrhoneſicis.

Oportet,eum qui ex vobis remp. adminiſtrare vult, non ſubitò affectibus ad iracundiam impellentibus obtemperare, ſed rationi, & rebus ipſis & temporis opportunitati ſeruire. Illa enim celeriter cõcidere ſolent: hæc verò permanere, & in longum tempus exiſtere. Ex oratione 2. contra Ariſtogit.

Vos ſi iam reſiſtatis,prudenter facturos dicam; ſi verò reijceretis, ne hoc quidem

cum

cum volueritis, facere poteritis. Ex Orat. 3. In Philipp.

An exiſtimatis ipſam rei bene gerendæ occaſionem aliquando valerę etiam abſq; iure id, quod conducit, efficere: iam verò cum in id ius ſimul & occaſio & vtile conſentiunt, aliud quoddam tempus expectabitis veſtræ ſimul & aliorum Græcorum libertatis recuperandæ? Ex Orat. de fœdere Alex.

Qui rectè occaſione vſi non ſunt, ij ne ſi boni quidem aliquid à Dijs acceperint, eius recordantur. Olint. 1.

De legibus & earum laudibus. 6

VNiuerſa hominum vita, Athenienſes, ſiue magnam vrbem incolant, ſiue paruam, natura & legibus gubernatur, horum porrò natura quidē incerta & verſatilis eſt, & ſua cuiuſq; nominis: leges autem communes & ordinatæ ſunt, idemq́; præſcribunt omnibus. itaq; ſi natura praua eſt, ſæpe mala capit conſilia. atque inde tales in delicta ruere facilè inuenire licet; leges verò iuſtum, honeſtum & vtile imperant, & idipſum quærītāt: quod cùm fuerit inuentum, commune iſtud fit edictum ac proponitur omnibus par & æquale, idq́; lex eſt, cui parere decet, cùm propter multa, tum maximè, quia omnis lex inuentum ſanè & donum eſt deorum, decretum verò hominum prudentum, recta porrò vel ſpontaneorum, vel culpa admiſſorum delictorum, correctio, ciuitatis præterea communis conuentio, iuxta quam omnes

omnes viuere oportet, qui in ciuitate ſũt. Ex oratione 1.contra Ariſtogit.

Legibus, & earum obſeruantia exornã tur omnia. Ex orat.1.contra Ariſtogit.

Nihil omnino neque pulcrum, neque decôrum reperiri poteſt, quod non cum lege aliqua communicet. Ex orat.2.contra Ariſtogit.

Si leges abrogentur, & cuius licentia faciendi quicquid voluerit data ſit: non ſolùm Reſp.peſſum ibit, ſed nec quicquam intererit inter noſtram & ferarum vitam. Ex orat.1.contra Ariſtogit.

Poſtquam omnibus inconfeſſo eſt,leges ſecundùm Deos ciuitatem tueri, oportet vos omnes perinde ac ſi deſideretis, ad tributum exigendum, obtemperàntem quidem iſtis laudare tanquam integrum ſalutis tributum penſitantem patriæ,minus obedientem verò punire. Ex orat.1.contra Ariſtogit.

Par, & æquum legibus acceptum ferre debetis, & quæ bona ſunt omnia, legum benignitate habetis. Ex oratione contra Midiam.

Legum vis & autoritas quæ eſt? vtrùm ſi quis veſtrum iniurijs affectus exclamauerit vt ipſe accurrant, & præſentia ſua opem ferant? minime gentiũ, literæ enim depictæ ſunt,neq; iſtud præſtare poſſunt. quænam igitur earum vis eſt, ſi vos eas conformetis & ſemper ratas firmaſq; exhibeatis earum opem implorant? Ex orat. contra Midiam.

Omnia,

Omnia,quæ pręclara ſunt,quæq; anguſta, & per quæ ciuitas decoratur, ac conſeruatur, liberorum erga parentes obſeruantia, iuuenum erga natu maiores reuerentia,& moderatio, legum additamento & ope turpitudinem,immodeſtiam,audaciam,impudentiam fugiant. Ex orat. 1. cōtra Ariſtog.

Quæ ſanè corporibus eueniunt ægrotationes,medicorum induſtria, & ope curantur; animorum verò ferocitatem propulſant,ac eijciunt legum latorum ſententiæ.Ex ora. 2. contra Ariſtogit.

Enitendum eſt profectò vt omnes leges quàm rectiſſimè ſe habeant,in primis autē hæ,per quas paruam,aut magnam licet eſſe ciuitatem: hæ verò ſunt quæ boni aliquid facientibus præmia decernūt,quæq; contra facientibus ſupplicia conſtituunt. Ex orat. ad Lepi.

Duas ob cauſas omnes feruntur leges, tum vt nemini quicquā iniuſti liceat agere,tum vt ijs, qui iſthæc tranſgreſſi ſunt, ſupplicio affectis, cæteri meliores efficiantur. Ex orat. 1. contra Ariſto.

Cum leges feruntur, videndum eſt quales,& quæ nam ſint:vbi verò latæ ſunt,eas conſeruare ijsq; vti decet:nam & iuramenti ſanctitas, & alioqui iuſtitia flagitat. Ex orat. contra Midiam.

Decet vos,qui iudicijs exercendis ſemper præfecti eſtis,leges conſeruare, & eas validas,& fortes reddere: harum enim beneficio probi improbis meliores euadunt.

Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Illi Locrenſes ſic putant oportere veté ribus latis vti legibus, & inſtituta moresq; patrios tueri, nec ad cuiuſq; voluntatem, & iniuriam impunitatem leges ferendas eſſe vt ſi quis velit legem ferre, in laqueum collum inferens legem ferat: at ſi honeſta, & vtilis videatur eſſe lex, viuit qui eam tu lit, & abit, ſin minus, conſtricto laqueo pé rit. Ex oratio. contra Timocrat.

Solon exiſtimat argentum quidem numiſma eſſe priuatarum commutationum cauſa inter priuatos repertum; legem autem putat ciuitatis numiſma eſſe: itaq; iudices oportet multò magis ſi quis illud, quod ciuitatis ſit numiſma, corrumpat & adulterium inducat, odiſſe & punire, quã ſi quis illud, quod priuatum ſit. Ex orat. cõtra Timocratem.

Primùm lex eſt populo lata, nè liceret Athenienſem creare quenquam, niſi qui propter virile quoddam facinus erga populum Athenienſem, dignus ſit fieri ciuis. Contra Neæram.

Nonne ridicula exiſtimabitur eſſe ciuitas ſi legem tuliſſe videtur, quæ ſacrilegos tueatur, & conſeruet? Contra Timocraté.

Si quis iniurijs quempiam affecerit, ſiue puerum, ſiue mulierem, ſeu ex liberis, aut ſeruis virum, aut quicquam legibus prohibitum, in iſtorum aliquẽ fecerit, Athenięſium ex his, quibus licet, quicunque volet eum apud theſmothetas deferat. Contra Midiam.

Si

Si leges, & Rempublicam prodideritis, non inuenietis qui veſtri miſereantur. De falſa legat.

Longè profectò grauius eſt ſcelus ſcribere contra leges, quàm tributum nó ſoluere. Ex orat. contra Androt.

Sic porrò exactiſſimè cognoſcetis quanta proficiſcitur vtilitas ex bonarum, receptarumq; legum obſeruatione, quantumque damnum eſt ex earum contemptu, ſi legum commoda ſeorſum, & quæ ex earum violatione eueniant damna, ob oculos poſita proſpiciatis. Ex orat. 2. contra Ariſtogit.

Nullus eſt vſus ciuitatis, quæ neruos ac vires aduerſus ſceleratos, & iniurios nõ habet, neque Reip. in qua venia & amicorum preces plus valent quàm leges. Ex orat. de falſa negat.

Illud eſt Democratiæ ſummum præſidium, hoſtes, vel conſulendo, vel pugnando ſuperare, legibus autem ſiue volentes, ſiue repugnantes minores ſe gerere. Ex orat. 2. contra Ariſtog.

Neminem quæſo cenſeatis tantæ apud vos autoritatis eſſe, vt qui leges tranſgreſſus fuerit, inultus maneat. Olint. 3.

Oportet legum violationes omnibus communes exiſtimare in quocunque tandem deprehendantur. neq; vllum tantum beneficiũ in Remp. neque homo quiſquã, neque dolus aliquis, aut aliud quicquam excogitari debet, cuius gratia qui leges violauerit, non luat pœnas. Contra Mid.

Illud

Illud ab omni ratione alienum cenſeo, cùm is qui contra leges aliquid locutus fuerit, ſi conuincitur tertia parte corporis ſui multetur infamia, eos, qui non dictis, ſed factis leges tranſgreſſi ſunt, nullas dare pœnas. Ex oratione de corona præfect. naualis.

De iuſtitia. 7

REctè iudicare par eſt, & Eunomiam illam æquitatis amantiſſimam plurimi facere, quæ omnes & vrbes & regiones conſeruat, ſimul inexorabilem venerandamq; iuſtitiam colere decet, quam Orpheus is, qui ſacratiſſimas cæremonias nobis tradidit, iuxta Iouis ſolium aſſidere, & omnium hominum facta cernere dixit: Ex orat. I. contra Ariſtog.

Ius adeò valeat in omnibus, vt ſi quis fortuitæ cædis, alterum conuicerit, & planè purum non eſſe oſtenderit, poſthac verò, iniuria remiſſa, eum dimiſerit non amplius eum eijcere licet. Ex oratio. Contra Nauſimacum.

Arbitror nihil perinde decere eos qui in Democratia viuunt, vt æqui & iuris ſtudium. Ex Orat. de fœdere Alex.

Decet nos cum propter nos ipſos, tum propter reliqua noſtræ ciuitatis præclara facinora, operam dare, vt oſtendamus omnibus hominibus nos & antea, & nunc, & ſemper fuiſſe & eſſe iuris & æqui ſtudioſos. Ex Prooemio 53.

Et iuſtitiæ, & æquitatis & verecundiæ omnibus hominibus ſunt aræ; aliæ quidem

dem pulcherrimæ, & ſanctiſſimæ in animo, & natura cuiusq; : aliæ verò communes omnibus ad colendum poſitæ. ſed non impudentiæ, non calumniæ, non periurij, non ingratudinis. Ex oratione contra Ariſtogit.

De immodica plus habendi, acquirendiq; cupiditate, ſeu iniuſtitia. 8

EX maleuolentia aliquem dedita ope ra omnibus in rebus inſectari, ſuáq; poteſtatem & vires, tanquàm legibus ipſis ſuperiores iactitare, indignum hercle, ac non iuſtum eſt. Ex orat. contra Midiam.

Ob priuatam vtilitatem vnumquenq; reperietis ad multa perpetranda impulſum, quorũ nihil volebat facere. Ex orat. de pace.

Iis, qui de induſtria contumelioſi ſunt, leges acerbas eſſe cernere licet. Ex oratione contra Midiam.

Iniuriam infert aliquis ſua voluntate? Ira, & ſupplicium contra ipſum. Peccauit quiſpiam, incõſulto? venia pro pœna huic datur. Ex orat. de corona.

Quæcunque quis, vi adhibita facit, cõmunes eſſe iniurias, etiam ijs, ad quos negocium nihil attineret, exiſtimauit legislator. Ex oratione contra Midiam.

Leges ſunt de cædibus latæ, quæ eos, qui conſultò interfeciſſent. morte, perpetuo exilio, omnium deniq; honorum publicatione mulctant: eos autem, qui incon ſultò, venia & magna humanitate dignos iudicant. contra Midiam.

Nullos

Nullos eorum,qui beati ſunt,& felices, terminum aut finem habet cupiditatis habendi.Ex orat. contra Ariſt.

Non eſt apud iſtos quorum ſtudia,cogitationes deniq; omnes ad immodicam habendi cupiditatem referuntur, quicquam vel firmi,vel ſancti.Ex contra Ariſto.

Nihil eſt profectò moleſtius quàm vicinum auarũ,atq; iniuſtum habere. Ex ora. contra Callic. de fundo.

Cum ex immodica habendi cupiditate, & improbitate quis potens euaſerit, prima quæque occaſio leuiſſimaq; offenſio omnia diſſipauit,atq; diſſoluit.Olynt.2.

Fieri nequit iniurijs,periurijs,& mendacijs vt firmum imperium comparetur: ſed talia ſemel breuiq; tempore durant,& vehementer quidem ſpe, ſi vſu venit nituntur,temporis autem progreſſu deprehenditur & in ipſis concidit.Olynt.2.

Qui propter immodicas cupiditates habendi,acquirendiq; aggrediuntur ea,quæ minimè decet,ij non quæ difficilia ſunt cogitare ſolent, ſed rerum ſecundarum felicem ſucceſſum. Ex otat.contra Ariſtocrat.

Si quis priuatim vlla in re aliquem offenderit,illud recordari, & memoria tenere neq; quietem agere iniuſtum eſtatque perfidioſum. Ex orat.de Corona.

Si quis vos interroget, quodnam genus omnium hominum, qui in ciuitate ſunt improbiſſimum ſit, neque ſunt agricolæ, neque mercatores, neque argentarij, neque eiuſmodi quicquam,ſed qui quæſtus

R gratia

gratia dicunt, rogationemq; proferre con ſueuerunt. Ex orat. contra Ariſtocrat.

Non cum rerum veſtrarum quicquam interire permiſiſtis, tum grauiter ferre oportet, ſed dum res quidem veſtrę in tuto ſunt, eos autem, qui præſunt, propter auaritiam non eam ſuſcipere curam perſpicitis, quàm decebat. Ex oratione de corona præfecturæ.

De homine iuſto ac bono. 9

BOni ciuis eſſe iudicio, rerum ſalutem eloquentiæ venuſtati & gratiæ anteferre. Olint. 3.

Non diſcedere ab ijs, quæ ciuitati conducere conſtat: ſiue obſtrepi, ſiue quiduis aliud pati per vos ei contingat, boni, & iuſti ciuis id eſſe iudico. Ex 4. Procem.

Duo, Athenienſes, hæc, natura modeſtũ ciuem habere oportet (ſic enim mihi de meipſo dicenti abſq; inuidia verba facere licebit) in magiſtratu quidem, vt generoſi, & principis viri volũtatem, & animum erga ciuitatem conſeruet, in omni verò tem pore & actione, beneuolentiam: huius enim naturæ domina eſt, potentiæ autem, & virum altera. Ex orat. de Corona.

Certamina nulla re alia tantopere video indigere, vt bonis & fortibus viris. Ex orat. de Claſſibus.

Præſtat ſimplicem videri, quàm improbum eſſe. Ex orat. ad Leptinem.

Ob pecuniam iſta facere videri, non eſt bonorum virorum, nam neq; elationi, magnitudiniq́ue animi veſtri, neque reliquo inſtitu-

inſtituto veſtro conſentaneum eſſe videtur. Ex Epiſt. 3.

Coronæ, immunitates, alimenta, & huiuſmodi, præmia ſunt, quæ vir bonus ſi quis ſit aſſequatur. Ex orat. contra Lept.

Neque verè mihi videtur iſtud eſſe boni ciuis, eam Reip. gerendæ rationem inſtituere, qua ego ſtatim futurus ſim primus veſtrûm, vos autem aliorum poſtremi: ſed oportet ciuitatem vnà creſcere cũ bonorum ciuium rationibus. & quod maxime in rem ſit ſemper, non facile omnes dicere. huc enim natura ipſa ſponte feretur, illuc oratione oportet progredi optimum ciuem populum docentem. Ex orat. de rebus Cherroneſicis.

Oportet ciues iuſtè inter ſe Reip. communione vti, locupletes quidem ad vitam ſuam opes tuto & ſine metu poſſidere ſe exiſtimantes, ac de ijs non timentes: in periculis autem, pro ſalute patriæ facultates publicas & communes facientes, cæterùm reliquos, cõmunia quidem quę ſunt, communia exiſtimãtes, eorumq́; partem accipientes; quæ autem cuiuſque, priuata poſſidentes: ſic & parua ciuitas magna fit, magnaq́; ſeruatur. Ex orat. 4. in Philipp.

De improbitate. 10

IMprobitas, res eſt temeraria, audax & alieni cupida. Ex oratione 1. contra Ariſtogit.

Par eſt eos, qui bona & iuſta re non rectè & decenter vſi ſunt, vituperare. Ex appellatione contra Bubulid.

Omnis improbus per ſe parum poteſt. Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Si quis alios homines nouit optimos ac modeſtiſſimos, ſua natura quæ oportet omnia vltro faciunt, alios verò iſti deteriores, quos tamen pudet palàm improbos vocari, metu veſtri & turpitudinis & dictorum infamiæ dolore peccare cauēt, deterrimos verò & quos conſceleratos appellāt, ſolis ſupplicijs ad modeſtiam redigi poſſe ferunt. Ex orat. 2. contra Ariſtogit.

De Inuidia. 11

INuidia prorſus indicium eſt malitiæ, & vitij naturæ, nec excuſationem habet, propter quam conſequatur veniā hoc malo affectus. Ex orat. ad Leptinem.

Quandiu æquitas, & publica vtilitas ſuperantur inuidia, tum omnia ſurſum ac deorſum verſa eſſe exiſtimandum eſt. Ex orat. 1. contra Ariſtog.

Aduerſus inuidiam nihil prodeſt vera dicere. Ex 2. epiſt.

Viri eſt optimi propter ea, quæ ipſe geſſit in Remp. potius poſtulare ſe honorari, quàm rebus, propter quas alij, qui fecerūt, ornati ſunt, inuidere. Ex orat. ad Lept.

Omnibus hominibus natura inſitū eſt, vt maledicta, & crimina perlibēter audiāt: laudantibus autem ipſi grauiter ſuccenſeant. Ex orat. pro Corona.

Omnino commune eſt opprobrium, Athenienſes, & vniuerſæ ciuitatis calamitas, inuidiam videri plus valere apud vos, quàm beneficiorum gratias; cùm præſertim

tim illa ſit moribus, hę verò in deorum nu merum relatæ ſint. Ex 3. epiſt.

Et ſi ijs, qui adhuc ſunt in vita, obſtet in uidia, quominus iuſtos, & debitos honores obtineant, ſuis tamẽ liberis licebit me rita præmia à vobis reportare. Ex 3. epiſt.

De Calumniatore, & Calumnia. 12

MAla res, Athenienſes, & mala res eſt perpetuò calumniator, & vndique res inuidioſa, & contentioſa. Ex oratione de Corona.

Ea eſt calumniatoris natura, in crimen vocare omnia, probare verò nihil. Ex appellat. contra Ebulidem.

Periurum aliquem, & perfidum appellare, neq; rem ita ſe habere oſtendere, inane conuitiũ eſſe quis iure dixerit. Olin. 2.

Neminem vnquam veſtrum fortaſſe vi pera momordit, neque phalangium, & abſit vt mordeat vnquam, ſed tamen omnia eiuſmodi animalia vbi conſpexeritis, mox interficitis: itidem & cum delatorẽ & crudelem & hominem videritis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquẽ veſtrum mordeat, ſed cùm primùm occurrerit, puniatur. Ex orat. 1. contra Ariſtog.

Nullus eorum profectò, qui in belli periculis fugiunt, ſeipſum accuſat, ſed vel ducem, vel propinquos, vel omnes potius quam ſeſe: victi ſunt tamen: culpa nimirum eorum omnium, qui fugerunt: manere enim decebat eum, qui alios accuſat, quod ſi iſtud feciſſent ſinguli, viciſſent. Olint. 3.

De Iureiurando. 13

IVſiurandum maximum & potentiſſimum apud omnes homines eſſe cenſetur. Ex orat.in Bœotum de dote.

Iuſtum ſanctumq; iuramentum omnibus maximi faciendũ eſt. Contra *Ariſtog.*

Si qui pecunias habent,eas perdere minimè volunt, quó pacto vos honeſtè iuſiurandum contemnetis? Ex oratione contra Midiam.

De Republica. 14

TVm aiunt Remp. optimè ſe habuiſſe,cùm modeſti & prudentes viri ipſam adminiſtrabant. Ex oratione contra Theocrinem.

Ciuitatis ego diuitias arbitror, ſocios, fidem,beneuolentiam. Ex orat.4. in Philip.& de rebus Cherroneſ.

Decet vos in armis, & bello formidabiles, in iudicijs autem humanos eſſe. Ex orat.de ordinat.Reip.

Nihil ingenuè, ſimpliciterq; facere, nõ ſolùm vobis eſt indignum, & parum genẽroſum, ſed etiam maxima habet pericula. Ex 1.Epiſt.

Non rumore ſolùm vos veſtras res cognoſcere,verumetiam præſentes ſpectare oportet. Ex orat. 1.in Philip.

Res ciuitatis non ita tractabãt, vt opes immenſas pararent,ſed Remp.ſibi amplificandam eſſe ſinguli putabant. Olint 3.

Oportet Athenienſes eum, qui boni aliquid facere noſtræ ciuitati cupit,primùm veſtras aures ſanare:corruptæ enim ſunt,

adeò

adeò falſa & multa & quæuis potius, quã optima audire conſueuiſtis. Ex orat. de ordinatione ciuitatis.

De Iudicibus & iudiciorum laudibus. 15

IN iudicijs vobis eſt ſalus, voſque decet iudicijs exercendis Remp.conſeruare. Ex orat.de ordinatione ciuitatis.

Bonorum, & incorruptorum iudicũ eſt eos ciues, qui cùm diuitijs circunfluunt, vltro citroq; pecunias in publicum erogant, & qui in trecentarum claſſe,ſi iſtius indiguerint refocillare,qui verò ſe id perdere exiſtimant, quod in Reip.commodũ conferunt, eorum numero, qui primi tributum perſoluunt, ſunt inſcribendi, neque eſt ſinendum vt effugiant. Ex orat. contra Phænippum.

Si ſpectare, & quærere velitis qua tandem re qui ex vobis ius dicunt, ſemper potentes ſint,& omnium ciuium domini, ſiue ducenti, ſiue mille ſint, ſiue quotquot ciuitas conſtituerit, reperietis id non eò fieri, ꝙ ſoli ex cæteris ciuibus armis inſignes,aut corporibus optimis & fortiſſimis præditi ſunt,iudices,aut ætate florentiſſimi,aut re vlla ſimili, ſed ꝙ legibus valeãt. Ex orat.contra Midiam.

Oportet vos ipſa veritate ex accuſatione,& defenſione verè cognita, ita tum ſententiam ferre,& pro dijs, legibus, iuſtitia, & vobis ipſis. Ex ora.contra Neæram.

Si occulta eſt ſententia,nõ idcircò deos latebit. Ex orat.contra Midiam.

Humana cogitatione id perſpexerit ali-

quis, quod omnium pernicioſiſſimum, & formidoloſiſſimum eſt, ſi is, qui ciuitati præfectus eſt, ijs permittatur familiaris eſſe, qui non eadem cum populo ſentiunt. Ex orat. de falſa legat.

Semper profectò, Athenienſes, conuenit odio habere punireque proditores, & corruptos: potiſſimùm verò nunc opportunè etiam communi omniũ hominũ vtilitate id fieri poteſt. Ex orat. de falſ. legat.

Qui in Rep. adminiſtranda muneribus corrumpuntur, punire omnino oportere, & odiſſe ſemper, & vbique, vt probi ciues, & qui ſe præſtant caſtos ac integros videãtur, & alijs & ſibi optimè conſuluiſſe. Ex orat. de rebus Cherron.

Aequum eſſet, Athenienſes, vos pari, & eodem odio eſſe in eos, qui vos decipere conati ſunt, quo ijs qui potuerũt: quod enim in iſtis fuit, fecerunt, voſq́ue eò induxerunt: quòd autem eorũ conatus exitum, & finem deſtinatum non habuerunt, fortuna in cauſa eſt. Ex 16. Procœm.

Quem Atheniẽſes munera accipientẽ videritis, hunc & proditorẽ eſſe exiſtimate: quod ſi alius tempore, alius negocia, alius milites prodiderit, quarũ rerum quiſque veſtrum opinor poteſtatem habuerit, eas perdit, eiuſmodi tñ omnes æque odio habere par eſt. Ex orat. de falſa legat.

Solon ſupplicia priuatis hominibus tardiora conſtituebat, magiſtratibus verò, & Reip. adminiſtratoribus velocia, exiſtimãs poſſe quocunque tempore de illis pœnas ſumere,

ſumere, hos autem vindictæ ſumendę ſpatium non admittere. Ex oratio. 2. contra Ariſtogit.

Par eſt homines cùm ſimus, talia & dicere, & legibus ſtatuere, quæ nemo reprehenderit. Ex orat. ad Leptinem.

Leges ſpectandæ ſunt, iudices, nam iuxta eas vos cauſas iudicaturos eſſe, iuraſtis, & videte qnanto maiori ſupplicio dignos eos eſſe vulgus cenſet, qui ſua voluntate, & per contumeliam piaculum admittũt, quàm alios, qui caſu & imprudenter peccant. Ex orat. contra Midiam.

Quæ iuſta cognouiſtis, hęc cuſtodite, & mementote, quoaduſque decreueritis vt iuſtam, & religioſam ſententiam aduerſus praua ſuadentes feratis. Ex oratio. ad Leptinem.

Illos iuuare oportet, iudices, qui legũ vocem veſtram eſſe cenſent, & veſtrã hãc, quæ in foro iudiciali editur, miſeria, & calamitate affectis non ſceleratis, ac iniurijs opem laturam eſſe putant. Ex orat. contra Phœnic.

Qualeſcunq; videbimini amare, & defendere, ijs ſimiles iudicabimini. Ex orat. contra Androt.

Quicunque neque inimicitia, neq; beneuolentia, neque vlla alia iniqua cauſa ductus nullã aduerſus ea, quæ nouit, fert ſententiam, piè ſanctéq; facit. Ex orat. contra Ariſtocrat.

Quantò magis declaratam à nobis improbitatem nihil curaueritis, tantò ma-

ior in vobis infamia inerit. Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Quò exactius quæ geſta ſunt intellexeritis, eò iuſtiorem, & ſanctiorem de eis feretis ſententiam. Ex orat. contra Aphobum falſi teſtimonij.

Cenſeo neq; legum, neq; ſtipulationis & cautionis vllius vtilitatem eſſe vllam. niſi qui pecunias accipit vir ſit admodum iuſtus, hocque pacto duorum alterum ſit, aut vos timeat, aut eum, quo cum pactus eſt, vereatur. Ex orat. contra Dionyſodo.

Magna eſt iniurijs, & ſceleratis omnibus pars & ad nequitiam anſa, morum veſtrorum lenitas, & manſuetudo. Ex orat. contra Mideam.

Haud æquum eſt, vt qui pro legũ conſeruatione adſunt, longis narrationibus, & criminationibus animum attẽdant, ſed ijs, quæ omnes facile aſſequamini. Ex Delatione contra Theocrinem.

Eum, qui leges & Reip. adminiſtrationem ſibi curæ eſſe prædicat, velut nunc iſte, & ſi nihil aliud, hoc certè habere oportet, ijſdem dolere, ac ijſdem de rebus lætari, quibus populus; & non ſub propoſito adminiſtrandæ Reipu. ab aduerſariorum parte ſtare. Ex orat. de Corona.

Qui pro ciuitate non nihil facere conatur, voſq; manſuetos, ac clementes experiri ſtudet, eum huius ciuitatis, mores tenere par eſt. ij verò quinam ſunt? imbecilliũ miſereri: validorum, & potentum petulantiam reprimere, ac non multitudinem crudeliter

deliter tractare; adulari autem ſemper po tentiorem, ac ditiorem. Ex oratio.contra Timocr.& ex orat.contra AndrOt.

Talia non ſemper laudibus afficere, ne que admirari vos oportet, neque publicā ex eis magnificentiam,& liberalitatē metiri, ſi quis ædificet ſplendidè, aut ancillas habeat multas, aut amplam ſupellectilē: at is honorandus eſt, qui talibus in rebus lar gus eſt,& magnificus: quarum commoditas ad vos redit. Ex orat.contra Midiam.

Vt is omnibus gratus ſit, qui ſuadet ali quid, & Rempub gerit, fieri non poteſt. Ex 3.Epiſt.

Oportet quidem cogitare ſemper & agere quæ iuſta ſunt, vnà porrò obſeruare, vt hæc quoque profutura ſint. Orat.de Rhodiorum libertate.

Omnes appetunt ſocietatem cum ijs inire,& conſentire, quos viderunt eſſe paratos,& velle ea facere, quæ oportet. Ex orat.1.in Philipp.

Abſurdum eſt, eum ius, & æquum vos docere, qui quæ iuſta ſunt non facit. Ex orat.de Rhod.libert.

Scimus hoc vniuerſi, quòd omnes etiā ſi quæ iuſta ſunt nolunt, tamen hactenus certe non agere erubeſcunt,& hominibus iniuriam facientibus palàm aduerſantur, præſertim ſi qui læduntur, & iſtud eſſe quod corrumpit,& labefactat omnia, repe riemus, hocque omnium malorum eſſe principium, nolle videlicet quæ iuſta ſunt ſimpliciter agere. Ex orat.pro Megalopol.

Non licet maledicere magiſtratibus, & ſi flagitioſiſſimi ſint, aut traducere, vt ſibi ſint quàm ſimillimi. Ex oratione contra Androt.

Nemo talia ignorat, priuatorum hominum vitam tutam, ac facilem & periculorum eſſe expertem, Rempub. verò adminiſtrantium contentioſam, & periculoſam, & quotidie laborum malorumq; plenam. Ex orat. 4. in Philip.

Varia ſunt profectò excogitata ad verbium cuſtodiam ſalutemq; propugnacula, vt aggeres, muri, foſſę, & quæcunq; alia huiuſmodi: hæcque omnia certe ſunt manibus confecta, ſumptuque magno egent, natura verò vnum commune ſapientum in ſe habet munimentum, quod quidem omnibus bonum eſt & ſalutare: potiſſimũ autem plebeculæ aduerſus tirãnus, quodnam illud eſt? diffidentia: hunc ſi ſeruaueritis, nihil mali accipietis. Ex oratione 2. in Philip.

Si omnes verè ſuppliciorum legibus conſtitutorum metu à quouis ſcelere recedant, omneſq; beneficiorum æmulatione, quæ oportet facere, inſtituanť, quid vetat maximã eſſe ciuitatẽ & oẽs bonos, neminem, aũt improbum? Ex orat. ad Lept.

A' vobis omnibus ea poſtulo, quæ etiã non petentibus impartiri æquum eſt, vt nullam gratiam, nullúmve hominem pluris faciatis quàm æquitatem, & iuſiurandum. Ex orat. de falſa legat.

Non eſt, non eſt Athenienſes omnium

rerum

rerum quicquam intolerabilius contumelia, neq; propter quam potius iraſci conſentaneum ſit. Ex orat.contra Midiam.

Trierarcus qui pro Rep dimicat', ſperare non debet ſe diuitem factum iri de publico, ſed de ſuis facultatibus Reip. opem laturũ. Ex orat.de Coro. præfect.naualis.

De Deliberatione. 16

DEliberandum eſt quidẽ lentè, quod autem decretum fuerit, maturè, ac celeriter faciendum. Ex 10.procem.

Non qui celeriter, & extemplo conſilium dant, quæ in rem ſunt maximè conſulunt. Ex orat 1.in Philip.

Ego cenſeo eum oportere, qui de rebus ad ciuitatem pertinentibus dare conſiliũ inſtituit, potius vt conſideret quæ decreta fuerunt vtilia fore, quàm vt extemporales orationes gratiam habeant. Ex decimo procem.

Oportet eos, qui magnis de rebus conſultant, nullam vllæ de cauſa cogitationem prætermittere. Ex orat. de ordinatione ciuitatis.

Cùm res malè ſe habent, de quibus oportet deliberare, difficiles eſſe neceſſe eſt, de eis conſultationes. Ex 47.Procem.

Non arbitror eius, qui vobis conſilium det, eſſe munus vllum, præterquam dicere, quæ maximè ſunt ex vſu. Ex orat. de rebus Cherroneſicis.

Facere ipſo dicere, decernere, & poſterius ordine ſit, poteſtate prius & præſtantius eſt. Olint.3.

Neq;

Neque coquo cultri vllus eſt vſus profectò qui non ſecat, neq; volenti per eum negocia,& mala omnibus ſuboriri,vendi-turus hæc calumniator, nulla in re commodus eſt. Ex orat. 1.contra Ariſtogit.

Rectè deliberandi principium hoc eſt, vt ne deliberetur,priuſquam ea, de quibus decernere oportet, audita fuerint; nã neque tempus,neque ratio eadem confirmandi ea, quæ videntur & quid ante omnia conducere videatur. Ex 19.Proœm.

Qui pro ciuitate aliquid facit,illum oportet ciuitatis mores imitari. Ex oratio. contra Androt.

Par eſt eos æquis animis audire velle, qui conſilium dare volunt. Olint. 1.

Optima ſuadere,quàm difficile eſt. Ex 9.Proœm.

Precari facilè eſt omnia, quæ quis vult in vnum & eundem locum breui tempore collecta, eligere autem cũ de rebus quid conſultandum propoſitum fuerit,non per æquè facilè,ſed oportet optima pro iucundis ſi vtraq; non liceat,accipere. Olint. 3.

Democratiæ cùm multa alia habent, & honeſta & iuſta, quæ hominem prudentẽ ſibi vendicare decet, tum loquendi libertatem veritate fultam, quæ retineri non poteſt quin vera crimina obiectet. Ex orat. Funebri.

Oportet, Athenienſes,eum,qui boni aliquid facere noſtræ ciuitati cupit, primũ veſtras aures ſanare,corruptæ enim ſunt, adeò falſa & multa & quæuis potius, quã

opti-

optima audire conſueuiſtis. Ex orat. de ordinatione ciuitatis.

Tumultuando ſanè, celeriterq; ſtomacando, multis vtilibus conſilijs priuari poteſtis, ſed ſi modeſtè taciteq; audire volueritis, vt omnia præclarè ſe habeant, efficietis; & ſi quis delirare videatur contemnetis. Ex 5.Procem.

Cum deliberarè natura ipſa difficile ſit, ac graue, vos ipſum adhuc multò grauius reddiſtis, Athenienſes: nam reliqui omnes homines ante rem rerumq; euentum deliberatione vti conſueuerunt, at vos poſt res tum demum deliberatis. Ex orat.de Pace.

Non minus impiè fecerunt qui conſilia dederunt, quàm qui manibus ſuis facinus admiſerunt. Ex orat.de fal.legat.

Qui ſemen præbuit, is eſt natorum malorum autor. Ex orat.de Corona.

Rectè deliberata, & ſummo ſtudio laboreq; probata ſæpe quia præfecti aliter vtantur, corrumpuntur. Ex 1.E

Eum, qui alios accuſaturus eſt, omneſque iudicaturus, omni vitio carcere oportet. Ex orat. 1.contra Ariſtog.

Non debet acerbè inquiri, quid alij geſſerint, niſi ipſi ante officium noſtrum fecerimus. Olint.2.

Cauere conabor, ne in ea ipſe incidam, in quibus alios reprehendo. Ex 12.Proœ.

Non eſt æquum, neque conueniens, vt eius, qui offenſus eſt, metus illi, qui omnes ſuæ contumeliæ habenas laxauit, par-

ticulam

ticulam ad ſalutem præbeat,ſed eum, per quem non ſteterit quò minus crudeliſſima quæque perpetrarentur,punire decet. Ex orat.contra Midiam.

Eum probum & incorruptum ſe præſtare debere iudicabant,qui ad Remp. accederet, imò verò illi largitatem vſqueadeò inimicã & inutilem eſſe ciuitati exiſtimabant,vt in nulla actione,neq; homini fieri timebant. Ex orat.de fal legat.

Si dederitis vos in hanc conſuetudinẽ, vt oratoribus, & autoritatem habentibus potius credatis, quàm impotentioribus, ea conſuetudo in vos ipſos redundabit. Ex orat.contra Calip.

Si noſtis, Atheniẽſes, quid optimum ſit factu de rebus præſentibus, peccatum eſt eas ad deliberandũ proponere: quæ enim ipſi,antequam ſententias adiueritis, vtilia eſſe iudicatis,quid opus eſt iſtis audiendis fruſtra cruciari? Ex 11. Procem.

Accuſare profectò ad eos,qui res geſtas arguunt & damnant, pertinet; ſed conſilij dandi ratio de rebus præſentibus & futuris propoſitum eſt. Ex 12.Procem.

Oportet cùm ſummæ vtilitatis, tũ gloriæ veſtræ cauſam dare operam vt ſimul, & quæ vtilia,quæque iuſta ſunt,deliberare videamini. Ex 50.Procm.

De Oratore. 17

EQuidem video oratorum facultatẽ, & vim maximam ex parte in auditorum eſſe poteſtate. Ex orat.de Corona.

Oratoris oratio non eſt magni precij,ne

que vocis intenſio, ſed in idem cum populo conſentire, & eoſdem odiſſe, ac amare, quos patria. Ex orat. de Corona.

Aliæ facultates abunde ſatis per me ſufficiant, ſed vis illa dicendi ſi à vobis auditoribus reclametur, mutila eſt, & manca. Ex orat. de falſa legat.

Vt vos approbaueritis, ac erga vnumquemq; beneuolo animo fueritis, ita orator ſapere videbitur. Ex orat. de Corona.

Non vnus, neq; duo iſta norunt, neque ſub ala (vt aiunt) prouocatio facta eſt, ſed in medio foro multis præſentibus. Ex ora. contra Aphobum falſi teſtimonij.

Aggreſſi negocia, quæ declarare verbis pro dignitate nemo poſſit, ipſi quidem eloquentiæ laudem reportant, ſed efficiũt, vt de illorũ virtute concepta apud auditores opinio munus appareat. Ex 80 procem.

Nunquam oratores vos, neque improbos, neque probos efficient, ſed vos iſtos quales volueritis. Ex orat. de ordin. ciuit.

Nihil eſt grauius, Athenienſes, quàm q̃ ijſdem moribus, quos culpant oratores, vtuntur. Ex 37. Procem.

Equidem aquam bibens, non ab re difficilis, & moroſus homo ſum. Ex oratio. 2. contra Philip.

Quodnam maius crimen dicere quis poſſet in virum oratorem, quàm ſi non eadem ſentit, ac loquitur? Ex orat. de Coro.

Nõ eſt quicquã indignius ac moleſtius quantũ vir autoritatem habens, & facultate dicendi præditus, teſtibuſq; abundans, audet

audet mentiri: tum enim neceſſe eſt reum non iam de re tantùm dicere, verumetiam de ipſo dicente, quòd ei propter autoritatem credere non par ſit. Ex orat. contra Calippum.

Videte, Athenienſes, ne diuerſum diſtinctumq; ſit, orationẽ habere commodam, ſuſcipere negocia vtilia, illudque oratoris munus, hac hominis mente præditi. vos itaque plebei, & potiſſimùm natu maximi, dicendi facultate ſummis oratoribus pares eſſe non debetis (iſtud enim eorum, qui ſunt exercitati, negocium eſt) ſed prudentia ijs vel ſimiles eſſe, vel potius vincere, experientia enim multarum rerum & vſus eam ingenerant. Ex 27. Procœm.

Cùm admodũ ſuperbè ſurrexiſſet Philocrates, nihil eſt, inquit, mirum Athenienſes, non eadem mihi & Demoſtheni videri. hic enim aquam, ego verò vinum bibo. Ex orat. de fal. Legat.

Illa die profectò de adulterijs & proteruitate orationes aduerſo (quod aiunt) flumine fluxerunt. Ex orat. de fal. Legat.

Qui infelicium miſerorúmve caſus, & mala norunt; videntes (quod prouerbio fertur) non vident, & audientes non audiunt: illi porrò ſic ſe gerunt, in ijs quæ faciunt, vt conſtet eos ſua tegere incommoda, & infamiam metuere. Ex orat. 1. contra Ariſtog.

Minime hercle cenſeo oportere, vt ſuperbi homines, & eloquentiæ opinione elati res alienas appetant, aut dicendi, prómptitudine

ptitudine freti, eripiant: hæc enim improbi ſunt ſophiſtæ & flagris digni. Ex orat. contra Aphobum de falſo teſtimonio.

Cùm ſanè videritis eloquentiam, aut vocis claritatem, aut aliquam aliam eiuſmodi virtutem in viro bono & munifico vigere, congratulari, & vnà excolere vos omnes oportet: commune enim vobis omnibus alijs id bonum eſt, ſed cum in ſordido & improbo quouis quæſtu victo, eum eijcere acerbeq; & hoſtiliter audire oportet. Ex orat. de falſa legat.

Quò promptius ipſa oratione vti videmur, eò magis illi diffidũt omnes. Olint. 3.

Ipſa orationem elegantia, & lepos auditorum beneuolentia indiget, qua cum ſi etiam mediocriter dixerit, gloriam reportabit, necnon gratiam ſibi conciliauit: citra hanc etiam ſi bene dicendo excellat, ab auditoribus tamen negligetur. Ex orat. Funebri.

Omnis oratio, ſi res, ac facta abſint, vanum quidpiam & inane videtur. Olint. 3.

Omnis oratio vana eſt & infrugifera, quæ actionum expers fuerit. Ex orat. ad Epiſt. Philip.

Nonnullos animaduerti reorum, qui cum rebus ipſis damnarentur, nec poſſent probare ſe culpa vacare, alij ad anteactæ vitæ moderationem, & temperantiam confugiebant, alij ad maiorum ſuorum præclara facinora & liturgias, alij ad cętera eiuſmodi, per quę iudices ad miſericordiã, & humanitatem flectabant. Ex oratione

1. contra Ariſtogit.

Si gratiam concionari oportet, quæcunque oratione prætermiſerit aliquis, vt ne moleſtus ſit, eadem de rebus ipſis prętermittētur: ſi verò orationis venuſtas & gratia rebus conſentanea non fuerit, damnũ affert. Ex ora. 1. contra Philip.

Id vnum reliquum eſt ijs qui cauſam tutari non poſſunt; vt effugia & prætextus quoſdam inueniant, qui ablata præſentis cauſæ memoria, in ijs vos retineant, quæ ad hoc ipſum crimē nihil ſpectant. Ex ora. contra Theocr.

De Imperatoribus. 18

Quotidianis rebus præeſſe, & ex tempore ſubitis caſibus rectè vti, & quã que occaſionem noſſe ac iudicare, quas res ex familiari colloquio conciliare poſſibile ſit, quas porrò vi extorquere licet, imperatorum rebus perfectorum eſt officium. Ex 1. Epiſtol.

Si quis reuera pace ipſa gaudet, ipſis ducibus, quos omnes accuſant, gratiam habeat. Ex ora. de falſa legat.

Amicos, & familiares, & militum duces inuenietis gloria valere ob res fortiter geſtas, anxiè tamen, & meticulosè magis quàm qui obſcuri & inglorij ſunt, vitam degere, his enim militibus, ab hoſtibus ſuis ſolùm imminet periculum, illi verò duces ſuos adulatores & fraudatores magis quàm prælia formidant. Ex ora. ad Epiſtolas Philip.

De Tyranno, & Tyrannide. 19

REx, & Tyrannus omnis inimicus eſt libertati, & legibus contrarius. Ex 2. orat. in Philip.

Non ſunt tutæ ciuitatibus iſtę tyrannorum nimiæ familiaritates. Ex 2. oratio. in Philipp.

Prorſus res eſt infida, & formidabilis ciuitatibus tyrannis, præſertim ſi finitima loca poſſideant. Olynth. 2.

Populus. 20

POpulus ſanè turba eſt, & res omnium inſtabiliſſima, ac imprudentiſſima, vt in mari fluctus flexibilis, & inquietus, qui vt contingit agitatur, alius venit, alius receſſit, ac nemo reipu. curam gerit, imò ne meminit quidem. Ex ora. de falſa legat.

Ne oſtendite vtilius eſſe externas amicitias ſibi conciliare quàm populi fidei ſeipſum committere. Ex 2. Epiſtola.

Pecuniæ comparandæ nunquàm populus ſtudioſè operam dedit, ſed ita gloriæ vt nihil aliud magis expeteret. Ex ora. contra Androt.

Non eſt quod præ cæteris magis cauere oporteat, quàm ne aliquis permittatur vt in populo maior potentiorq; fiat. Ex orat. de falſa legat.

De Patria. 21

ARbitratur ingenuorum quiſque, nõ patri & matri ſolùm ſe eſſe natum, verumetiã patriæ. Quid verò intereſt, quòd qui parentibus ſe ſolùm eſſe natum exiſtimat, fatalem, naturalemq; mortem expectat:

ſtat: qui verò etiam patriæ, ne hanc ſeruientem videat, mortem oppetere non dubitabit, magiſq; metuendam eſſe reputabit ignominiam. & infamiam, quas in ſeruiente ciuitate ferre neceſſe eſt. Ex oratio. de Corona.

Non ſolùm ad patrem, & maiores ſuos viritim genus, ortumq; ſuum referre vnicuique licet, ſed ad totam communiter patriam, cuius omnium conſenſu indigenæ ſunt. Ex orat. funebri.

Quis adeò eſt infelix, qui ſeipſum, parentes, ſepulchra, patriam parui quæſtus gratia prodere velit? Ex ora. de Claſſibus.

Cui vtilia ſunt eadem tempora, quæ & ciuitatis hoſtibus, is amator patriæ nullo modo eſſe poteſt. Ex orat. de Corona.

Fieri non poteſt vt leges & iuſiurādum ijs curæ ſint, qui in perniciem eorum, quę patriæ proſunt, ſeipſos vendiderunt, ſed ipſis nominibus ſolis contenti ſeducunt eos, qui velut perfunctoriè & frigidè ibi, ac non ſedulò & accuratè concionibus interſunt, neq; exiſtimant hoc præſens ociū aliquando futurum cauſam magni & horrendi tumultus. Ex oratione de fœdere Alexand.

Eos, qui patrię conſulunt, Athenienſes, quærere oportet, non eum, cuius deſperationis ſunt ſocij. ſed eum potius, cuius & mentis prudentiam, & diligentiam ſectantur. Ex ora. 2. contra Ariſt.

De fortitudine. 22

NOn eſt difficile neque cum delibera-

re

re opus fuerit,fortitudinis opinionem con ſequi, neque cum aliquod inſtiterit periculum,vehementem in dicendo videri:ſed illud & difficile eſt & conueniens, in periculis fortitudinem oſtendere. Ex ora.de ordinatione ciuit.

Nunquã fieri poteſt,opinor,vt qui paucis & vilibus rebus occupantur, magnos, & audaces animos capiant; quemadmodum neque qui circa res pręclaras,& ſplẽdidas verſantur,parua,& tenuuia cogitẽt. Ex orat. de ordinatione ciuitatis.

Nũquam,opinor,fieri poteſt, vt magnũ ac generoſum ſenſum induat, qui circa parua & abiecta verſatur. Olynt. 3.

Qualiacunq; hominum ſtudia fuerint, tales vos etiam habere animos neceſſe eſt. Ex oratione de ordinatione ciuitatis. & Olynt. 2.

De diligentia. 23

PRæclarum quidem eſt,etiam per fortunam inter illuſtriſſimos admirationis eſſe: ſed multò præſtantius eſt, induſtria ſua quicquid glorioſum, ac illuſtre ſit,adeptum eſſe. illa enim ſceleratis etiã interdum ſeſe obijcit,huius autem ſocietas & communicatio nemini adeſt,niſi qui generoſo animo,atque forti excellat. Ex orat. amatoria.

Par eſt quibus in rebus quiſque ſe exercet,ac in quæ incumbit, in ijs vt plus valeat.Ex orat.2.in Philip.

Recta prudensque rerum gerendarum in adoleſcente inquiſitio, & animi boni, & vegetę

vegetæ mentis commune ſignum eſt. Ex orat. amatoria.

Quantò naturam habes præclariorem, tantò maiores dignitates expectes, citiuſque tui periculum facere velis, cenſeo. Ex orat. amatoria.

Haud par eſt, vt cum quis nihil agat vel amicis quidem mandet, ſua cauſa aliquid vt faciant, ne dum dijs immortalibus. Olynt. 2.

Quantò fortuna ceſſat, & hoſtes iuuat, reliquarum rerum ſatagite: ſin minus prouidete, ne vos vna & magiſtratus ſingulos accuſetis, & res veſtræ, Athenienſes, peſſum eant. nam fieri nequit vt hæ abſque magno quodam malo conſiſtant, nemine eas conſeruante. ex 3. Proœm.

Non mirandum eſt, illum ipſum qui militat, laborem non detractat, & rebus gerẽdis omnibus adeſt, neq; vllam occaſionẽ, neque temporis momentum rei bene gerendæ prætermittit, vobis cunctantibus, decernentibus, & ſententias rogantibus, ſuperiorem eſſe. Olynt. 2.

Nihil eſt cautis hominibus, & circunſpectis adeo formidabile, quin diligentia præcaueri poſſit: neq; vllum malum eſt quin incautis & pigris euenire queat. Ex 25. Proœm.

Si quis exiſtimat Alexandrum eo fortunatum, quia ad eum, quem optabat, exitũ perducebat omnia, illud cogitet, quod agẽdo, & laborando, & audendo, non deſidendo, felix, fortunatuſq; ſit. Ex 1. Epiſt.

De

De Ignauia. 24

Rerum occaſiones tarditatem noſtrã, & ignauiam non expectant. Ex orat. 1. contra Philipp.

Si quod quiſq; vult quærens deſidebit, & vt ipſe nihil faciat ſecum reuoluens, primùm ſane nullos vnquam inueniet, qui facturi ſint. Ex orat. 1. contra Philip.

Cùm non pauca Reip. ſint errata, neq; ex paruo tempore collecta, quibus hæc Reip. negocia malè ſe habent, nihil eſt omnium, Athenienſes, in præſentia nocẽtius, quàm ꝙ vos animis alienati eſtis à rebus, & tantiſper operam datis, dum audientes ſedetis, ſi quid noui nunciatum fuerit. Ex orat. 2. contra Philip.

Turpe quidẽ eſt, proh ſupremè Iupiter, omneſq; cœlites, & indignum vobis, & ciuitatis amplitudinè, & rebus geſtis maiorũ, veſtræ ignauiæ cauſa reliquos omnes Græcos in ſeruitutem proijcere. Ex orat. de rebus Cherroneſicis.

Quòd multa bello perdidimus, ignauię noſtræ iure adſcribi.

Eodem modo, quò qui tempeſtatem expectant, mihi videntur contemplari, tum ſinguli precantur ne ad ſe perueniat, prohibere verò nemo conatur. Ex oratione 3. contra Philip.

Quò magis ſecuro erunt animo, eo citius peccabunt. Ex 49 Procem.

Quoniam vos neq; paruum, neq; magnum quicquam eorum, quæ oportebat, feciſtis, res noſtræ malè ſe habent: ꝙ ſi oỹm

nia, quæ decebat feciſſetis rebus ita affe-
ctis, ne ſpes quidem erat ipſas meliores fo
re: nunc autem ignauiam veſtram & negli
gentiam vicit Philippus, ciuitatem verò
non vicit, neque vos eſtis victi, imò ne mo
ti quidem. Ex orat. 3. contra Philip.

Quænam eſt cauſa cur ille plures res quàm nos ſuperiori bello ex animi ſententia geſſit? hic ipſe militat, labores perfert, periculis adeſt, neque occaſionem rei bene gerendæ prætermittens, neque vllam anni partem omittens: nos verò (dicetur verum) nihil facientes, hic perpetuò ſedemus cunctabundi, tum decernentes, tum interrogãtes, ſi quid noui in foro dicatur. Ex orat. ad Philip. epiſt.

Sæpe contingit vt multarum magnarumq; rerum occaſio breui tempore ſuboriatur: quàm ſi quis ſua voluntate hoſtibus condonarit & prodiderit, ne quicquã facere poterit, vt eam poſtea recuperet. Ex orat. de falſa legat.

Turpe eſt, vel potius turpiſſimum, non ſolùm vrbes, & loca, quorum aliquando fuimus domini, proijcere videri, verumetiam comparatos à fortuna ſocios, & occaſionem. Olint. 2.

Fortuna volubiles habet mutationes, & in vtranq; partem, vel ſecundas ad res vel aduerſa; quæ verò per ignauiam hominũ fiũt, ea certas clades afferũt. Ex 49. Proœ.

Veritas. 25

VEritas potens eſt, & contrarium infirmum. Ex orat. de falſa legat.

De

De Taciturnitate. 26

QVi nullius culpæ ſibi conſcius eſt, ſi taceat ſilentio ipſo prauorum, & ne fandorum particeps eſſe videtur. Ex orat. de falſa legat.

Nemo vnquam conuictus eſt, qui vel ſileret, vel qui peccaſſe fateretur, ſed cum, opinor, nihil veri eloqui deprehenditur, tum qua mente, quoq; animo prçditus ſit, cognoſcitur. Ex orat. de falſa legat.

De Ira & iraſcentium natura 27

NEque priuatæ iracundiæ ſeruiendo, publicum commodum oportere lædere puto, neque priuati odij cum Reipu. commodis quicquam admiſceo, verum ad quæ alios adhortor, ea ipſe arbitror decere me primùm facere. Ex 1. epiſt.

Non eadem res eſt, Athenienſes, in veſtrum conſpectum aſpicientem falſum teſtari, & apud arbitrum. apud vos enim ingens iracundia, & ſupplicium teſtantibus falſum imminet, ſed apud arbitrum tutò & ſine infamia quicquid voluerint teſtantur. Ex oratione contra Aphobum de falſo teſtimonio.

Quæ aliquis de repentè nulla ratione inita, facere coactus fuerit, & ſi contumelioſè iſtud fecerit, per iracundiam tamen dicere licet ſe feciſſe: quæ verò diu, multumq; antea excogitauit, continenter per multos dies aduerſus leges facere deprehenditur, non ſolùm abeſt ab eo vt ira motus fecerit, ſed etiam conſtat iam eiuſmodi hominem dedita opera iniuriam feciſ-

ſe. Ex orat. contra Midiam.

Iraſcentium eſt, eũ, à quo moleſtijs affecti ſunt, ſubito vlciſci, offenſorũ, vt quocunq; tempore ſontem & iniurium nacti fuerint, tum de eo pœnas ſumere. Ex orat. contra Timocrat.

De Odio. 28

SI quis aliquid accepit, riſui eſt: ſi fateatur venia: cõuictis, odium, ſi quis iſtos increpet. Ex orat. 3 contra Philip.

Neq; ſecurius eſt in multorum etiam in paruis delinquentium, odium incurrere, quàm paucorum, & in multis, neq; verò popularius multitudinis delicta quàm paucorum obſeruare. Ex oratione contra Androt.

De Hoſte. 29

QVi calumniatorem tutetur, bonorum hoſtis eſt natura, & genere: niſi quis ſycophantæ, & improbi ſemen, & radicem velut agricola putat oportere relinquendam eſſe in vrbe. Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Qui ea, quibus ego capiar, agit & parat, hic mihi hoſtis eſt, & ſi nondum feriat neque iaculetur. Ex oratione 3. contra Philipp.

Armis hoſtes vincendi ſunt, & in his eſt ſalus Reipublicæ. Ex orat. de ordinatione ciuitatis.

Fieri non poteſt vt extremò hoſtes vincatis, niſi animaduerteritis in domeſticos hoſtes, & inteſtinos illius miniſtros, verùm neceſſe eſt incurrentes in hos vt ſcopulos

ſerius

ſerius occurrere illis. Ex oratione de rebus Cherroneſ.

De Bello. 30

BEllum glorioſum, pace turpi optabilius eſt. Non idem habent periculum res, quas tum cum vultis, egere licet, ſæpe ſententiam, & conſilium mutare, & hę propter quas imminet bellum. Ex 1. epiſt.

Exiſtimo vobis conducere, proſpicere belli principium, vt ſi iuſtum; omnia porrò, quæ conueniunt, apparetis, idq; veſtro iudicio ſubijciatur. Ex orat. de Claſſib.

De Pace. 31

SI pax, quæ alijs bonorum cauſa eſt, tãtarum rerum, & tanti tumultus nobis cauſa fuit, quid, aliud id eſſe dixerit quis, præterquam quòd muneribus acceptis, hi rem natura pręclaram prauè corruperũt? Ex orat. de falſa legat.

Proh, Iupiter, eſtne aliquis rectè ſapiẽs, qui ex verbis potius quam rebus pacem agentem, aut bellum gerentem, ſecum æſtimet? nemo profectò. Ex oratio. 3. contra Philipp.

Simul atq; de Philippo mentio incidit, ſtatim ſurgit aliquis & dicit, pacem tueri quàm ſalutare eſt, magnum exercitium alere quàm difficile & durum. Ex orat. de rebus Cherroneſ.

De Liberis. 32

IGnauis, & ſi maxima perpetrent facinora iſtud tamen corpus ſeruare licet. Ex orat. contra Androt.

Homini libero maxima neceſſitas eſt,

rerum turpitudo atq; dedecus. Ex orat. de rebus Cherroneſicis,& Philip.4.

De Seruis. 33

Seruis corpus flagitijs plagiſque omnibus obnoxium eſt. Ex orat.contra Androt.& Midiam.

Alteri ſubdito vt ſeruo maxima neceſſitas eſt plagæ,& corporis pulſatio. Ex ora. de rebus Cherroneſicis.

De Muliere. 34

Plurimi facienda eſt mulier in morbis, quæ adſit homini ægrotanti. Ex orat. contra Neæram.

Multò magis profectò ſoliti ſunt vir, & vxor contentiones, & inimicitias inter ſe ſubortas propter liberos mitigare, quàm propter iracundiam communes liberos odio habere. Ex orat.cõtra Boœt. de dote.

Meretrices quidẽ voluptatis gratia habemus, concubinas verò propter quotidianam corporis curationem: vxores porrò, ad legitimos liberos procreandos,& fidelẽ cuſtodiam rei domeſticæ habendam. Ex orat.contra Neæram.

Ne mulieri liceat ingredi in fama publica, cum qua fuerit adulter deprehenſus:ꝙ ſi ingrediatur, impunè ferat, quicquid patitur præter mortem. Ex oratione contra Neæram.

Durum eſt patri, & matri liberis orbari, & cariſſimis ſuæ ſenectutis educatoribus priuari; ſed præclarum eſt ampliſſimos honores,memoria virtutis,& eos publicè comparatos conſpicere ſacrificijſq; & cer-

& certaminibus dignatos immortalibus. Moleſtia plenum, liberos orphanos relictos, patre in prælio fuſo; præclarum verò eſt paternæ virtutis, & gloriæ hæredem eſſe. Ex orat. funebri.

De Fama ſeu Gloria. 35

Soli homines gloriam præclaris rebus geſtis partem omni inuidia fortiorem reliquerunt. Olint. 3.

Non ſolùm ſpectandum eſt an non pecuniam perdatis, ſed etiã an famam & gloriam bonam, cuius magis ſtudioſi eſtis q̃ pecunia. Ex orat. ad Leptinem.

Quantò quis plura, & grauiora ſupra dignitatem conditionemq; ſuam fecit, tanto apud omnes admirabilior exiſtimatur. Olint. 2.

Populus nunquam de pecunia coaceruanda valdè laborauit, de gloria verò acquirenda ſic, vt de nulla re alia argumentum ſanè eſt, quàm cùm aliquando, maximam & innumerabilem inter Græcos pecuniam poſſideret, omnẽ pro honoris augendi ſtudio, inſumpſit: pro gloria quoq; de ſuo tributum pendere non dubitauit, neque vllum periculum vnquam detrectauit, vnde immortalia bona ſibi peperit. Ex orat. contra Timocrat.

Beati, hac iuſta ratione cẽſendi ſunt, primùm quidem qui pro modico tempore incredibilem, & immortalem gloriam relinquunt, in qua & horum liberi clari ac illuſtres depingentur, & parentes iſtorum conſpicui facti in ipſa ſenectute nutrien-

tur luctui ſuo conſolationem iſtorum glo riæ,& celebritati adhibentes. Ex oratione Funebri.

Sin paruis quis glorietur; tantum abeſt vt honorem aliquem propterea conſequatur, vt ineptus eſſe videatur. Ex orat. contra Androt.

Qui vna cum Philippo verſantur, eum ita honoris ſtudio teneri aiunt, vt dum omnia pulcherrima facta ſua videri cupit, magis ſuccenſeat ducibus, & imperatoribus, qui laude aliquid dignũ geſſerunt, quàm ijs qui rem infeliciter adminiſtrarunt. Ex orat. ad Philip. epiſt.

De Pudore. 36

HOmini quidem libero maxima neceſſitas eſt rerum turpitudo, atque dedecus, & maiorem iſta haud ſcio, quàm quis dicere poſſit; ſeruo autem verba & corporis cruciatus. Ex oratione 4. contra Philipp.

Equidem opinor liberis hominibus maximam eſſe neceſſitatem in Rep. gerenda pudorem. Ex orat. 1. contra Philip.

Probra hercle omnia fugienda ſunt. Ex orat ad Leptinem.

Omnia quidem cauenda ſunt, tam quæ videntur, quàm quæ turpia ſunt: potiſſimùm autem ea, propter quæ aliquis videtur alijs ſuccenſere. Ex orat. ad Leptinẽ.

Quæ à paucis reguntur Dynaſtiæ, metum ciuibus ſuis incutiunt, verecundiam autem eis inſerere nequeunt. Ex oratione Funebri.

Impudens. 37

QVa ex re impudens appellatus eſt, niſi quia iſta, quæ neq; ſunt, neq; facta ſunt, propter impudentiam palám dicere nihil pudet? Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Id profectò noſtis, quod ex quo tempore nati ſunt homines, & iudicia fieri cœperint, nemo vnquam qui peccaſſe ſe fateretur, deprehenſus eſt. ſed impudenter loquuntur, inficiantur, mentiuntur, excuſationes fingunt, omnia faciunt ne dent pœnas. Ex orat. de falſa legat.

De Spe. 38

MVlti ſæpe maiorum bonorum ſpe allecti, præſentia perdiderunt. Ex orat. contra Timocr.

De Humanitate. 39

HVmanitas contra inuidiam, & iuſtitia aduerſus improbitatem, bonaq; omnia contra maláve vt in acie collocantur. Ex orat. ad Leptinem.

Miror ſi nemo veſtrum cogitat turpe eſſe, populum Athenienſem ſapiētiæ doctrinęq; opinione cęteros omnes antecellere, ad quem in rebus aduerſis tāquam ad cōmune perfugium confugi ſolet, Philippo inhumaniorem videri, qui vt (in delitijs liberaliter educatū credibile eſt) à nemine admonitus, tū cum proſperis rebus vſus eſſet, tum maximè humana ſe agere oportere putauit, ab ijs, qui contra in acie ſteterāt, & cū quibus de ſumma rerū contendiſſet, qui & cuiates eſſent, neq; inquirere,

neque declarare paſſus eſt. Ex 3.epiſt.

Optarem vos, Athenienſes, qua erga alios omnes vti conſueuiſtis humanitate, eadem ét erga vos ipſos vti. Ex procem.

Miſericordia. 40

NEmo miſericordiam cóſequi dignus eſt, qui nemini miſeretur: neque dignus eſt venia, qui nemini dat veniam. Ex orat. contra Midiam.

Quam quiſque natura legem erga reliquos omnes habet, eandem viciſſim erga ipſum alios habere æquum. Ex oratione 1. contra Ariſtog.

Abſit, iudices, pauperes deſpiciatis (ſufficiens enim ſatiſq; graue eis eſt ſuppliciũ ipſa paupertas) neque eos, qui labore & induſtria ex æquo & bono viuere volunt. Ex orat. 1. contra Ariſtog.

De Amicitia. 41

NVllum maius bonum vobis contingere poteſt, quàm omnium beneuolentiam, nulla adiuncta ſuſpicione, ſumma illorum voluntate conſequi. Ex orat. de libertate Rhod.

Cùm rebus quidem omnibus priuari acerbum & graue ſit, præſertim ſi ab inimico iſtud eueniat, tum verò maximè beneuolentia veſtra, & humanitate quanto à vobis ea conſequi maximum eſt. Ex orat. de Corona.

Nemo amicus, & beneuolus eis eſſe poteſt, à quibus ſibi damnum aliquod impendere ſperat. Ex 50. Próœm.

Prudentium hominum eſſe non exiſtime,

mo, vel cum familiarem & amicum aliquem eſſe putarint, ſic illi fidere, vt etiam ſi iniurius eſſe cœperit, vlciſcendi facultatem ſibiipſis eripiant, vel quando inimicũ aliquem cenſeant, ſic odio proſequi, vt ſi, depoſito odio, velit amicus eſſe, impediãt, ne iſta facere liceat, ſed eos, meo quidem iudicio, & amare, & odiſſe oportet, vt earũ occaſionum neutra prætereant. Ex orat. aduerſus Ariſtocrat.

Verorum amicorum officium eſt, his, quibus bene velis, haud in eiuſmodi rebus gratificari à quibus, & illis, & ſibijpſis pendet aliquod damnum: ſed in ijs, quæ vtriſq; cõducere poſſunt, opitulari, quod autem ipſe melius illo prouideas, id pulchrè adminiſtres, neq; præſens obſequiũ totius reliqui temporis cõmodo pluris faciendum. Ex orat. contra Ariſtocrat.

Omnium eſt grauiſſimũ, cùm quis nomine quidem frater nonnullorum vocitetur, ſed re ipſa iſtos habeat inimicos, & multis, grauibuſq; ab ijs affectus iniurijs, in iudicium venire cogatur. Ex oratio. de dote contra Boœt.

De Beneficentia. 42

EQuidem cenſeo eum, qui beneficiũ accepit, oportere omni tempore meminiſſe: eum autem qui dedit, continuò obliuiſci ſiquidẽ illum oportet boni, hunc verò puſilli, & liberalis hominis officium facere, nam beneficia ſua commemorare, ac referre, exprobationi ferè ſimile eſt. Ex orat. de Corona.

Omnes profectò mutuam gratiam recipere digni ſunt, qui in bene merendo de vobis priores partes occnpant, præſertim verò qui in extrema neceſſitate id faciunt. Ex oratione.

Quæ eſt lex tantæ iniuſtitiæ,& inhumanitatis plena, vt eum, qui de ſuo nonnihil donauit & rem perhumanam,liberalemq́; fecit,gratia priuet & in calumniatorũ manus conijciat, eoſq́; iudicijs rationum reddendarum eorũ,quæ dedit,præficiat?nulla eſt profectò. Ex orat.de Corona.

Qui indignum aliquẽ honore afficiũt, ſimplicitatis, ac ſtultitiæ opinionem aliquam habent; qui verò de ſe benemeritis paria non referunt, malitiæ ſuſpicionem incurrunt. Ex orat.ad Leptinem.

Plures quàm par eſt honorare,eſt multos ad bene merendum prouocare. Ex orat.ad Leptinem.

Apud omnes homines inualuit conſuetudo propter multos benemeritos, etiam de alijs quibuſdam ſceleratis potius bene mereri,quàm propter perditos, & flagitioſos auferre quæ data fuerunt ijs, qui ſine controuerſia digni ſunt beneficio. Ex orat.ad Leptinem.

De Diuitijs & Diuitibus. 43

Diuitiæ, & celeritas & robur, & quæcunque alia iſtis ſimilia ampla & copioſo fructui ſunt ſuis poſſeſſoribus, & in ijs ipſis excellunt, quibus interſunt, licet nullus alius velit. Ex orat.Funebri.

Nulla re omnium perinde ac pecuniæ

opus

opus eſt ciuitati ad ingruentia negocia. Ex orat.4.contra Philip.

Pecunijs certè opus eſt, cùm ſine his eorum non licet quicquam fieri, quæ facienda ſunt. Olint.

Cùm in alteram partem velut in trutinam argentum attuleris, idipſum argentũ aufert,& ad ſeſe ratiocinationem omnem detrahit, nec amplius qui hoc fecerit rectè neque ſincerè vlla de re ratiocinari poterit. Ex orat.de Pace.

Vndecunque quis acceſſionem vel paruam fecerit, plurimùm adfert momenti. Olint.2.

Exiſtima te quoque aliquando iuuenẽ, & ea, quæ nos ætate nunc ſumus fuiſſe, conſilijs autem & rebus à te geſtis, talem & tantum euaſiſſe, quod & nobis accidere poterit. Ex 5.epiſt.

Opulentus,audax,ſuperbus, magniloquus,violentus,impudens. Ex orat.contra Midiam.

Quis eſt, qui malit ſeipſum ſuaq; omnia bona interire, quàm fortunarum ſuarum partem pro ſeipſo & reliquis conferret? Ex orat.de ordin.ciuit.

De Paupertate. 44

MVlta vilia, & ſeruilia negocia liberos homines ac ingenuos, paupertas agere cogit, ob quæ miſericordiam potius, quàm interitum demerentur. Ex appellatione contra Ebulidem.

Abſit,iudices,pauperes deſpiciatis: ſufficiens enim ſatiſq; graue eis eſt ſupplicium, ipſa

ipſa paupertas, neque eos, qui labore, & induſtria ex æquo, & bono viuere volunt. Ex appel. contra Ebulidem.

Ego neq; ſi quis paupertatē vituperat, eam prudentem eſſe duco: neq; ſi quis in rerum copia educatus fuerit, ob id gloriari debet. Ex orat. de Corona.

Rebus neceſſarijs nonnullos priuare, eſt multò homines reddere maleuolos, & à rebus publicis alienos. Ex orat. 4. contra Philipp.

De Rebus ſecundis. 45

Res ſecundæ profligatorū, vim habēt maximam tegendi, & obſcurandi domeſtica vitia: at ſi qua in re offenderint, tū planè eorum facta diſcutientur. Olin. 2.

Nōnulli propter rerū ſucceſſum clari, & illuſtres habiti ſunt. Ex orat. Amator.

Oportet modeſtè ſe gerere in rebus ſecundis, & quid futurum ſit, proſpicere. Ex orat. ad Leptinem.

Secundis rebus præter dignitatem & meritum vti, occaſio eſt incautis deſpiciendi. Olint. 1.

Res ſecunda, ſeu fortuna, vniuerſam, quæ in hominibus ineſt, ſagacitatem, & ſapientiam excellit. Ex orat. de Pace.

Ipſi felices rerum ſucceſſus ad contegenda & occultanda hoīum peccata apti ſunt, ſed ſi quid vſquā aduerſi contingat, tum planè hac omnia detegentur hoībuſque nota fient. Ex orat. ad Philip. epiſt.

Cùm in omnibus humanis rebus duo ſint bona, vnum princeps omniumq; maximum,

ximum, ſecundis rebus vti; alterum hoc quidem minus, cæterorum maximum, rectè deliberare: non ſimul vtriuſque poſſeſſio obtingit hominibus. Ex orat. contra Ariſtocrat.

Iſtis fortaſſe fatale eſt, nunquam ſecundis in rebus rectè ſapere. Ex 53. Procem.

De Fortuna. 46

MAgnum quidem momentum, imò verò potius totum eſt, ipſa fortuna, ad omnium hominum negócia. Ex orat. ad Philip. epiſt.

Fortuna rerum oīum domina exitum ſuo arbitratu tribuit. Ex orat. Funebri.

Magna potentia vel potius ſumma eſt ipſa fortuna in omnibus hominum negocijs. Olint. 1.

Multa fortunę voluntate gubernãtur, multæque ſnnt cauſæ, cur non omnia ex animi ſententia hominibus ſuccedant. Ex 3. Procem.

In alijs quibuſdam rebus ſuperari ab aduerſarijs, non tam dedecus quàm infortunium dici poſſit: nam & in fortuna, & præfectis, & multis aliquid ineſt, cur prius res præclarè vel contra geſta ſit. Ex 53. Procemio.

Si quæcunque quis acceperit, etiam ſeruauerit, magnam habet fortunæ gratiam: ſi verò imprudens prodegerit, interijt vnà quoque memoria beneficij à fortuna accepti. Olint. 1.

Bona quidem voluntas præſtò eſt, quã ſi fortunæ benignitas iuuet, res ipſa con-

ſiɔi

fici poſsit. Ex 5. Epiſtol.

Neque gubernandam nauem, diceret aliquis, quemadmodum nec ego exercitũ ducebam, neq; fortunæ dominus erã, ſed illa rerum omnium. Ex orat de Corona.

Ex mendicis nonnulli celeriter diuites euaſerunt, & ex obſcuris, & ignobilibus clari, & illuſtres. Ex oratione 4. contra Philipp.

Multæ & nutrices & lana victum quæritantes, & vindemiatrices euaſerunt, ob rei publ. illorum temporum calamitates, ciues, ac nobiles mulieres. Ex appellatione contra Eubulidem.

De aduerſa fortuna & calamitate. 47

AEquum eſt miſereri non flagitioſorũ hominum, ſed eorum, qui immeritò aduerſa fortuna, calamitateq; conficiuntur. Ex orat. contra Aphobum.

Si quos ærariorum dimittere oportet modeſtiſſimos, optimos, & ob minima delicta mulctam paſſos, hos inquam libetare oportet. Ex orat. 1. contra Ariſtogit.

Cùm neque iniurius eſt aliquis, neque peccat, ſed in ea, quæ omnibus conducere videntur, ſe tradit, nec omnibus ex animi ſententia egit, haud exprobare, neque conuicium facere eiuſmodi: homini par eſt, ſed condolere. Ex ora. de Corona.

Aequum eſt miſero, & afflicto vtut factum eſt, opem, & auxilium ferre. Ex orat. contra Midiani.

Némó vnquam fortaſſe veſtrum quæſiuit Athenienſes, cur tandem miſeri & infelices

felices rectius quàm fortunati rebus ſuis conſulunt, non autem alia de cauſa iſtud fit, præter quàm quòd iſtis euenit, vt ne quicquam formident, neque ſi quiſpiam pericula & graues caſus recenſeat ad ſe pertinere putant, illos recens adhuc delictorum memoria quando in infortunia inciderunt, modeſtos ad reliqua, & moderatos reddit. Ex 25. procœm.

Nullius rei inſtitutum conſilium, vel magni fit niſi finem etiam vtilem, & honeſtum conſequatur. Ex 35. procœm.

De Deſperatione 48

DEſperatio cùm ei ipſi maximo, & exitiali ſit malo, qui ea affectus eſt, tum acerba, & grauis omnibus & reipub. minimè tollenda. Ex oratione I. contra Ariſtogit.

Deſperatus omnis ſeipſum proijcit, etiã quam conſilio & ratione tenere licet ſalutem, & præter omnium expectationem fit, ſi fortè incolumis ſeruetur. quis igitur ſana mente præditus ſeipſum, aut patriæ commoda iſti commiſerit? quis non pro viribus fugerit, & eum procul ſummouerit, nè quis in talem vel inuitus incidat? Ex ora. contra Ariſtogit.

Neq; vos conſternatis animis eſſe oportet, præſertim cùm ſciatis deſperationem neq; præſentibus rebus conducere, & vobis indignum eſſe. Ex 49. procœm.

De Futuro 49

FVturum omnibus hominibus eſt incertum. Ex ora. ad Leptinem.

Oportet

Oportet eos, qui proſpera optataq; vtū tur fortuna, erga afflictos, & oppreſſos ſemper optima videri conſultare: quandoquidem vniuerſis hominibus incertus eſt, ac dubius rerum euentus. Ex orat. de Rhod. libertate.

Pręterita ſemper apud omnes omittuntur, & nemo vnquàm de ijs deliberationem habendam propoſuit: futura, autem vel pręſentia conſultoris munus & officiū poſtulant. Ex ora. de corona.

Id ipſum, quod præter ſententiam accidit, virum perturbat, ipſiq; magnum dolorem affert. Olynt. 1.

Neceſſariò euenit, cum pugna committitur, vt alij ſuperentur, alij vincāt. Ex ora. funebri.

Ex poſtremò euentu quæ præterierunt omnia, vt plurimum æſtimātur. Olynt. 1.

Sepæ contingit vt idem homo in hoc non rectè dicat, in altero verò rectè ſentiat. Ex 5. procem.

Defunctorum curam habere oportet. 50

QVantum quidem ciuitas de ijs, qui in bello perierunt, ſolicita ſit, cum ex alijs rebus proſpicere licet, tū maximè ex hac lege, per quam qui ad funera hæc publicam orationem habiturus eligi ſolet, ſciens à frugi & probis viris facultatum poſſeſſiones, & voluptatum deliciarumq; vſum nō magnifieri, ſed eorum omne ſtudium in virtute, & laudibus eſſe, orationibus ijs, quæ illis, ea maximè præſtarent, illos ipſos oportere honoribus afficere,

cere,dixit,vt quam,cum adhuc viuerent, præclaram famam & gloriam nacti eſſent, ea quoque defunctis ipſis tribueretur. Ex orat.funebri.

Qui natura liberi ſunt, etiam ſi cùm patribus adhuc viuentibus altercati fuerint, eos tamen vita functos laudibus exornãt: qui verò cenſentur filij cum ex illorum ſatu non ſint,vt facilè cum viuis ipſis diſſentiunt,nihil pudet eos, defunctis ipſis maledicere.Ex ora. de dote contra Bœotum.

Leges defendite, & defunctorum curã habere,ne eorum nomẽ,& familia pereat. Ex ora.contra Nico.

Ecquis omnium non nouit, viuentibus quidem omnibus ſubeſſe quandam aut maiorum,aut minorum inuidiam: mortuos porrò,ne hoſtium quidem vllum prætere a odiſſe? Ex ora.de corona.

Illa eſt ex legibus Solonis, quæ videntur rectè ſe habere, nemini defuncto male dicendum.Ex orat.ad Leptinem.

Solon in legibus,& Deus in oraculo mãdat, vt cognati & affines mortuis inferias certis diebus exhibeant. Ex oratio.contra Macariatum.

Nulla poteſt dici vel verior, vel honeſtior cauſa cur hoſtium dominus propinquis & familiaribus defunctorum amicus eſſe velit, quàm rurſum pro toto dimicare maluerit, quàm virtutis eorum admiratio.Ex orat. funebri.

Diligenter exquirens, atque conſiderãs ſatis dignè pro defunctis verba facere,vnũ eorum,

eorum, quæ fieri nequeunt, eſſe reperi. Ex ora. funebri.

Cum aliorum bonorum nulla ſit defunctis communio, ſed ob res præclarè geſtas laudationes eorum, qui ſic interierũt, ſunt veluti propria merces, neq; enim amplius tunc eis aduerſatur inuidia. Ex orat. de falſa legat.

Parentes honorandos eſſe. 51

PAr eſt parentibus definitum ex vtriſq; præmium, & à natura, & à lege, iuſtè referre, & vltrò ſoluere. Ex orat. 4. contra Philip.

Equidem eũ perfidum, & dijs inuiſum non modò hominibus eſſe exiſtimo, qui parentes negligit. Ex oratione 1. contra Ariſtogit.

Vbi pater eſt, & filij iam viri facti, fortaſſe & eorum liberi, ibi neceſſe eſt varias, & nulla in re ſimiles eſſe voluntates. non enim ijdem ſunt ſermones & facta iuuentutis, quæ ſenectutis: verũtamen adoleſcentes quæcunque agunt, ſi modò ſint modeſti, ſic faciunt, potiſſimum vt clàm habere conentur, ne parentes & ſenes offendant, diſſimulant id ſe videre: & ſenes viciſſim ſi fortè ſumptus iuſto maiores viderint, aut potationem, aut ludos immoderatos, ſic iſta vident, vt non vidiſſe videantur. Ex ora. 1. contra Ariſtogit.

Ab initio ætatis, in omnibus diſciplinis clari & illuſtres fuerunt, ea exercentes, quæ quamq; ætatem decerent; ijsq; omnibus, quibus par erat, gratum facientes paren-

parentibus,amicis,familiaribus. Ex orat. funebri.

Maiorum noſtrorum virtutes imitandas eſſe. 52

TVrpe eſt,Athenienſes, turpe inquam, ordinem magnitudinis animi veſtri deſerere,quem maiores vobis tradiderũt. Ex orat.de ordinatione ciuitatis.

Multa & præclara pedeſtri certamine naualiq; prælio pugnantes trophæa ſtatuerunt,de quibus etiam nũc gloriamur: at qui vos conſiderare oportet, ipſos hæc erexiſſe, non vt nos ipſa ſpectantes ſolùm admiraremur,ſed etiam vt eorum,qui erexerunt,virtutes imitemur. Ex ora.de ordinatione ciuitatis, & in extremo de Rhodio. libertate.

Vobis ſolis, Athenienſes, licet præ cæteris hominibus,domeſticis vti exemplis, & maiores,quos iure laudatis, & re factis imitari, tametſi prælia, neque expeditiones,neque pericula, in quibus clari & illuſtres fuerunt, imminere tempora non ſinunt, ſed vos præſenti viuatis in ocio,eorum verò prudentiam imitemini: ea enim vbique opus eſt.Ex orat.de falſa legat.

Hac potentia opus eſſe cenſeo, nemini imperare neque verbo,neq; facto iniuſto, ſed noſtra facta vt maioribus digna ſint perpendere,nõ orationes,quæ in ſuggeſto habetur. Ex ora.de ordinatione ciuitatis.

Nõ alienis exemplis,ſed domeſticis vſi, quæ facienda ſunt, ſciatis licet. ex ora.de ordinatione ciuitatis.

Cogitare,

Cogitare, turpiſſimum eſſe, patres veſtros multos labores,magnaq; pericula cõtra Lacedæmonios bellum gerentes ſuſtinuiſſe: vos autem ne pro his quidem,quæ iuſtè aſſequuti vobis tradiderũt,velle fortiter vos defendere. Ex oratio.ad Philip. Epiſtol.

Scire vos oportet,quòd in ijs rebus deſidetis, ob quas mortem maiores veſtri perpeſſi ſunt.Ex ora.de falſa. legat.

Reliqui omnes homines aliorum exẽplis vſi,cauti magis ipſi fiunt: vos autem,ne auditis quidem aliorum infortunijs metuere poteſtis.Ex 24.Procem.

Turpiſſimum quidem eſt, maiores veſtros pro legibus tuendis, etiam mortem oppetere non dubitaſſe, vos autem in eas delinquentes, & prorſus euertere conantes,nolle punire.Ex oratione 2. cõtra Ariſtogit.

Nõ puto maiores hęc tribunalia,& porticus vobis ædificaſſe, vt eiuſmodi homines in eis ſaginetis,ſed contra, vt coerceatis & puniatis: ac ne quis æmuletur aut expetat improbitatem. Ex oratione 1.contra Ariſtogit.

De Morte. 53

Mortalibus omnibus vitæ finis eſt mors, etiam ſi quis in domuncula concluſum ſe conſeruet: decet autem viros fortes, & ſtrenuos ſemper omnia, quæ præclara ſunt,aggredi,ſpem bonam velut propugnaculum ſibi proponentes, & fortiter quicquid dederit deus,ferre. Ex orat. de Corona.

Qui in animis omnium mortalium iuſitum atque innatum viuendi deſiderium contemnendum duxerunt, & honeſtè mori maluerunt, quàm viuentes Græciam videre in miſerijs, & calamitatibus verſari, nonne ſingularem, & præſtantiſſimam omni oratione virtutem ſuam reliquerunt? Ex ora. funebri.

Omnibus omnium peccatorum terminus eſt mors. Ex 3. Epiſt.

EX

EX DEMOSTHENIS ORATIONIBVS ET EPISTOLIS SIMILIA.

VT approbaueritis, & erga vnũquenq; beneuolo animo fueritis, ita orator ſapere videbitur. Ex orat.de Corona.

Quemadmodũ domus, opinor, nauigij, & aliorum id genus firmiſſima fundamenta eſſe oportet, ſic etiam negociorũ actionúmue principia & cauſas veras ac iuſtas eſſe decet. Olynt.2.

Per deos, qui veſtrum vſque adeò ſtolidus eſt, qui ignoret illinc bellum huc venturum, ſi negligentius egerimus? at verò id ſi euenerit, vereor, Athenienſes, ne eodem modo, vt qui æs alienum grande conflant, facilè vſuris exiguo tempore ditati, paulò poſt etiam auitis bonis cedũt. Sic nos quoque ſi diutius ſegnes & ignaui eſſe videamur, cunctaq; ad voluptatem quærere, poſtea adducamur in neceſſitatem faciendi multa etiam grauia, quæ nolebamus, & de

de ijs, quæ ſunt in hac regione, periclitemur. Olint.1.

Quemadmodum per hos magnus, & potens euaſit cùm ſinguli cenſebant ipſum vtile quippiam ſibi facturum eſſe: ſic rurſus per ipſos debet deijci, poſtquam omnia vtilitatis ſuæ gratia facere conuictus eſt. Olint.2.

Cum fortaſſe poſſim quemadmodum & alij accuſare, & gratificari populo, & publicare, & reliqua factitare, quæ iſti faciũt, ne in vlla quidem huiuſmodi re vnquam verſatus ſim, neq; eò ſim adductus, neque lucro, neque gloriæ cupiditate & ambitione, verùm ea vſque adhuc dicere perſeuerem, quibus ego multis inferior ſim apud vos, vos autem ſi me audiretis maioris eſſetis, ſic etiam inuidioſum dicere non fuerit. Ex orat. de rebus Cherroneſicis.

Vt in corporibus noſtris etiã ſi pars aliqua malè ſit affecta, tamen, non dolet, donec alioqui rectè valemus: vbi verò acciderit ægrotatio aliqua, ſingulæ partes ſcientur, ſiue ruptura, ſiue luxatio, ſiue earum, quæ vitiatæ ſunt, aliqua fuerit: ſic ſe habet res ciuitatum, & tirannorum donec foris bellum gerant, domeſtica vitia non ſunt multitudini conſpicua: cum verò finitimũ bellum gerendum eſt, priuata omnia flagitia patefiunt. Olint.2.

Equidem optarẽ, quemadmodum ſcio in rem veſtram eſſe, vt optima dicentem audiatis, ſic ſcire me idem optima dicenti eſſe profuturum: multò enim iucun-

dius dicere. nunc verò metuo, ſed tamen vtilia viſum iri credo etiam ſi vos non pareatis, dicere non deſinam. Ex 52. Proœ.

Turpe eſt, Athenienſes, decipere vos ipſos, & omnia prorogando, quæ factu difficilia ſunt, intempeſtiuè agere, hocq́; non poſſe intelligere, quod eos oportet, qui rectè bellum adminiſtrare volunt, nō ſequi res, ſed antecedere rebus; eodemq́; modo, quemadmodum quiſppiam iudicet imperatorem debere copijs præeſſe, ſic etiam rebus bonos conſiliarios præeſſe oportet, vt quæcunque illis viſa fuerint, ea gerantur, & non cogantur quælibet perſequi. Ex orat. 1. contra Philip.

Quemadmodum barbari pugnis decertant, ita vos bellum geritis cum Philippo, etenim qui ex illis vulneratus eſt, ſemper plagam cōtrectat, & ſi quis alibi ictus fuerit, illic manus ſunt. ictum autem depellere, aut contra intueri neque nouit, neque vult: ſic vos ſi audieritis Philippum eſſe in Cherroneſo, illuc mittenda eſſe auxilia decernetis, ſi in Pilis, ſi alibi, vnà curſitatis ſurſum, ac deorſum, & ab illo certè gubernamini: nihil porrò decernitis, quod vobis ipſis in bello gerendo, vtile ſit; neq; de pecunijs quicquam proſpicitis, priuſquā vel factum eſſe aliquid, vel fieri audieritis. Ex orat 1. contra Philip.

Quemadmodum ſcio vobis conducere vt optima audiatis, ſit etiam ſcire vtile fore ei, qui optima dixerit: multò enim iucundius, ac libentius dicerem. Ex oratio

ne

ac 1.contra Philipp.

Non per Iouem, reliquoſq; Deos omnes in odium incurrere volo, verùm hæc commemoro, vt veſtrum quiſque hoc cognoſcat, ac videat, ꝙ quotidiana quies, & incerta, quemadmodum in priuatis viris ſic & in ciuitatibus, nō ex ſingulis eorum quæ negliguntur, ſtatim mouet ſenſum ſui, ſed in ſumma rerum occurrit. Ex orat.4.contra Philipp.

Vt vniuſcuiuſq; noſtrum aliquis eſt parens, ſic totius ciuitatis ciues omnes parentes communes exiſtimare oportet, hiſque decet non ſolùm non ex his, quæ ciuitas donat, quicquam adimere, imò verò ſi nihil horum eſſet, aliundè proſpicere deceret, ne vllius rei indigentes contemnerentur. Ex orat.4.contra Philip.

Vt quemadmodum ille paratum habet exercitium profligandæ, & in ſeruitutem redigendæ vniuerſæ Græciæ, ſic vos ſalutarem & auxiliarem omnibus paratū tanquam in procinctu habeatis: non enim fieri poteſt vt mittendis ſubſidijs vnquam quicquam rectè commodeq; geratur. Ex orat. de rebus Cherroneſ.

Vt ſi quis illorum, qui leges violarunt, antea damnatus eſſet, tu iſta non ſcripſiſſes: ſic tu, ſi nunc pœnas dederis, alius nō ſcriberet. Ex orat. aduerſus Androt.

Quemadmodum exercitium, quem ciuitas habet, diſſoluere ſtudent, ducem & ſtipendium curātem ei criminantes apud vos; ſic eos oſtendere Philippi copias diſ-

ſolutum iri, ſi vobis iſtud perſuaſerint. Ex orat. de rebus Cherron.

Quemadmodum in corporibus noſtris cùm quis certè valet, & robuſtus eſt nihil eorũ ſentit, quæ ſingulatim vitiata ſunt, vbi verò ægrotauerit, omnia mouentur, ſiue ruptura, ſiue luxatio, ſiue aliud quod piam membrum non eſt perfectò ſanum, ſic & in regnis, ac omnibus poteſtatibus, donec ſanè in belli res proſperè gerũt, ob ſcura, & incognita vitia ſunt vulgo; ſin caſus aliquis & damnum præter ſpem acciderit, omnia omnibus fiũt aperta illorum flagitia. Ex orat. ad Philip. epiſt.

Si quã maximè fieri poteſt in rem eſſet locutus, quemadmodum tum dixit, vos autem per ſegnitiem, & ignauiam neglexiſſetis, neq; paruiſſetis, an geſtum eſſet eorũ, quæ tum ciuitati euenire, fieri nõ poteſt; ſic igitur in ijs quæ ego nunc loquor; & quiuis alius dixerit facta à vobis ipſis quæ rite. Ex orat. de rebus Cherro.

Videant vt quemadmodum ad interrogandum prompti ſunt, ſic etiam alacres & promptos ad agendum ſe præſtent. Ex orat. de rebus Cherron.

Vt ſi quis grauia ſupplicia ſceleribus conſtituat, ipſe quidem minimè iniuriam facere paratus eſſe videtur, ſic ſi quis honores & præmia benemeritorum tollat, ipſe nihil boni facere paratus videbitur. Ex orat. ad Leptinem.

Vt iſtorum quiſq; ſuis & huius commodi ſtudent, ita vos vobis ipſis & legibus, mi

hiq; ipſi ad vos confugienti, ſtudete, & hāc ſententiam, in qua nunc eſtis, ſeruate. Ex orat. contra Midiam.

Si profectò vt modeſtis pœnas ſumere ſufficeret, ita leges ſanxiſſet impunitate, & licentia fore multos improbos cenſebat: ſin autem vt ſecuris, & dicendi peritis, futurum vt priuati homines non poſſent eodem modo, quo illi, pœnam ſumere. Ex orat. aduerſus Androt.

Quemadmodum reliqui iuris ciuitatis æqua pars ineſt cuique, ſic quoque legis æquam partem ſingulis tribuendam eſſe putauit, qui eam tulit, & propterea ſcripſit, non licere legem ferre de viro, niſi eadem ad omnes Athenienſes pertineat. Ex orat. contra Ariſtoc.

Non hoc ſolùm ciuitatis noſtrę donum contemptum, & vile euaſit, ſed etiam reliqua omnia propter ſceleratorum, & dijs infeſtorum oratorum, qui talia celeriter & conſultò ſcribunt improbitatem, quorum vita turpiter quæſtuoſa in tam immenſum excreuit, vt honores, & munera veſtratia, quemadmodum qui paruarum rerum & admodum vilium auctionem faciunt, ſic vili pretio ementes vendunt, & multis ob eum ipſum quæſtum ſtatuentes quicquid voluerint. Ex oratione contra Ariſtocrat.

Quemadmodum cùm in magiſtratu ſunt, priuatos homines exiſtimant oportere ſibi morem gerere, ita poſteaquàm ipſi rurſus priuati facti ſunt, legibus Reipubl.

 mode-

moderatricibus iure obtemperent. Ex orat.2.contra Ariſtog.

Admonere iſtum, inſania eſt: qui enim tumultibus, quibus populus vniuerſus ſibi moleſtos admonet, nunquam ceſſit, neque commotus eſt, vnius ſcilicet alicuius oratione commouebitur? immedicabile, Athenienſes, malum eſt, huius improbitas: itaq; quemadmodum medici cùm tumorem malignum, prædurum quidem, aut vlcus vicina omnia membra depaſcens, aut aliquod immedicabile malum viderunt, vrunt, aut omnino excindunt, ita vos omnes oportet beluam hanc exterminare, & ex vrbe eijcere, nec expectare dum vobis damnum aliquod attulerit, quod abſit vt in Reip. perniciem ſit, ſed præcauendum eſt. Ex orat.1.contra Ariſtog.

Exiſtimo per Iouem olimpium, iudices, non fortuitò petulantiam & inſolentiam iſtam ſubortã eſſe Androtioni, ſed à Deo immiſſam eſſe, vt quemadmódum qui victoriæ donaria circunciderunt, ipſi mortem ſibi conſciuerunt, ſic & iſti iudicio cõ tendentes perierunt, aut pecuniam duplã iuxta leges perſoluerent, aut capitis pœnas luerent. Ex orat. contra Timocrat.

Vt alius ciuitatis æquam partem vnicuique dari vult, ſic etiam legum iſtarum bonæ partis eſſe vnumquenque cupit. Ex orat contra Timocrat.

Quemadmodũ enim Calcis in Eubœo loco ad Bœotiam ſitus eſt, ſic in Cherroneſo ad Thraciam ſita eſt Cardianorum ciuitas.

nitas. Ex orat.contra Ariſtocr.

Quemadmodum iſti ſibiipſis ſuccurrũt aduerſus vos, ſic & vos oportet vobis ipſis opitulari. Ex orat.contra Timocr.

Ego enim quemadmodum & iuſtũ tot tantaq́; retinere conuici, ſic & illorum vtrunque non pauciora iſtis habere oſtendam. Ex orat.contra Aphobum. 1.

Vos Atheniẽſes naturæ bonitate, quod dixi, alijs erga alios humanitate, & clemẽtia vtentes, quemadmodum cõſanguinei, qui in eadem domo habitent, ſic vos eandem vrbem publicè incolitis. Ex oratione 1.contra Ariſtog.

Vt quemadmodum vobis ego teſtimonijs multis, & argumentis oſtendi matrem meam talentum pro dote attuliſſe, iſtud verò me de paternis bonis non accepiſſe, vobis autẽ domum in id conſtructã exemptam eſſe; ſic & iſtum iubete vobis indicare, aut vera non eſſe quæ dico, aut me non debere dotem recipere. Ex orat. contra Bœotum de dote.

Si ſemel permiſeritis Remp. capeſſentibus vt iniquè, & contra leges agant, & præfinitum ius deſpiciant, neceſſe erit vos omnes illorum improbitatis incommodũ capere, qui hanc vrbem incolimus: quemadmodum enim ex erratis, quæ in nauibus inter nauigandum contingunt, ſi quis præſertim nautarum peccet, leue & paruũ adfert damnũ: verum ſi gubernator aberret aut delinquat, omnibus ſimul nauigantibus commune infortunium, ac periculũ

ſtruit, ita priuatorum hominũ delicta non in plebis, ſed in ipſorum incommodum referuntur, magiſtratum autem & Rempu. adminiſtrantiũ peccata in vos omnes ſparguntur. Ex orat. 2. contra Ariſtog.

Quemadmodum, iudices, maximè vos ipſi nolletis malè audire à veſtris liberis; ſic nec iſtum, patri conuitium facere ſinatis. Etenim graue eſſet, ſi ipſi cum ijs, qui paucorum dominatu multos ciues in dicta cauſa iudicatos interemerunt, reconciliati, ſtetis pactis & conuentis, quemadmodum probos, & bonos decet: iſtum, qui cũ patre viuente negocium iudiciale tranſegit, & multis rebus per iniuriam potẽtior euaſit, nunc memoriam diſcordiarum renouare permittatis, eiq́; maledicere. Ex orat. contra Bœotum.

Quemadmodum publicè ijs omnibus opitulati eſtis, qui in fodinis iugiter laborant, ſic & priuatim nunc mihi auxilio ſitis. etenim ſi ſeruus veſter, nõ ciuis eſſem, viſa, ac cognita induſtria mea & erga vos beneuolentia, leuaſſetis me ſumptibus, & in aliquem alium fugitiuum irruiſſetis. Ex orat. contra Phœnip.

Peto à vobis, iudices, quoniam omnia, quæ iuſta ſunt, declaraui, fidemq́ue vobis pręſtiti, quemadmodum vnuſquiſq; eum, à quo iniuria afficeretur, odio haberet: ſic pro me aduerſus Canonem iſtum iram euomatis, nec talium quicquam proprium exiſtimetis, quod etiam alteri fortè contingere poteſt, ſed cuicunque tandem eue-
nerit

nerit opem ferre, & quæ iuſta ſunt tribuite. Ex orat contra Canonem.

Deinde ſubdelè agit, dicitq́; oportere, quam de nobis dono allatam habetis opinionem negligere, vt cùm arbitramini pecunias alicui ſupereſſe, rationem ſubduci tis: quòd ſi vera ſit ſubductio, nihilq́; ſuperſit, acquieſcitis: ſic nunc quoque & orationi ijs eſt aſſentiendum, quæ rationem præ ſe ferunt. Ex orat. de Corona.

Cum hortarentur per me priuatim omnes, neq; conuenirent vt ad ſupplicium ſumendum de ijs, quæ ab eo paſſi ſumus, cõuerteremur, & vt eum omnium mortaliũ ignauiſſimum inceſſerent, ſi tanta mihi cũ his ſit familiaritas, non exigerem ſupplicium pro ſorore, & affinibus, & neptibus, & vxore mea, quæ neq; apertè in Deos impia fuit, neq; in ciuitatem contumelioſa, legeſq́; veſtras contempſit, ea ad vos adducta eiuſq́; ſceleribus declaratis & cognitis, eam veſtro iudicio ſubijcerẽ, vt quicquid velletis, de ea ſtatueretis, & quemadmodũ Stephanus iſte contra leges & pſephiſmata me meis familiaribus, & neceſſarijs priuauit, ſic & ego ingreſſus apud vos oſtenderem iſtum peregrinã vxorem contra legem duxiſſe, alienigenos pueros adducere tunc ad tribules tunc ad populares, alienas porrò deſpondere filias pro ſuis, & deorum religionem polluiſſe populi autoritatem irritam, & nullam facere, ſi quem velit ciuem creare. Ex orat. contra Neæſã.

Quemadmodum qui emit, eum vicit, qui pecuniám acceperit, ſi eum emerit, ſic qui non accepit pecuniam, neque corruptus eſt; vicit eum, qui emit. Ex oratione de Corona.

Conſtitui nobilitatis rerumque maximarum repetita memoria, ita demum orationem coniungere cum egregijs illorum facinoribus, vt quemadmodũ natura fuerunt cognati, ſic etiam communibus eos laudibus exornem, Exiſtimans hæc & illis eſſe gratiſſima, ac potius vtriſque placitura, ſi mutua virtute, nedum natura, verum & laudibus communicent. Ex oratione Funebri.

Ingentem fortaſſe exceſſum memorare videbimur, dicendum tamen: quemadmodum enim ſi quis ex hoc cõſiſtenti mũdo lumen tollat laborioſa, & difficilis reliqua omnis vita futura eſt; ſic, his viris ſublatis, in tenebras, magnamq́; turpitudinẽ omnis, qua antea fulſerunt Græci, claritudo incidit. Ex orat. Funebri.

Senſi perfecto ſtatim ab initio, omnem hominem, qui Reipublicæ curam gerit, decere, modò bonus ciuis ſit, quemadmodum liberi erga parentes, ſic erga omnes ciues ſe habere, beneuolos tamen ferat, qualeſcunque fuerint, nam in eiuſmodi rebus, à ſapientibus præclara, & illuſtris victoria exiſtimatur. Ex 3. epiſt.

Ego verò oportere cenſeo (ac mihi propter id quod dicturus ſum, ne reclametis, & ob-

& obſtrepatis, ſed vbi audiueritis iudicate) quemadmodum de accipiendo ad concionem retulimus, ſic etiam de ciuibus in certos ordines redigendis, in comparandis rebus ad bellum neceſſarijs, concionem aſſignare, & ſeipſum præbere, non modò hæc audire volentem, ſed etiam facere cupientem, vt Athenienſes bonorum ſpes habeatis, nec hunc, neque illum quid gerat, interrogetis. Ex oratione de ordinatione ciuitatis.

Fortaſſis vt neque priuatim facile eſt omnia rectè agere, ſic neque publicè, ſed tamen res maximas negligere non oportet. Ex 24. Procem.

Iſtis ſtatim ab initio nihil curæ fuit huius ſyngraphæ, ſed vt noſtra pro ſua vſi ſunt pecunia, ſic ſunt hi ſcelerati ſophiſtæ & iniqui homines. Ex oratione contra Aphobum de falſo teſtimonio.

Quemadmodum Athenienſes, ſceleſtos ac profligatos, alios, qui ſcelera fatentur, ſine iudicio ſupplicijs affici leges iubent, ſic etiam iſte, quandoquidem leges deprauare deprehenſus eſt, non conceſſa dicendi poteſtate, nec auditis eius excuſationibus condemnandus erit, confeſſus eſt enim altera priore lege, ſe contraria iſta ferenda haud æquum facere. Ex oratione contra Timocratem.

Quemadmodum ſi quale ſit argentum, iudicandum eſſet, illud exploran-

dum & probandum exiſtimaretis, ſic etiam poſtulo vt habitam orationẽ ex his, quæ nos contra diſſeruimus, iudicantes, vtilem quidem ſi inuenietis, fauente fortuna, ſequamini. Ex 39. Prooem.

Peto à vobis quemadmodum ego vobis modeſtum & vtilem me præbui, ſic & vos nunc mei rationem habeatis. Ex oratione aduerſus Prolycem.

FINIS.

ISOCRATIS Athenienſis, ORATORIS, ET PHILOSOPHI CLARISSIMI SENTENTIAE.

Adulator. 1

FIDELES exiſtima, nō qui quicquid vel dixeris, vel feceris, laudibus extulerint; ſed qui errantem increpauerint. Ad Nicoclem or.2.

Conſidera fraudulentos adulatores,& qui ex animo tua curant,vt ne mali boni plus habeant. Ad Nicoclem or.2.

Itidem odio inſequere adulantes vt ſeducentes; nam vtriſque vbi fides habita fuerit,ſibi credentibus iniuriam inferunt. Ad Demonic.or.1.

Amicitia,& Beneuolentia. 2

OPtimorum vtere familiaritate: ſic fiet,vt alij te non oderint, hi verò tē amore proſequantur Ad Demonicū or.1

Neminem in amicorum numerum receperis,niſi exploraueris,quomodo priori

bus

bus amicis vſus ſit:ſperat nanq; talem tibi fore, qualis & illis extiterit. Ad Demon. oratio. 1.

Lentè quidem amicus fias; at factus, permanere coneris. eadem enim turpitudo eſt, neminem habere amicũ, & multos permutare ſodales. Ad Demonic. ora. 1.

Neq; cum damno experire amicos, neque tamẽ expers eorum eſſe velis. hoc autem facies, ſi non indigens, indigere tamen tibi vſurpes. Ad Demonic. ora. 1.

Proba amicos tunc ex vitæ tuæ infortunio, tum ex pericnlorum participatione. Ad Demon.

Aurum qnidem igni probamus, amicos autem iu ſiniſtris rerũ noſtrarum ſucceſſibus animaduertimus. Ad Demon. ora. 1.

Sic optimè vteris amicis, ſi illorum preces non expectaris, ſed tua ſponte illis opportunè ſuccurreris. Ad Demon. ora. 1.

Aequè turpe iudica, inimicorum vinci maleficentijs, & amicorum ſuperari beneficijs. Ad Demon. ora. 1.

Recipe amicos, ne dũ qui mala tua ęgre ferunt, verumetiam qui bonis tuis non inuident. pleriq; enim infortunatis amicis condolent, benè autẽ agentibus inuident. Ad Demon. ora. 1.

Abſentium amicorũ memineris apud præſentes, ne videaris abſentes illos paruipendere. Ad Demon. or. 1.

Aliorum, qui tibi amicitiæ non ſunt fœdere deuincti, vitam nihil arroganter, ſed mediocriter dilige. Ad Demon or. 1.

Si

Si receperis amicos, qui ad peſſima tibi gratum faciunt, non habebis qui ad optima tibi in vita infenſi ſint. Ad Dem. ora. 1.

Adeuntibus te familiaris eſto, ſed non grauis, quorundam enim faſtue ſam arrogantiam vix ſerui quidem ſuſtinuerunt; quorundam autem familiarem conuerſationem ſuauiter ferunt. Ad Demon. ora. 1.

Familiaris autem eris, non ſi litiges, ſi difficilis, ſi contentioſus ſis, neque ſi appropinquantium tibi iræ aſperè occuras, neque ſi iniuſtè iraſcentes etiam tibi obtingant; cæterùm, ſi indignantibus cedas, quietos autem ab ira obiurges. Ad Demõ. ora. 1.

Quos tibi volueris amicos conciliare, illorum præclaram coràm familiaribus mentionem facito, Ad Demon. or. 1.

Principium amicitiæ laus, inimicitiæ verò vituperium. Ad Demon. ora. 1.

Diligenter mores eorum, qui tibi præſtò ſunt, & conueniunt, explora, ſciens, quòd omnes, qui tibi non appropinquãt, ſimilem te iudicabunt ijs, quorum conſortio, & familiaritate vteris. Ad Nicoclẽ. orat. 2.

Nullam familiaritatem temerè, citraq; rationem amplectere; ſed enim illis aſſueſce conuerſationibus gaudere, ex quibus ipſe creſcas & alijs melior eſſe videaris. Ad Nicoclem. ora. 2.

Bellum. 3

NAm quę in bello fiunt, corũ non minima pars fortunę ſubiacet. Arc. or. 14.

Equidem

Equidem pleroſq; noui, ex bellis ingen tem felicitatem nactos; multos verò præſente quoq; ſecundiore ſucceſſu propter pacem ſpoliatos. Nihil enim rerum omnino vel bonum, vel malũ eſt, ſed vt quiſque negocijs, & occaſionibus vſus ſit, ita neceſſe eſt tandem ex illis ſucceſſum, & euentũ prouenire. Archid. or. 14.

Liberos eſſe volentes decet, fœdera pacis iniũcta perinde fugere, ac proximè ſeruitutem exiſtentes, tum verò reconciliationes fieri, quando vel hoſtes vicerint, vel ſuam vim hoſtili æquipararint; vt quiſque talem ſit habiturus pacem, qualẽ belli diſſolutionem, & finem fecerint. Archid. ora. 14.

Calumnia.

NEc demiror eos, qui maiore tempore in impoſtorum accuſationibus verſati ſunt, neq; eos, qui calumniam maximum eſſe malum aſſerunt: quid enim ea peius reperiatur, quę mendaces gratos efficit; eos, qui nihil iniuriæ attulerunt, vt iniurij videantur, vt litigãtes peierent; ac funditus obſcuret veritatem, falſam audientibus opinionem exhibens; quæ quẽcunque ciuium apprehenderit, iniquè perdit? De Retrib. ora. 15.

Obſerua calumnias etiam ſi mendaces ſint: nanque pleriq; ignari veritatis, ad opinionem tamen reſpiciunt. Paræn. or. 1.

Omnium ſceleratiſſimos eſſe puto, & maxima dignos iactura, qui quorum ipſi rei ſunt, in his alios accuſare non erubeſcant.

ſcant. De Retributione ora. 15.

Eiſdem pœnis corrige tum calumniantes tum delinquentes. De Regno ad Nicoclem.ora.2.

Coniugium. 5

QVin & talium ingentem malitiã condemnaui, qui vbi vxores duxerint, ac vniuerſæ cum illis vitę conſuetudinem fecerint, non ament, quæ egerũt, ſed ſuis ipſorum voluptatibus contriſtent illas, à quibus tamen ipſi nihil mœroris recipere dignum iudicant. Atq; in alijs quidem commercijs ſe modeſtos gerunt, in ſuas verò vxores peccãt: quas hoc maiore ſeruare cura oportuit, quò familiariores, & cæteris maiores fuerint. Nicocl. orat. 3.

Conſilium. 6

DVm conſultas tranſacta, futurorum paradigmata ſtatue: obſcuri enim è perſpicuo celerrima eſt cognitio. Ad Demon. ora. 1.

Lẽtè conſulta; quæ verò probata ſunt, velociter perfice. Ad Demon. or. 1.

Optimum, quod nobis à Deo prouenit, felicitatem puta; quod à nobis autẽ proficiſcitur, eſſe bonum conſilium. Ad Demon. or. 1.

Quoties de tuis rebus cum quopiam conſultare volueris, reputa primùm apud te vt in ſuis ille ſe geſſerit. Etenim qui ſuas ipſius res non ritè perpendit, neq; bonum de alienis conſilium dabit. Ad Demõ. or. 1.

Maximè ad conſultandum incitaberis, vbi calamitates, quæ neglectam conſultationem

tationem ſecutæ ſunt, reſpexeris. Etenim ſanitatis plurima cura ducimur, ſi damnorum è mala valetudine nobis in mentem veniat. Ad Demon. or. 1.

Expende, quæ fiunt, & obueniũt & plebeijs, & Tyrannis. Etenim ſi præteritorum memineris, & de futuris rectius conſultabis. Ad Nicocl. ora. 2.

Conſilio illos pollere putamus, qui optimè apud ſeſe de rebus ipſi diſſertauerint. Nicocl. ora 3.

Porrò cordatorũ eſt, vt quibus in bello ducibus præclarè, ſtrenueq; geſſerint, his de imminentibus malis cõſulentibus pluſquàm alijs fidei adhibeant. Archid. or. 14.

Deus. 7

EGo in hac ſum ſententia, vt neque Deos, neque eorum ſobolẽ vllius mali participes eſſe ſentiam; verùm omnibus illos virtutibus imbutos, alijs pulcherrimorum exercitiorum principes, ac doctores eſſe. Buſir. ora. 6.

Si in mortalem Deorum conſiderare mẽtem oportet, arbitror & illos per ſua ipſorum exempla maximè arguere, quomodò ſe gerant erga virtute prędıtos, & vitijs obnoxios homines. Itaq; Iupiter vbi Herculem, & Tantalum genuiſſet (vt in fabulis eſt, quibus omnes fidem adhibent) alterũ propter virtutem immortalem reddidit, alterum propter malitiã maximis cruciatibus puniuit. Ad Demon. or. 1.

Rem diuinam iuxta maiorum tuorum inſtitutum perfice. Ad Nicocl. or. 2.

Diui-

Diuitiæ, & Paupertas. 8

ASpernare vehementer animos ad diuitias appellantes, cùm tamen præſentibus vti non poſſint, ſimile quiddam enim huiuſmodi patiuntur, quale cui cùm pulcher equus ſit, pulchrè tamen equitare neſciat. Ad Demon or. 1.

Explora diuitias, res & facultates apparare. Sunt autem res ijs, qui frui nouerũt, & facultates, qui ijſdem vti poſſunt. Ad Demon. or. 1.

Honora præſentem ſubſtantiam tuam duplici de cauſa, tum vt ingens damnum exoluas, tum vt prædito virtutibus amico infortunato feras opem. Ad Demon. or. 1.

Iuſtam potius paupertatem caram habe, quàm iniuſtas diuitias: tantò nanq; facultatibus præſtantior eſt iuſtitia, quantò hæ, viuentes duntaxat iuuant; illa verò & vita functis nomen comparat, & hæ malis quidem præſtò ſunt, hanc autem fieri non poſſit quo ſceleſti conſequantur. Ad Demon. or. 1.

Neminem æmuleris iniquè lucrantiũ; ſed magis qui cum iuſtitia damnum perpeſſi ſunt, amplectere. Nam iuſti ſi nullà re alia iniuſtis abundantiores ſint, honeſta ſpe tñ excellunt iſtos. Ad Demon. or. 1.

Quæſtus præter iuſtitiam factos, non diuitias, ſed periculum reputetis parituros. Nicocl. or. 3.

Conſequitur opulentos quidem ac potentiores amentia intemperantiaque: inopiam verò, & humilitatem temperantia, at

que moderatio. Areopag. orat. 10.

Compertum habeatis, indigentiam è ſegnitie naſci, fraudulentiam, atq; malitiam ex indigentia. Areop. ora. 10.

Neque argento felicitatem metiebantur: cæterum is tutiſſimas obtinuiſſe diuitias, atque pulcherrimas iudicabatur, qui res huiuſmodi perficeret, ex quibus virtutes eius conſpicerentur, cunctiſq; maximam gloriam relicturus eſſet. Panegir. or. 8. & de Retrib. or. 15.

Modicum quicquam alicui deeſſe, plus valet, atq; nimiò abundare. de Regno or. 2

Eloquentia.

EX omnibus, quæ poſſidemus, nihil aliud nobis ineſt, quo cæteris animantibus præſtemus, præterquàm vis orationis, & eloquentiæ. Siquidem celeritate, viribus, alijsq; naturæ commodis longè illis inferiores ſumus; at nos facultate orationis, & inuicem ſuadendi diſſuadendiq;, & inter nos quæ velimus, explicandi ornati, non ſolùm ab agreſti feritate, & vita beluarum longius abſumus, verùmetiam in vnum coeuntes vrbes condidimus, leges tulimus, artes adinuenimus, vt omnia fermè, quæ per nos excogitata ſunt, atque reperta, vna nobis oratio ſuadendiq; facultas præparauit, atque confecit. Hæc enim de rebus iuſtis, & iniquis, de turpibus, & honeſtis leges ſanxit, & promulgauit. Quæ quidem niſi rectè ſe haberent, & ordinatè, haud vnà vnquam habitare poſſemus. hac & malos redarguimus, & probos com-

commendamus: per hanc imperitos erudimus, & prudentes agnoſcimus: nam & appoſitè dicere,& vt par eſt loqui maximũ prudẽtiæ ſignũ eſſe ducimus. Nicoc.or.3.

Porrò eſt viri mente præditi, non diligere abundantiam, qua de iiſdem rebus quiſpiam alijs plura dicere poſſet, ſed ſcopum obſeruare earum, de quibus ſemper diſſeptaturus ſit, rebus. Panathenaico.ora.11.

Geminam tibi ad dicendum occaſionẽ ſelige, alteram vt quæ perſpicua, alteram vt quæ neceſſaria ſint narratu, commemores: ſiquidem in his ſolis præſtat loqui, quàm tacere, in alijs autem tacere ſatius, quàm dicere. Paræn. ora.1.

Filij,& Parentes. 10

DEcet liberos, vt facultatis, ſic patris quoque amicorum hæredes eſſe. Ad Demon.ora.1.

Quòd ſi pictores, quæ in animantibus pulchra ſunt, exprimere poſſunt; turpe profectò fuerit, liberos parentum non imitari ſtudia. Ad Demon.ora.1.

Talem tuis te parentibus exhibeas, quales tuos erga te optaris liberos. Ad Demõ. ora.1.

Celebrem magis famam, quàm ingẽtes diuitias liberis tuis relinquere cures: hæc nanque mortales, illa verò immortalis. Siquidem celebriori nomine res partę ſunt, fama autem minimè rebus comparata eſt. Et hæ vitio quidem obnoxijs adſunt; hãc verò niſi à melioribus poſſideri poſſibile non eſt. Ad Nicoc.ora.2.

Imagines

Imagines virtutis tuæ potius iudices, quàm corporis relinquere poſteris malis. Ad Nicocl.

Quæ filijs tuis, & pueris conſulendo præceperis, ea tę quoque ſeruare dignum eſſe exiſtima. Ad Nicocl.or.2.

Docete liberos veſtros obtemperare re gi, taliq; virtutis inſtitutione maximè immorari illos aſſueſcite: nam vbi regi didicerint iugum ferre, longè rectius dominari poterunt. Qui ſi fideles, ac iuſti fuerint, conſortes quidem noſtrorum bonorum erunt. Sin facti mali fuerint, facultatũ ſuarum periculum patientur. i Nicoc.or.3.

Fortitudo. 11

FOrtitudo cum prudentia profuit, citra quam & prædiuitibus ſæpe damnum dedit, & corpora quidem eorum, qui ea ſe exercent, ornauit, animi verò induſtriam obſeruauit. Ad Demon.or.1.

Corpus tuum hiſce exercitijs applica, non quæ fortitudini, ſed quæ ſanitati conferant. Ad Demon.or.1.

Fortuna, & Occaſio. 12

FOrtunatos arbitramini, non qui ſi quid commiſerint, fallant, ſed qui nihil planè peccant: hos enim dignum eſt talia ſufferre, qualia & ipſi faciunt: illos autem gratiã accipere, qua verè digni ſunt. Nicocl. or.3.

Atqui ſucceſſum rerum ſecundùm omnes nouimus euenire, & permanere non ijs, qui ampliſſimis pulcherrimiſq; mœnibus circum vndique muniti ſunt, nec ijs, qui

qui plurimis hominum copijs in eodem loco commorantur, verùm qui optimè & prudentiſſimè Remp.ſuam adminiſtrant. Areopag. or. 10.

In ſortitu dominari fortunam, ſæpeque numero ad magiſtratum ſurrogari, qui paucorum dominatum admodum deſiderant. Areop. or. 10.

Turpe eſt præeunte fortuna humi ſerpere, nec applicare te ijs, ad quæ te ipſa perducere cogitat. Philip. or. 12.

Volutantes vobiſcum animo, quod ſæpe modicę occaſiones ingentium malorũ cauſæ fuerint; & ꝙ plerique ciuium propter eos, qui ferire alios auderent, eò iracundiæ perducti ſint, vt ad vulnera, cædes, & mortes, maximas adeoque calamitates peruenerint. Aduerſus Dec. or. 20.

Optimum eſt, ſummam aſſequi occaſionem, at ea poſtquam facilè percipi nequeat, malis minus habere, quàm ea abundare. modicum enim quicquam alicui deeſſe, plus valet, atque nimio abundare. Ad Nicocl. or. 2.

Puta rerum humanarum nihil ſtabile eſſe. Sic enim neque fœlix eris, ſi abundè lætêris, neque infœlix, ſi triſtitia circunfundaris. Ad Demon. or. 1.

Intempeſtiuum ſemper triſte eſt. Ad Demon. or. 1.

Gloria, Laus, & Honor. 13

LOngè ſatius eſt in gloria, qua conſpicui ſumus, finire vitam, quàm in cunctis viuere dehoneſtamentis, obſcuritate, ignobi-

ignobilitatéve. Archid.or.14.

Præcipuè bonus habeberis ſi quæ in alijs reprehenderis,ipſe non admittas. Ad Demon or.1.

A publicis functionibus non diuitior, ſed celebrior diſcede. Ad Demon.or.1.

Laudes enim,quibus à multitudine prędicaris,multis diuitijs præſtant. Ibidem.

Ne appareas honoris expetens propter ea,quæ & à malis peragi poſſunt. in virtute autem ad alta ſpires, cuius nulla pars malis præſtò eſt. De Regno or.2.

Veriſſimos eſſe honores exiſtima, non qui pro palám timoris cauſa fiunt,ſed vbi inter ſe illi conuenerint.ſententiam tuam, quàm fortunam plus admirentur. De Regno or.2.

Nec exiguum bonum arbitremini honores,quibus afficiuntur qui benè noſtris præſunt. Nicocl.or.3.

Enimuerò grauius putabant eſſe, malè apud ciues ſuos audire,quàm honeſtè pro patria mori. Planegir.or.8.

Etenim turpe eſt de maiorũ factis gloriari,illis verò contraria,quantum ad ſupplices attinet,peragere. Plataic.or.9.

Decet eos, qui maiorem prę cęteris gloriam deſiderant, menti ſuæ poſſibiles res pręponere quidem voto ſimiles,quas perficere tandem adoriantur vbi occaſio præ manibus fuerit. Philip.or.12.

Claritudines, & ſplendores nõ ex quiete, non tranquillitate; ſed certaminibus, ſed prælijs fieri ſolent. Archid.or.14.

Longè

Longè ſatius eſt, prolixo tempore hono rem commutare, quàm pauxillo temporis in magnam nos conijcere contumeliã. Archid.ora.14.

Pretium eſt operæ porrò, conantes eximijs quoſdam efferire laudibus, vt non ſolùm illos non malos demonſtrent, cæterùm omnibus virtutum generibus & veteres, & eos, quibus contẽporanei nũc ſunt, viciſſe. Panathen.ora.11.

Humanitas, & Beneficium. 14

MOribus humanus eſto, ſermone iucundus: eſt enim humanitatis, obuiantibus ſalutem impertiri, iucundi autem blandulum cũ illis habere colloquiũ. Ad Demon.

Suauem te omnibus exhibe. Ad Demõ.

Adeuntibus te familiaris eſto, ſed non grauis: quorundam enim faſtuoſam arrogantiam vix ſerui quidem ſuſtinuerunt, quorundam autem familiarem conuerſationem omnes ſuauiter ferunt. Paræn. ora.1.

Aſſueſce non triſtem, ſed hilarem exhibere vultum: propter illud enim tui amãs, propter hoc verò prudẽs eſſe iudicaberis. Paræn. ora.1.

Ne ſis amans contentionis, graue nanque, neq; reprehenſionis ſtudioſus, exacerbatiuum nanque eſt. Paræn.ora.1.

Præſenti tempeſtate beneficia obliuionem pariunt eorum, quibus antea inter nos deliquimus Philip.or.12.

Aequè turpe eſt, auditum vtilem ſermonem

monem non diſcere, & munuſculi quippiam ab amicis datum non accipere. Paræn.ora.I.

Qui in malos beneficium confert, idem patietur cum eis, qui alienas canes cibant. illæ nanque perinde dantes, atque occurrentes adlatrant; ſic mali commodantibus æquè ac lædentibus vim faciunt. Paræn. ad Demon.or.I.

Ne ipſis quidem gratijs citra gratiam feceris gratum; id quod non parum multi ſanè faciunt, iniucundè amicis inſeruientes, & illibenter. Paræn. ad Demon. ora. I.

Cuncti mortales. &c. Vide infrà, Infortunium.

Infortunium. 15

IN triſtibus, aliorũ infortunio reſpicias, tuiq; ipſius ceu hominis memineris. Ad Demon.ora.I.

Nemini calamitatem obieceris: fortuna enim cõis eſt, & quid futurum ſit, non dum eſt perſpicuum. Ad Demon.ora.I.

Lætare propter bona, quæ contingunt, modicũq; triſtare propter mala, quę fiunt. Ad Demon.ora.I.

Cuncti mortales horum plurimũ me moriam habent, per quę in calamitatibus ſibi conſulitur. Philip.or.12.

Perpendite animis veſtris, quòd egenis facultatum nomine nihil periculi imminet; ærumna autem corpori, quæ exhiberi poteſt, omnes communicamus. Aduerſus Decanum.ora..o.

Puta

Puta nihil humanarum rerum ſtabile eſſe, ſic enim neque fœlix eris, ſi abundè læteris, neque in fœlix, ſi triſtitia circunfundaris. Ad Demon. ora. 1.

Immortalitas. 16

POſtquàm mortale corpus, immortalẽ autem animum aſſecutus es; conare, animę nunquam interituram memoriam relinquere. De Regno or. 2.

Cogita in animo, quòd omnes mortali corpore amicti ſimus; per celebritatem autem, & præconia, & famã tempora noſtra conſectantem apprehendimus, quàm dignè expetunt, qui vel quid vis ſuſtinerę pro ſuorum ſalute poſſunt. Videas inſuper priuatos æquabiliſſimos, qui pro nulla re alia vitam permutarint ſuam; pro cõſequenda verò in inclita fama, & gloria bellico conflictu intermori velle. Philip. ora. 12.

Inuidia, & Aemulatio. 17

CVius rei in promptu cauſa eſt inuidia, cui hoc ſolũ bonũ adeſt, quòd maximũ ſe imbutis malũ eſt. Euagora. orat. 4.

Viros præterea æmulari, non qui tirannides obtinent, neq; maiorem æquo potẽtiam poſsident; ſed quos omni honorę dignos eſſe conſtiterit, quiq; à populo profecta dona precioſa duxerint, adeóq; remp. dilexerint. De Pace. ora. 13.

Ira. 18

NIhil iratus agas; neque te tamen nõ ira percitum, cùm id occaſio, & res

poſtulat,oſtendat. Ad Nico.ora.2.

Aeque te in ira geras peccantes, atque alios erga te delinquentem ſe habere velles. Paræo.ora.1.

Iuramentum. 19

BOnos viros decet, certiorem iuriſiurandi modum adhibere videri. Ad Demon.ora.1.

Adactum iuramentum ob duplicem occaſionem præſta, aut temetipſum à turpi cauſa abſoluendo, aut amicos à periculis conſeruando. Ad Demon.ora.1.

Pecuniarum cauſa nullum Deum iuraueris; neque ſi benè etiam iuratus ſis. videberis enim alijs peierare, alijs auarus eſſe. Ad Demon.ora.1.

Veritatem per omne tempus ita te præ cæteris colere, adamare, atque complecti oſtende, vt tua ipſius verba longè maiori fide digna ſint, quàm aliorum iuſiurandum. Ad Nicoc.ora.2.

Labor. 20

COrpora laboribus ſibi congruis, animus autem literarum ſtudio creſcere ſolet. Ad Demon.ora.1.

Corpus tuum hiſce exercitijs applica, non quæ fortitudini, ſed quæ ſanitati conferant. Ad Demon.ora.1.

Sic inſiſtas labori, vt ſi quando eidem vmbilicum (quod aiunt) addideris, adhuc laborare poſſis. Ad Demon.ora.1.

Corpore laboris, animo ſapientiæ ſtudioſus eſſe labora, vt hæc, quæ tibi cordi ſunt, perficere, illa, quæ conducant, præuidere

uidere poſſis. Ad Demon. ora. 1.

Lex. 21

LEges quærere omnino iuſtas, atq; vtiles, & profuturas, ſibiq; maximè conſentaneas, & quæ claræ ſint, & apertæ, quæq; lites, & controuerſias, quò ad fieri poteſt, inter ciues quàm celerrimè diri-mant, ac tollant. hæc enim omnia legibus rectè poſitis ineſſe debent, & contineri. Ad Nicocl. ora. 2.

Multas enim exquiſitas leges, argumentum eſſe perperam adminiſtratę ciuitatis; quòd qui obſtructiones peccatis faciunt, multas fieri leges cogant. Areopagit. oratione 10.

Malè educatos quidē exquiſitè ſcriptas etiam violare leges auſuros; liberaliter verò inſtitutos honeſtate legum permanſuros. Areop. ora. 10.

Reperietis porrò legiſlatores præcipuā corporū habuiſſe rationē. Primùm enim de ſola hac iniuria cauſas, & ſcripta citra fideiuſſionem inſtituerunt; vt quemadmodum quilibet noſtrum poſſet aut vellet, ita ſupplicio poſſet afficere iniuriam inferentes. Deinde in alijs delictis ipſi duntaxat, qui damnum accipit, qui dedit, obnoxius eſt. Aduerſus Decanum. ora. 12.

At verò vbi orationis facta nobis poteſtas eſt, qua alius alij perſuadere poſſemus, interque nos viciſſim certò iudicare datum eſſet, quæ vellemus; ne dum à brutorum viuendi ratione deſtitimus, ſed vnà congregati, ordineq; collecti vrbes in

coluimus,leges tulimus, artes reperimus, fereq; omnium, quæ humano artificio cō ſtant,nobis fons, atq; origo ſermo extitit. ſiquidem is de iuſtis & iniuſtis, turpibus, & honeſtis ſanciuit leges,quæ niſi ſancitæ erectæq; fuiſſent,fieri non poterat, vt fami liari conuerſatione inter nos duceremus vitam. Nicoc.or.3.

Norant enim honeſtis,& bonis ciuibus nihil opus eſſe multis legũ tabulis, paucis enim conſtitutionibus, tam de publicis, quàm priuatis facilè eos ad vnanimitatē perductum iri. Panegir.or.8.

Quicunq; diuinas res ita adornarunt, vt ſolicitudo acriuſq; ſuppliciũ appareat imminere peccantibus,illi plurimùm humanæ vitæ proſunt. etenim timorem primùm nobis efficientes in cauſa ſunt quominus beſtiarum inſtar alius erga aliũ ſeſe habeat. Buſir.or.6.

Animaduerto enim, leges iuſti cauſa latas: viros item cùm honeſtos, tum bonos propter hoc ipſum in precio habitos;tum vrbes,quæ rectè & honorificè adminiſtrātur, illi potiſſimùm inniti, ac ſtudioſè incumbere. Archid.or.14.

Magnanimus. 22

MAgnanimos eſſe puta, non,qui maiora viribus ſuis aſſumunt, ſed qui modica quidem deſiderant, perficereque poſſint,quæ attentauerint.Ad Nicoc.or.2

Mors. 23

OPereprecium eſt,terribilem eſſe ma lis vitæ finē; bonis autem vitæ igno

miniam

miniam formidoloſam. Ad Demon.or.1.

Mori ſanè omnibus fato deſtinatum eſt. enimuerò honeſtè mori, peculiare ſtudioſis natura conſtituit. Ad Demon.or 1.

Quemadmodum honeſtis, & bonis viris eligibilius eſt, bellè mori, quàm turpiter viuere; ſic & eminentioribus ciuitatibus, iuuandi ſtudio, melius eſt ab hominibus exterminari, quàm vt videâtur in ſeruitutem redactæ eſſe. Panegir.or.8. & de Retrib.or.15.

Longè ſatius eſt in gloria, qua cõſpicui ſumus, finire vitã, quàm in cunctis viuere dehoneſtamentis, obſcuritate, ignobilitáve faciendo quæ iſti nobis iniungunt. Archid.or.14.

Enimuerò grauius putabant eſſe malè apud ciues ſuos viuere, quàm honeſtè pro patria mori. Paneg.or.8.

Sin periclitari cogaris, mori magis, quàm turpiter viuere delige. De Regno.or.2.

Lacedæmonijs verò nulla ratione ſalus aliter obtingere poteſt, niſi vt ſi honeſtè ſeruari nequeant, mors planè ſit eligenda. Archid or.14.

Prudentia, & Sapientia. 24

IN primis cura diligèter quæ ad vitam tuam attinent: potiſſimùm autem prudentiam tuam exerce; nam maximum in minimo, eſt mens bona in hominis corpore. Ad Demon.or.1.

Quicquid dicturus es, mente prius recole, pleriſque enim lingua mentem præcurrit. Ad Demon.or.1.

In quibuſdam, at non in omnibus manifeſtus eſto, abſurdum enim eſt facultates domi recondere, mentem autem apertam habentē te obambulare. Ad Demon.or.1.

Neq; riſum immodicum ama, neq; temerariū ſermonē amplectere, illud enim ſtulti, hoc verè inſani eſt. Ad Demo.or.1.

Quæ non rectè conſtituta ſunt vel iuſſa, vel ſtudia moueto, atq; transferto, maximèq; optimarum rerum inuentor eſto, ſin minus imitare quæ apud alios ſe non malè habent. Ad Nicocl.orat.2.

Nunquam non & ſermones, & acta tua conſidera, vt quàm pauciſſimos in errores incidas. Ad Nicocl orat.2.

Quæ reputāti tibi optima viſa fuerint, hæc operibus quoque conſumma. Ad Niclem orat.2.

Sapientes arbitrare, non qui accurratè de minutis diſputant, ſed qui de arduis planè, optimè diſſerunt: neque qui alijs felicitatem promittunt, cùm ipſi ingenti penuria premantur, ſed qui modeſtè de ſeſe ipſi loquuntur: inter negocia verò, & hominum commercia verſari poſſunt: qui vitæ permutationibus non perturbantur; cęterum qui ſuſq; deq; tum infortunium, tū bonam fortunam ferre nouerunt. Ad Nicoclem orat 2.

Exploratum eſt, ab eo neminem doceri poſſe, neque prudentem reddi, qui ſibi primùm nequicquam ſapit ac prodeſt. Ad Nicoc.orat.2.

Appoſitè dicere, & vt par eſt loqui, ma-

ximum

ximum prudentiæ ſignum eſſe ducimus. Ad Nicoc.orat.3.

Porrò ingenti ſapientia præditos, cæteriſque præeminentes talia decet aggredi, non quæ & plebeiorum quiſquam peregerit, verùm quę nemo alius attentauerit, niſi æqualem tibi & naturam, & potentiã habuerit. Philip.orat.12.

Eſt verò prudentia inſignium, ſimul ac quid nobis profuturum cõſpicere nequeamus, quod crebrò prodeſſe obſeruatur, ſeligere. De Pace orat.13.

Porrò ſapientum nõ eſt deliberare diu de ijs, quæ perſpecta habent; nam id ſuper uacaneum; verùm opere quę cognouerũt, exequi; nec putare ſe ſcire quid futurum ſit, in ijs, de quibus conſultant; ſed quaſi coniectura vtentes quidnam fortè euenire poſſit, ſic de ipſis conſilium dare. De Pace.orat 13.

Sapientia nanque ſola immortalis eſt poſſeſſio. Ad Demon orat.1.

Rex, & Reſpublica. 25

Regum imitare mores, eorumque ſtudia proſequere, videberis enim & magnifacere & æmulari, ita veniet vſu, vt cũ vulgò commendatior ſis, tum illorum beneuolentiam ſtabilius concilies. Ad Demon.orat.1.

Sanctioni Regum morem gere, atq; fortiſſimam legem eſſe puta illorum vitam, vt enim liberi populi Reipu. præfectum à vulgo in precio haberi neceſſum eſt, ſic & in monarchia agentem Regem admirari

dignum eſt. Ad Demon.or.1.

In dominatu conſtitutus ne prauo ad rerum moderandas habenas vtere: Nam quicquid ille commiſerit, eius in te transferent culpam. Ad Demon.or.1.

Regibus autem nihil tale propoſitum eſt, ſed quos præ alijs inſtitui magis oportebat, vbi ad primatus faſtigium conſcenderint, impatientes admonitionis perſeuerant. Nam bona hominum pars illis non appropinquant: qui verò apud illos preſtò ſunt, ad gratiam conuerſantur etenim domini facti & rerum plurimarum, & negociorum maximorum, eò ꝙ non rectè vtantur hiſce occaſionibus, non paucis anſam dubitandi præbuerunt, vtrùm cõmodius ſit eligere vitam ne priuatam, an in dominatu agentium. Nam vbi ad honores, diuitias, & poteſtatem oculos defixerint, æquales Deo iudicãt omnes qui in monarchijs conſtituti ſunt. at vbi terrores atque pericula ſecum in animo perpenderint, qui enarrant, vt alij Regum à quibus minimè decuit interempti ſint; alij verò in familiariſſimos ſibi delinquere coacti; alij verò vtrique rei fuerint obnoxij, rurſum qualemcunque vitam ducere ſatius eſſe putant, quàm cum huiuſmodi calamitatibus vniuerſæ Aſiæ potiri ſceptris. Ad Nicoclem or.2.

Nemini athletarum adeò conuenit corpus exercere ſuum, vt Regibus animum excolere. Ad Nicocl. or.2.

Hominum, patriæq; amore detineri oportet

portet

portet Regem, neque enim equorum, neque canum, neque hominum, neque alius vllius rei poſſibile eſt benè dominari, niſi quiſpiam ex illis voluptatem capiat, quorum gerere curam ipſius interſit. Ad Nicoclem orat. 2.

Decet, ne parum expedit, ſententias Regum, & imperantium immutabiles eſſe de rebus iuſtis; non ſecus ac leges rectè poſitas, atque latas. Ad Nicoc. orat. 2.

Aequè ciuitatem guberna tuam, atque paternam domum, apparatu quidem ſplédidè vti Regem decet, operationibus verò ſcitè, vt carus habearis ſimul & ſufficias. Ad Nicoc. orat. 2.

Securiſſimam corporis eſſe cuſtodiam, amicorum virtutem puta, ciuium beneuolentiam, tuamq́ue ipſius prudentiam, per hæc enim & poſſidere & conſeruare quiſpiam regna poſſit. Ad Nico, orat. 2.

Aedes priuatorum cura, eoſq́ue, qui ſui profuſi ſunt, de tuo prodigere exiſtima: qui verò ſua benè gerunt, atque augent, hos & tua plura facere, & ampliare. Cuncta enim incolentium vrbem, ea benè, recteq́ue regentium, & dominantium ſunt propria. Ad Nico. orat. 2.

Cùm tibi bellum gerendum eſt, ad id peritus, paratuſq́ue accede: pacem verò adama, quæ nihil iniqui ſit habitura. Ad Nicoc. orat. 2.

Non ſecus tui ipſius, atque aliorum domineris, idq; Regi maximum eſſe decus puta, ſi nulli voluptatum inſeruias; concu

piſcentijs autem, quàm ciuibus potius im peres. Ad Nicocl. orat. 2.

Exquiſitè nouiſſe cupias quæ Regum ſunt peculiaria, tum experientiam adi, tũ philoſophiam, ſiquidem philoſophari, vias tibi demonſtrabit regnãdi: quæ autem ab ipſis operibus exercitatio manat, efficiet vti rebus vti queas. Ad Nicoc. orat. 2.

Quòd ſi & vetera repetere conuenit, fa ma eſt, omnes Deos ab vno Ioue regi. Vnde, ſi modò vera eſt fama, manifeſtum eſt, quod & illi hanc Reip. conſtitutionem potiorem ducant. Nicoc. orat. 3.

Verùm enimuerò rectè gubernantibus regnum ſuum, operæpretium eſt, vt non modò ciuitates, quarum dominentur, in vnanimitate conſeruare ſtudeant; cæterũ ſuas etiam ædes, ac loca, in quibus ipſi habitarint, omnia enim hæc temperantiæ, & iuſtitiæ opera ſunt. Nicoc. orat. 3.

Operæpretium eſt autem eos, qui bene Reip. præeſſe ſtudent, non implere porticus literis, ſed animo iuſtitiam poſſidere, non enim decretis, ſed moribus commodum gubernari ciuitates. Areop. ora. 10.

Iam illud apud pleroſque omnes conſtat, ꝙ ciuitates aliorum ſubditæ dominatui, apud eos plurimo tempore permanẽt, à quibus minimum ſuſtineant malorum. Panath. orat. 11.

Imperantium munus eſt, imperio ſubditos ſuis ſtudijs reddere beatiores: Tirannis verò in more eſt, aliorum & laboribus & iactura voluptates ſibi ſuas comparare.

De

De Pace oratione 13.

Videtis & monarchias, formas illas Rei pu. in quibus penès vnũ dominatus eſt, in ciuitatibus exiſtentes, à quot affectentur, qui vel quiduis ſuſtinere parati, modò eas obtineant; quibus quid non aſperarũ rerum, quid non difficillimum adeſt? Nonne protinus poſt acceptam poteſtatem tot malis implicati ſunt, vt cum omnibus genere bellum ciuibus adigantur, odiſſe vero à quibus nihil mali perpeſſi. Nihil fidei habere neque amicis, neq; ſodalibus ſuis; commendare verò corporum ſuorum ſalutem mercenarijs homuncionibus, quorum nunquam agnouêre mentem, nihilq; minus timere cuſtodientes, quàm ſibi inſidiãtur? Adeò demum omnes ſuſpectos habere, vt ne familiariſſimis quidem ſuis appropinquãtes cõfidant: nec immeritò, nouerunt enim eos, qui antea tiranni vixerint, alios à parentibus ſanè interemptos; alios à liberis; alios à fratribus; alios ab vxoribus neci datos; præterea genus ipſorum ex hominibus extinctum: attamen tot, tantiſq; calamitatibus ſe vltrò ſubijciunt. De Pace. orat. 13.

Tirãnides arbitramini difficiles eſſe noxiaſque nedum alijs, ſed ijs, qui eis potiuntur. De Pace orat. 13.

Ne decorũ putaueris, alios ornatè Reges autem inordinatè vitam trãſigere; Cæterũm tuam ipſius modeſtiam alijs exemplar conſtitue, cognoſcens; quòd totius ciuitatis conſuetudo in magiſtratu conſti-

tutis comparatur. De Regno orat. 2.

Temperantia. 26

ARbitraris maximopere te decere mũdiciem, verecundiam, iuſtitiam, temperantiam. hiſce enim omnibus adoleſcẽtes teneri placet. Ad Demon. orat. 1.

Lætare propter bona, quæ contingunt, modicumq; triſtare propter mala, quę fiũt. Ad Demon. orat. 1.

A quibus animum teneri turpe eſt, in his omnibus vt tibi temperes elabora; nimirum ira, voluptate, mœrore, eris autem huiuſmodi, ſi lucrum arbitreris eſſe ea, per quæ bonus habearis, non per quę opulentus ſias. Ad Demon. orat. 1.

Dilige exiſtentium bonorum non excedentem poſſeſſionem, Sed moderatum illorum vſum. Ad Demon. orat. 1.

In cõuiuijs potiſſimũm compotores obſerua; & ſi quando tibi occaſio contigerit, antequam temulentus reddaris, ſurge. Nam vbi mens à vino corrupta fuerit, idẽ illi accidit, quod curribus, qui aurigatores ſuos deijciunt: etenim illi, ſi à recto tramite aberrent, inordinatè feruntur, anima verò plurimũm offenditur, corrupto intellectu. Ad Demon. orat. 1.

Arbitror omnes fateri, præſtantiſſimas eſſe virtutes temperantiam, atque iuſtitiam, nedum nanque nobis per ſeſe commodant, verũm ſi naturas conſiderare velimus, & vires vſũſque rerum, reperiemus quæ non ſunt hiſcè conformia virtutibus, magnorum malorum cauſas eſſe: cum

tem-

temperantia verò & iuſtitia facta plurimùm vitam humanam iuuare. Ad Nicoc. orat. 3.

Probandæ ſunt virtutes nō per eaſdem formas omnes, at iuſtitia quidem egeſtate, temperantia imperio, & dominatu; continentia demum iuniorum ætate, ſeu ipſa adoleſcentia. Ad Nicocl. orat. 3.

Timor. 27

VItuperium magis, quàm periculum time. Ad Demon. orat. 1.

Operæprêcium eſt, terribilem eſſe malis vitæ finem, bonis autem vitæ ignominiam formidoloſam. Ad Demon. orat. 1.

Securam in primis explora. Ad Demonic. orat. 1.

Timorem tui è ciuium animis exime, neq; terribilis nihil iniuſtè agentibus eſſe velis. Ad Nicocl. orat. 2.

Turpitudo, & Improbitas. 28

QVæ turpia ſunt factu, ea nec dictu pulcra exiſtimes. Ad Demonicum orat. 1.

Nunquam committas vt vbi flagitium deſignaris, ſperes id latêre. nam quamuis maximè alios fallas, tibi tamen ipſi conſcius eris. Ad Deman. orat. 1.

Omnia ſic facias, ſeu neminem celaturus; etiam ſi enim ſtatim occultes, videberis tamen. Ad Demon. orat. 1.

In delectabilibus turpe credas ſeruorū dominari, voluptatibus autem inſeruire. Ad Demon. orat. 1.

Si ſermone ſolo mentientes improbamus,

mus, tota vita deprauatos non malos dicemus? Ad Demon.orat.1.

Nullæ prauæ rei aſſiſtè, aut patrocinare videberis enim & ipſe committere talia, qualia i?, quibus ſuccurris, perpetrãt. Ad Demon.orat.1.

Equidem ſanè conſpicio, eos, quibus iniuria, alienaq; prædari ſummum adeoque precioſiſſimum bonum habetur, ſimilia quidem perpeti inescatis auiculis, quę primùm non citra maximam voluptatem ille cebris fruuntur, at paulò poſt extremis obruuntur malis. De Pace orat.13.

Vita. 29

Plurimas in vita noſtra res, non propter ipſas, ſed contingentium cauſa elaboramus. Ad Demon.orat.1.

Quid eſt miſerius, quàm viuere vt metuas ne quis aſſiſtentium te occidat; nihilque minus timere cuſtodes, quàm inſidiatores? Helenæ enco.orat.5.

Quemadmodum honeſtis, & bonis viris eligibilius eſt bellè mori, quàm turpiter viuere; ſic & eminentioribus, iuuandi ſtudio, melius eſt ab hominibus exterminari, quàm vt videantur in ſeruitutem redactæ. Paueg.orat.8.

Omnino verò mortaliũ vitam propter malitiam interire, propter virtutem conſeruari. Archid.orat.14.

Longè miſerius eſt apud ſuos ciues contumelia affectum vitã ducere, quàm apud alios inquilinum eſſe. De Iugo orat.16.

Operæpretium eſt terribilem eſſe ma-

lis

lis vitæ finem, bonis autem vitæ ignominiam formidoloſam. Paræn.ad Dem.or.1.

In primis cura diligẽter quæ ad vitam tuam attinẽt: potiſſimùm autem prudentiam tuam exerce. Paræn.ad Demo.or.1.

Virtus, & Literæ. 30

VIrtute nulla neque grauior eſt poſſeſſio,neque ſtabilior. Etenim formam vel tempus aſſumpſit, aut morbus conflacceſcere fecit: diuitiæ verò mali potius, quàm honeſti miniſtræ conſpiciuntur,quippe quæ ſocordiæ robur ſufficiãt, & ad voluptates iuuentutem illiciant. Ad Demon.orat.1.

Multas diſciplinarum multis eſſe pecunijs præſtantiores puta,ſiquidem pecuniæ celeriter tranſeunt, diſciplinæ verò in æterna ſœcula perdurant. Ad Demon.or.1.

Maiore cura literarum,quàm pecuniarum repoſita ſerua. Ad Demon.orat.1.

Nec malitiam virtute plus commodare poſſe exiſtimate, quaſi ita virtutis nomen peius ſit: at qualia nomina res quælibet ſortitæ ſunt, tales etiam illarum vires eſſe exiſtimate. Nicoc.orat.3.

De virtute cõtendentibus pro nulla re alia ſic aduigilandum,atq; pro ea, vt nihil turpe admittere videãtur.Archid.orat.14.

Dum torpor & luxus in precio ſunt, protinus mœror voluptati adfixus eſt. Circa virtutem porrò laborioſum eſſe, ac ſobriè vitam gubernare ſuam, ſinceram ſemper delectationem, imò & ſtabiliorem reddit, & illic primùm quidem voluptatem

ſem ſentientes,mœrore deinde affecti ſumus, hic verò poſt mœrorem voluptatem capimus. Ad Demon.orat.1.

Otio tuo in hac vita ad literarũ ſtudia, amoremq; auſcultandi vtere:ſic enim fiet, vt quæ ab alijs non citra ſudorem inuenta ſunt,tu nullo labore diſcas. Ad Dem or.1.

Vt apem cunctis inſidere germinibus videmus,à quolibet autem commoda excerpere,ſic & bonarum diſciplinarum auidos nihil intentatũ tenere pretium operæ fuerit,vndecunque verò vtilia colligere. Ad Demon.orat.1.

Voluptas. 31

VOluptates honeſtas venare: delectatio nanque honeſto coniuncta eſt optima,citra hoc verò peſſima. Ad Demon. orat.1.

In delectabilibus turpe credas ſeruorũ dominari, voluptatibus autem inſeruire. Ad Demon.orat.1.

Dum torpor,& luxus in precio ſunt,&c. vide ſupra,Virtus,& Literæ.

Equidem ſanè conſpicio,&c.vide ſupra, Turpitudo,& Improbitas.

Finis Sententiarum Iſocratis.

DESIDERII IACOTII VANDOPERANI

De Philoſophorum doctrina Libellus ex Cicerone.

CVM eſſent plures orti fere à Socrate, quod ex illius varijs & diuerſis & in omnem partẽ diffuſis diſputationibus à Platone potiſſimum immortalitati traditis, alius aliud apprehenderet, proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum diſiunctæ & diſpares : cum tamen omnes ſe Philoſophos Socraticos & dici vellent & eſſe arbitrarentur. Inter quos præcipuum locum tenent Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei. De quibus ſigillatim, & diſtinctè dicere difficile eſt, ob eam præcipue cauſam quod cum eorum decreta quæruntur, variari inter Ciceronis interpretes, & dubitari videtur.

videtur. Sed primùm illud tenendum eſt, quod à viris doctiſſimis eſt animaduerſum, Ciceronẽ omnia prope ex Stoicorum & Academicorum nonorum diſputationibus ſumere, ex reliquis pauca quædam aſpergere. Cuius rei fidem facere aiunt dialectica, quæ vſurpat in quibus Platonicum, aut Ariſtotelicum nihil prope agnoſcas. Verum dicamus articulatè, quò ad fieri poterit, de Peripateticis, & Academicis, tum de cæteris quorum à Cicerone præcepta notata ſunt, & quædam La inè expreſſa.

Academici & Peripatetici.

Academici & Peripatetici veteres rebus congruentes (ait Cic.) nominibus differebant. Nã cum Speuſippum ſororis filiũ, philoſophiæ quaſi hæredẽ reliquiſſet Plato, duos autẽ præſtantiſſimos ſtudio, atq; doctrina Xenocrate in Calcedonium, & Ariſtotelem Stagiritẽ: qui erãt cũ Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Licæo. Illi aũt, qui Platonis inſtituto in Academia, quod eſt alterũ Gimnaſiũ, erant ſecum, & ſermones habere ſoliti, ex loci vocabulo nomẽ habuerũt. Quibus tñ nec ſuæ ambulationes defuerunt. Nã in ſpaciorum vmbraculis arboribus opacorum, quæ à Cicerone curricula multipliciũ variorumq; ſermonũ appellantur: plerunq; inambulantes de philoſophia diſputabãt. Nihil igitur, vt dixi, inter Peripateticos, & illã veterẽ Academiã differebat. Abundantia quadã præſtabat Ariſt. Sed idem fons erat vtriſq;, & eadem rerũ expetendarũ, agendarumq; paritio. De quibus multæ ſunt illuſtres laudes 4. & 5. de Finib. bonorũ & malorũ. Quod eum locum,

quem

quem ciuilē rectè appellaturi videmur, Græcè πολιτικὸν *grauiter & copioſè tractarint. Vnde ēt olim propter eximiā rerum maximarum ſcientiā à Græcis politici philoſophi ſunt appellati: quòd multa de Repub. ſcripſerint multa de Legib. multæ non ſolum præcepta in artibus, ſed ēt exempla in Orationibus benedicendi reliquerint. Primū enim illa ipſa, quæ ſubtiliter diſſerenda erāt politè, apteq́; dixerunt cum definientes, tum partientes: deinde ea, quæ requirebant orationem ornatā, et grauem, magnificè ſunt dicta ab illis, ſplendidè de iuſtitia, fortitudine, de amicitia, de ætate degenda, de philoſophia, de capeſſenda Rep. & fortitudine hoīum. Itaq; ex hac tanquam ex oīum artium officina innumerabiles in omni genere ſcientiæ præſtātes viros prodiiſſe ait Cicero. Academici veteres quidam fuerunt, quidā noui. In veteribus numerātur à Cicerone Plato, Ariſtoteles, Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor. In nouis Arceſilas, Lacides, Euander, Egeſinus, Carneades, Clitomacus Philoſophus. Quorū oīum decreta, q̄ numerabimus ſuo loco, de veteribus, & nouis pauca hęc nūc ſufficiat ī vniuersū poſuiſſe.*

Omnem virtutem eſſe mediocritatē. Bruto. *Sapientes nō ſemper eſſe beatiſſimos 5. Tuſc. Finem bonorū, ſecundū naturā viuere, id eſt frui primis à natura datis. 2. de Finib. & 3. Offic.*

Oēm ciuilē orōnem in horū altero verſari, aut de finita controuerſia certis tēporibus, ac reis, aut īdefinitè de vniuerſo genere q̄rere. 3. de Or

Academici Noui.

A*Cademici noui, cum nihil percipi poſſe dicerent, in ſuo ipſi decreto ſicut in cæteris rebus*

rebus fluctuabant, ac de Dijs immortalibus et rantem habebant, & vagam ſententiam. Hanc Academiam adoleſcentiorem Cicero & volaticam appellat, & ſui ſimilem, modò huc. modò illuc, philoſophiæ veteris perturbatricem: quã exoratam cupit vt ſileat, ſubmouere non audet. Huius erat inſtitutum aduerſari omnibus in diſputando, & contra communem opinionem ratione aliqua pugnare, nihil affirmare, inuadere in ea, quæ ſatis ſcitè cæteris philoſophis inſtructa, & compoſita erant, & ruinas edere: deniq; quaſi deſperata cognitione certi, id ſequi quod veriſimile videretur. Solebat verò is, qui audire vellet, cum quæſiuiſſet, tacere, tum alius perpetua oratione contra diſputabat. Quàm diſputandi conſuetudinem ſuſceperunt Tuſculanæ diſputationes, vt eſt in libro de Fato. Huius itaque perpetuum decretum fuit, Nihil poſſe percipi. 2. Acade. & 1. de Natura Deo. Quod quibuſdam adeò placuit, vt extremum bonorum et ſummum munus ſapientis eſſe dicerent, obſiſtere viſis, aſſenſusq; ſuos firmè ſuſtinere.

Peripatetici.

PEripatetici cum viderẽt nos ita eſſe natos, vt communiter ad eas virtutes apti eſſemus, quæ notæ, illuſtresq; ſunt, iuſtitiam dico, temperantiam, cæterasq; generis eiuſdem: quæ omnes ſimiles artium reliquarum materia tantùm ad meliorem partem, & tractatione differunt: easq; ipſas virtutes viderent nos magnificentius appetere & ardentius; habere etiam inſitam quandam, vel potius innatam cupiditatem ſcientiæ, natosq; eſſe ad congregationem hominum, & ad ſocietatem, communitatemq; generis

neris humani, eaq́; in maximis ingenuis maximè elucere, totam philoſophiam tres in partes diuiſerunt. Vna pars eſt in natura: differendi altera: viuendi tertia. Natura ſic ab ijs inueſtigata eſt, vt nulla pars cęlo, mari, terra, (vt poeticè loquar) prætermiſſa ſit. Quinetiã cùm de rerum initijs, omniq́; mundo locuti eſſent, vt multa non modò probabili argumentatione, ſed etiam neceſſaria mathematicorum ratione concluderent; maximam materiam ex rebus per ſe inueſtigatis ad rerum occultarum cognitionẽ attulerunt. Ad placandos animos multa afferebant ſpinas partiendi, & definiendi permittebant. De his ſic ait Cicero, Si omnia à philoſophis eſſent petenda, Peripateticorum inſtitutis commodius fingeretur oratio. Quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum, id eſt, ex vetere Academia philoſophorum ſectam ſecutus es, quorum in doctrina, atq; præceptis diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi, & copia. Quanquàm ea ipſa Peripateticorum, Academicorumq́; cõſuetudo in ratione dicendi talis eſt, vt nec perficere oratorem poſſit ipſa per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. Horum ſententiæ, & præcepta ſunt huiuſmodi.

Eſſe in mentibus hominum tanquàm oraculum aliquod, ex quo futura præſentiant, aut in furore diuino incitatus animus, aut ſomno relaxatus ſolutè moueatur, ac liberè, ſecundo de Diuin.

Quæ autem coniectura explicantur, aut euẽtis, animaduerſa, & notata ſunt, ea genera diuinandi nõ naturalia, ſed artificioſa, in quo Aruſpices, Augures, Coniectoresq́; numerantur,

tur, improbanda 1. de Diuinatione.

Deos eſſe, & quatuor ex rebus omnia conſtare. 4. Tuſcul.

Plurimùm & longè, lateq; plurimùm tribuendum honeſtati, ſed tamen & in corpore, & extra, eſſe quædam bona, quæ ex altera parte collocata minimi momenti inſtar habeant. 2. de Finibus.

Tria bonorum genera, maxima animi, ſecunda corporis, externa tertia. 5. Tuſcul. 3. Offic. 3. de Finibus.

Corporis commodis compleri beatam vitã. 3. de Finibus. Mediocritatem eſſe inter minimum & parum. 1. Offic.

Mediocritatem, vel perturbationẽ, vel morborum animi non probandam: omne enim malum, etiam mediocre, mngnum eſſe. 3. Tuſcu.

Perturbari animos neceſſe, ſed adhibendum modum quendam, quem vltra progredi nõ oporteat. 4. Tuſcnl.

Perturbationes non ſolùm naturales, ſed etiam vtiliter à natura datas vide 4. de Finib. 1. Offi. de laudibus fortitudinis, & iracundiæ.

Stoici.

STоicorum diſciplina, quos Cicero in officijs, Tuſc. de Legibus, Paradoxis, de Nat. Deo. ſequutus eſt, quorum deniq; in omnibus ferè libris plurimas ſententias Latinè expreſſit, à Zenone profecta eſt. Zeno enim, relicta veteri Peripateticorum, & Academicorum diſciplina, multa in philoſophia nouauit. Cui mox ſe Arceſilas oppoſuit. Alij etiam Stoicorum diſciplinã Academiæ veteris correctionem æſtimabant. Antiochus enim Stoicorum, & Academicorũ,

qui Stoica multa vſurpabant, ſectam conciliare voluit, & vtrorũque decreta bona conturbauit. Et Cicero ait à Peripateticis & Academicis omnia tranſtuliſſe, nominibus alijs eaſdem res ſecutos: & alio loco vna de re eſſe ſolũ diſſenſionem, quippè cùm antiqui omnes quod ſecundùm naturam eſſet, quo iuuaremur in vita, bonum eſſe decreuerint. Zeno nihil, niſi quod honeſtum eſſet, putauerit bonum. Alij non de terminis, ſed de tota poſſeſſione contentionem eſſe aiunt. Qua de re vide in Anthioco. Doctiſſimi viri fuerunt, & oẽs ferè in diſſerendo prudentiſſimi: idq́ arte faciebant, tum definiendo, tum partiendo articulatè, & diſtinctè, erantq́ archi tecti penè verborũ. Iudicandi vias diligenter perſecuti ſunt, inueniendi tñ artem totam reliquerunt. Subtile præterea, vel ſpinoſum potius diſſerendi genus ſequebantur, vt eſt libro 3. de Finibus, qui ferè totus eſt in defendenda ea diſciplina. Nam contortulis quibuſdam, & minutis concluſiunculis quaſi punctis quæ dumeta et laqueos, & aculeos diſputationum Cicero nominat, concludebant hoc pacto: Quod eſt bonũ, omne laudabile eſt: quod autem laudabile eſt, omne honeſtum eſt. Bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt. Et tamen maximè forti, & vt ita dicam, virili ratione vtebantur, atque ſententia. Cæterùm quia vim virtutis mirificè tenebant, propè abſoluti, & perfecti, deniq; ſoli philoſophi iudicati eſſent, niſi eorum licentiæ Carneades reſtitiſſet. Et vt verba mordicus tenentes quæ ſibi ex ore euelli volebant, horridiores erant in dicendo, ſic moribus quoque duriores euaſerant. Ex omnibus philoſophicis plurima

nominauerunt, ſtudioſiſſimè exquirentes vnde verba eſſent ducta, & ſuo quamq; rem nomine appellantes. Quibuſdam etiam nominibus vtebantur, quæ prima ſpecie admirationem, re explicata riſum mouerent. Aegrotationes apoellabant ἀῤῥωςήματα, de quibus diſputant enucleatè. Bona quæ alijs dicebantur, eadem præcipua, vel producta dicebant, quibus beatam vitam compleri negant. Item media officia quæ communia ſunt, & latè patent, quæ & ingenij bonitate multi aſſequuntur & progreſſione dicendi: rectum verò quod appellant, perfectum atq; abſolutum eſſe, & omnes numeros habere, nec præter ſapientiam cadere in quenquam poſſe. Ὁμολογίαν quoq; conuenientiam dicebãt, & ἡδονὴν communi nomine corporis, & animi voluptatem. Cæterùm portenta, & flagitia ab his, & à poetis dicuntur. multa cum ſuperſtitioſa ſolicitudine creduntur, multa etiam præclarè, vt ex eorum ſententijs, & præceptis, quæ acutiſſimè defendebat, intelligi poteſt. hæc ferè ſunt apud Ciceronem.

Deos eſſe qui mundum adminiſtrent: quiq; conſulant rebus humanis, πρόνοιαν dicunt prouidentiam. 2. & 3. de Nat. Deor. & 4. de Fini.

Mundum eſſe ſapientem, habere mentem, quæ & ſe, & ipſum fabricata ſit, & omnia moderetur, moueat, regat, &c. id Luc.

Fore vt ad extremum omnis mundus igneſcat, cùm humore cunſumpto, neq; terra ali poſſit, neq; remeet aer, cuius ortus, aqua omni exhauſta, non eſſe poſſit. 2. de Nat. Deor.

Mundum natura conſtare, & adminiſtrari, non vt gleba conſtat, aut fragmentum lapidis,

aut aliquid huiuſmodi nulla cohærendi natura,ſed vt arbor, vt animal, in quibus nulla temeritas,ſed ordo apparet, & artis quædam ſimilitudo. 2.de Nat.Deor.

Aerem interiectum inter mare, & cœlum, Iunonis nomine conſecrari,quæ eſt ſoror, & cõiux Iouis,quod & ſimilitudo eſt aeris, & cum ea ſumma coniunctio. 2.de Nat Deor

Quatuor ex rebus omnia conſtare. 4.de Fin.

Fato omnia fieri.de Fato.Fatalem autem illam neceſſitatem, quam εἱμαρμένην dicunt eſſe,vt quicquid accidat, id ex æterna veritate, cauſarumq́; continuatione fluxerit. 5.Tuſc.2. de Diuinat. in Top.

Multa falſa eſſe,longeq́; aliter ſe habere, ac ſenſibus videantur. In Luc.

Senſus ipſos,aſſenſus eſſe,quos quoniam appetitio cõſequatur, actionem ſequi:tolli autem omnia,ſi viſa tollantur. In Luc.

Viſa quædam mitti à Deo, velut ea, quæ in ſomnijs videantur,quæq́; oraculis,auſpicijs, extis declarantur.In Luc. κατάληψις *dicitur diuinatio. 3.de Nat.Deor.1.de Diu.2.refellitur.*

Non ſingulis iecorum fibris aut auium cantibus intereſſe Deum, ſed ita à principio inchoatum eſſe mundum, vt certis rebus certa ſigna præcurrerent,alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus,alia in oſtentis,alia in ſtellis,alia in ſomniantium viſis, alia in furentiũ vocibus. 1.de Diuin.

Eos anhelitus terræ, qui frigidi ſint,cum fluere cœperint ventos eſſe,cum autem ſe in nubem induerint,eiuſq́; tenuiſſimam quamq; partem cœperint diuidere, atque diſrumpere, idq́;

crebrius facere, & vehementius, tum & fulgura, & tonitrua exiſtere: ſi autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen. 2. de Diuina.

Simul atque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari, & commendari ad ſe conſeruandú, & ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ conſeruantia ſunt eius ſtatus, deligenda. alienari autem ab interitu, iiſq; rebus, quæ interitum videntur afferre. 3. de Finib.

Pleriſq; tamen in principio naturalibus diligendi ſui voluptatem non eſſe ponendam. 3. de Finibus.

Diu manſuros animos cum corpore exceſſerint, ſed non ſemper. 1. Tuſc.

Quæ in terris gignuntur, ad vſum hominis omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſent. 1. Offic.

Sapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere, neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum, & leuem: Viri non eſſe neq; exorari, neq; placari: Solos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi, diuites: ſi ſeruitutem ſeruiant, reges: eos autem qui ſapientes non ſint, fugitiuos exules, hoſtes, inſanos deniq;. Omnia peccata eſſe paria. Omne delictum, ſcelus eſſe nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quàm eum qui patrem ſuffocauerit. Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam. Pro Muræna. Sapientem omnia rectè facere. 4. Tuſcul. Sapienti etiam ignoto eſſe amicum.

amicum. 3.de Nat.Deor.Amatorum, & amorem ipſum, conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudine ſpecie. 3.Tuſc.

Bonum nihil niſi honeſtum, quo virtus miſta nullam requirit voluptatem, atque ad bene viuendum ſeipſa eſt contenta. 1.2.3. *de Finib. 5.Tuſc. 3.Offic.*

Nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius. In Luc.

Voluptatem, ſublationem animi ſine ratione, opinantis ſe magno bono frui, nec lætitiam, nec gaudium in corpore. 2.de Finib.

Non optabiliorem, nec magis expetendam beatam vitam, ſi ſit longa, quàm ſi breuis. 3. de Finibus.

Non creſcere bonorum finē. 3.& 5.de Fini.

Finem bonorum in vna virtute. 4.de Finib. id eſt ſecundùm naturam viuere. 3.Offic. Quo tria ſignificantur, vnum eiuſmodi, viuere adhibentem ſcientiam earum rerum, quæ natura euenirent, vt Zeno: alterum vt diceretur officia omnia media, aut pleraq; ſeruantem viuere. Tertium omnibus, aut maximis rebus ijs, quæ ſecundùm naturam ſint, fruentem viuere. Vide. 4.de Finib.

Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla aut ſtrigilis accedat, ſumpturum ſapientem eam vitam potius, quod hæc adiecta ſint, nec beatiorem tamen fore. 4.de Finib.

Dolorem non eſſe malum 2.Tuſc. abeſſe à ſapiente ægritudinem. 3.Tuſc.

Voluntatē, quæ Græcè βούλησις, dicitur, id eſt appetitio eius, quod bonū videatur, ad quod adipiſcendum impellit ipſa natura, eſſe quæ

quid cum ratione deſiderat. 3.Tuſc. Vide initium. 4 Tuſc.

Et quæ turpia re non ſunt, nec verbis eſſe flagitioſa. 1.Offic.

Modeſtiam, ſcietiam eſſe earum rerum, quæ aguntur, aut decenter ſuo loco collocandarum. Ordinem vero, compoſitionem rerum aptis, & accommodatis locis. 3.Offic.

Vrbanitatem, eſſe virtutem. 3.Epiſt.Fam.

Omnes eſſe diuites, qui cælo, & terra frui poſſunt. 7.lib.Epiſt.Famil.

Nihil eſſe ſapientis præſtare niſi culpam. 9. lib.Epiſt.Fam.

Nihil eſſe obſcænum, nihil turpe dictu. Nã ſi quod ſit in obſcænitate flagitium, id aut in re eſſe, aut in verbo: nihil eſſe tertium. 9.lib.Epiſt.Famil.

Crepitus æquè liberos, ac ructus eſſe oportere. lib.9.Epiſt.Fam.

Fugere, non eſſe ſapientis. 15 Epiſt.ad Brut.

Sapientem non iraſci. 3.de Orat.

Eloquentiam, virtutem, ac ſapientiam eſſe. 3. de Orat.

Epicurei.

EPicureus, à quo Epicurei, à doctiſſimis quibuſque contempti, nominati ſunt, homo fuit mollis, & voluptuarius, quaſi puer delicatus, nihil ceſſatione melius exiſtimans, ſine arte, ſine literis, inſultans in omnes, ſine acumine vllo, ſine autoritate, ſine lepore, cautus, ſecum pugnans, non tam facetus, quàm ad iocandum liber. Pamphilum quendam Platonis ait à ſe Sami auditum. Ibi enim adoleſcens habitabat cum patre & fratribus, quòd in eam pater eius

Neoclès

*Neocles Agripeta venerat. Sed cum agellus
eum non ſatis aleret, ludi magiſter fuit. Nihil
olet ex Academia, nihil ex Liceo, nihil ne è
puerilibus quidem diſciplinis. In phyſicis De-
mocritum, in quem tamen fuit ingratus, ſecu-
tus eſt. Cui adiecit per pauca mutans, ſed ita, vt
ea, quæ corrigere vult, deprauare videatur. Ple
raque dicit eadem, atomos, inane, imagines: in
finitatem locorum, innumerabilitatem mundo
rum, eorum ortus & interitus, omnia ferè, qui-
bus naturæ ratio continetur. Habuit & Nauſi-
phanem magiſtrū, quod non negat, omnibus tñ
eum contumelijs vexat, metuens nequid vnquã
ab alijs didiciſſe videatur. Ariſtoteli, et Phedò
ni Socratico turpiſſimè maledixit, & Metrodo
ri ſodalis ſui fratrem Timocratem, quia neſcio
quid in philoſophia diſſentiebat, totis volumini
bus concidit, & ſæpe in ſcriptis gloriatus eſt,
ſe magiſtrum habuiſſe nullum. Sua quædam no
mina habuit, vt πρόληψιν Græcè appellauit,
quàm ante nemo eo verbo nominarat, antecæ-
ptam animo rei quandam informationem, ſine
qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec di-
ſputari poteſt. Eius ſelectæ, breueſq; ſententiæ,
κυρίαι δόξαι nominatæ ſunt. Eius eſt & titilla
tionis verbum, qua voluptas ſenſibus adhibe-
tur. Et cum tertium quendam modum diceret
oriri extra pondus, & plagam, cum declinat
atomus interuallo minimo, id appellat, ἐλάχι-
στον. Ἰσονομίαν quoque æquabilem tribu-
tionem dixit eam naturam, quæ eſt in ſum-
ma illa vt infinitatis, vt omnia omnibus, pa-
ribus paria reſpondeant. Scripſit libros de Re-
gula & iudicio, de ſummo bono, de voluptate,*

qui(ait Cicero 2.de Diuin.)ſi corroſus eſſet, pu tarem annonam in macello cariorem fore. Itē de ſanctitate, de pietate aduerſus Deos. Duos & ſeptuaginta annos vixiſſe tradunt,. Quem familiares, præter quos non ferè in cuiuſquam manus veniebat, tanti fecerunt, v eius imaginem non modò in tabulis, ſed etiam in peculis, & anulis haberent, aſſererentq́; vnum vidiſſe verum, maximisq́; erroribus animos hominum liberauiſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad bene, beateq́; viuendum: ſed pleroſque minus eo delectari, quòd iſta Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti Orationis, ornamenta neglexerit In phyſicis totus fuit alienus, Dialecticā verò, quod in ea planè inermis eſſet, & nudus, contemnebat & irridebat. Tollebat diffinitiones, nihil de diuidendo, ac partiendo docebat, non quomodo efficiatur, concludaturq́; ratio, tradebat, non qua via captioſa ſoluantur, ambigua diſtinguàtur, oſtendebat. Si enim, inquit. alterutrum conceſſero, aut victurū eras Epicu rum, aut non, neceſſarium eſſe, neceſſe erit, cras Epicurum aut viuere, aut non viuere. Nulla autem eſt in natura rerum talis neceſſitas. In ea Philoſophiæ parte, qua mores cōformari putantur, cæteris voluit videri acutior Cuius ſen tentiæ, & præcepta ſunt huiuſmodi.

Deos eſſe, quod neceſſe ſit præſtante aliquam eſſe naturam 2.de Nat Deor. quodq́; in omniū animis eorum notionem impreſſiſſet ipſa natura. Anticipationem quandā vocat deorum ſine doctrina. Nōnullis tamen viſum eſt, eum, ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis reli quiſſe Deos, re ſuſtuliſſe. 1.& 3.de Nat Deor.

Nihil

Nihil curare Deos, nec ſui, nec alieni, ſed monogrammos & nihil agentes, membris humanis præditos, ſed eorum nullum vſum habere. In quo circuitione quadam Deos videtur tollere ludens. 2. de Nat. Deor.

Deorum, quos perlucidos, & perflatiles induxit ſedem eſſe, tanquam inter duos ludos, ſic inter duos mundos, propter metum ruinarum. 2 de Diuin.

In Deo opem nullam, neque gratiam. 2 de Nat. Deor. vbi refellitur.

Deum animãtium eſſe, ſpecie hominis, quia ſit pulcherrima omnium, nec tamen eã eſſe corpus, ſed quaſi corpus, nec habere ſanguinẽ, ſed quaſi ſanguinem. Fugiebat enim indiuiduorum corporum concretionem, ne interitus, & diſſipatio conſequeretur. 3. de Nat. Deor.

Deos beatos eſſe, & æternos. 2 de Finib.

Deorum opera mundum non eſſe fabricatũ, ſed ex atomorum, id eſt indiuiduorum, & ſolidorum corporum, quæ ſuo deorſum pondere ad lineam ferrentur (qui eſt naturalis omnium corporum motus) complexionibus, & copulationibus, & adhæſionibus inter ſe, mundum omneſq; partes mundi, quæque in eo eſſent, effici. 1. de Finib.

Solem quaſi pedalem, aut bipedalem, poſſe etiam minorem eſſe quàm videatur, aut maiorem, ſed non multò, vt oculi aut nihil, aut non multum mentiantur. 2. Acad. & 1. de Finib.

Nunquam ſenſus mentiri, ſed omnes veros eſſe in ijsq; iudicia rerum poſita. Quorum ſi vnus ſemel in vita mentitus ſit, ſublatum eſſe omne iudicium veri, & falſi. 1. de Finib.

Nullam in natura rerum neceſſitatem.

Opinione à perſpicuitate ſeiungendam, quæ veri conturbat cognitionem. 2. *Acad.*

Quicquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum eſſe ponderibus & motibus. 1. *de Finibus.*

Pecudis, & hominis idem bonum. 1. *Acad.*

Ad voluptatem, & dolorem, & quæ fugiamus, & quæ ſequamur, referri oïa. 1. *de Finib.* & 2. *Omnes animi & voluptates, & dolores ad corporis voluptates, & dolores pertinere.*

Vltimum bonorum in voluptate, idq́ ſenſibus indicari, & commoueri, vt ne argumentandum quidem de eo ſit. 1. 2. & 3. *de Finibus. Voluptatis autem verbo ſignificari ſaporem, & corporum complexum, & ludos, atque cantus, & formas eas, quibus oculi iucundè moueantur.* 3 *Tuſc.*

Summum malum, dolorem. 1. *de Finib.* & 2. *Tuſcul.*

Inter voluptatem, et dolorem, nihil mediũ. Nam omni dolore carere, non modò voluptatem eſſe, verumetiam ſummam voluptatẽ, eam enim augeri, amplificariq́ non poſſe. 1. *de Finib.* & 3. *Tuſc.*

Non minorem percipi voluptatem ex contemptiſſimis eſcis & potionibus, quàm rebus exquiſitiſſimis ad epulandum. 1 *de Finib.*

Cupiditatum tria genera, vnum earum, quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ; alterum, quę naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ; tertiũ, quæ nec naturales, nec neceſſariæ, quarum nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt. 1. *de Finib. Reprehenditur quod partem in genere numeret.*

meret, Duo enim genera eſſe, naturales, & inanes: naturalium item duo, neceſſarias, & non neceſſarias.

Non poſſe iucundè viui niſi ſapienter, honeſtè iuſteq́; viuatur: nec ſapienter, honeſtè, iuſte, niſi iucundè. 1. & 2. de Finib.

Rem definiri, non placere. 2 de Finib.

Sapientem ſemper eſſe beatum, finitas habere cupiditates, negligere mortem 3 de Finib.

Honeſtum expeti propter voluptatē: qui negāt, eos inani voce ſonare, vel, vt eſt in 3. Tuſc. voces inanes fundere Sic enim loquebatur.

Parere animum rationi poſſe, & quò illa ducat ſequi. 3. Tuſc.

Leuationem ægritudinis in duabus rebus poſitā eſſe, auocatione à cogitanda moleſtia, & reuocatione ad voluptates contēplandas. 3 Tuſc.

Opinionem mali ægritudinem eſſe natura, ſiue illud antè prouiſum, & expectatum ſit, ſiue inueterauerit: neq; enim vetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora. 3. Tuſc.

Naturales diuitias parabiles eſſe, quòd paruo eſſet natura contenta. 3. de Finib.

Diuturnitatem temporis ad beatè viuēdum nihil afferre, nec minorem voluptatem percipi in breuitate temporis, quàm ſi illa ſit ſempiterna. 2. de Finib.

Nullam in ſapientem vim eſſe fortunæ. 3. Tuſc. & 2. de Finib.

Magnum, dolorem breuem, longinquum, leuem. 2. de Finib. & 2. Tuſc.

Nec gaudere quēquam niſi propter corpus, nec dolere. 1. de Finib.

Mortem nihil ad nos pertinere, quòd ſine ſen

ſu ſit, id quod diſſoluitur. 2 de Finib.

Si vratur, ſapiens, ſi crucietur, in Phalaridis tauro ſi erit dicturum, quàm ſuaue eſt hoc, quàm hoc non curo.

Zeno.

ZEno Citicus ex Cipro inſula, Stoicorum princeps & pater fuit, homo acutus, vere cundiâ, & libertatem loquendi amans. Is cùm Polemonem audiſſet, valdeq́; ſubtiliter diſſere ret, & peracutè moueretur, Peripateticorum ſatis copioſè, & eleganter conſtitutam diſcipli nam corrigere conatus eſt. Partitionem Philo ſophiæ in tres partes retinuit. In cæteris ſentiebat idem, aliter loquebatur, nihilq́; præter nouitatem verborum afferebat. Cui tamen cur hoc faceret, nullam cauſam fuiſſe, ait Cicero. 4. de Finibus, vbi de eo multa dicuntur. Si enim ea, quæ dicit, ita ſentiret, inquit vt verba ſignificant, nihil inter eum vel Pirronem, vel Ariſtonem præceptorem intereſſet: ſin autem eos non probabat, quid attinuit cum iis, quibuſ cum re conueniebat, verbis diſcrepare? Breuibus & acutulis concluſionibus, quod vellet, efficiebat, ſimilitudine ſæpe vtens, vt viſum, aſſenſum, comprehenſionem & ſcientiã geſtu, & ſimilitudine manuum diſtinguebat. Nam cùm extenſis digitis aduerſam manum oſtenderat, viſum, inquiebat, huiuſmodi eſt deinde cũ paulum digitos contraxerat, aſſenſus huiuſmodi: tum cùm plane cõpreſſerat, pugnumq́; fecerat, cõprehenſionem illam eſſe dicebat. Qua ex ſimilitudine etiã nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν impoſuit, cum aũt leuam manum admouerat, & illa pugnũ arctè vehementerq́;

terq́, compreſſerat, ſciētiam talem eſſe dicebat, cuius compotem, niſi ſapientem eſſe neminem. Cum eo Academiæ nouæ magna rixa fuit. Magnam præterea moleſtiam primus ſuſcepit, & minimè (vt ait Cicer.) neceſſarium commentitiarium fabularum reddere rationem, vocabulorum cur quidq; ita appellatum ſit, cauſas explicare. Itaque cùm Heſiodi Theogoniam interpretatur tollit omnino vſitatas, perceptasq́ cognitiones deorum. Denique neq; Iouem, neque Iunonem, neq; Veſtam, neque quenquam, qui ita appellatur, deorum habendum numero, ſed rebus inanimatis, atq; mutis per quandam ſignificationem hæc tributa nomina. 2. de Natura Deo.

Aethera ſummum, Deum, mente præditum: quo omnia regantur. In Luc. . de Nat. Deo.

Quatuor ſolum initia rerum: quintam Ariſtot. naturam non adhibendam. 1. Academic. 4. de Finibus.

Animum, ignem. 1. Tuſc.

Naturam eſſe ignem, quæ quidq; genuerit, & mentem, atque ſenſus. Ignem autē artificio ſe ad gignendum progredientem via. 2. de Natura Deorum.

Deum eſſe mundum, eumq́ animantem, & ratione præditum: nihil enim poſſe effici ab eo, quod eſſe expers corporis. 1. Acad.

Senſus iunctos eſſe è quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus, quam nos viſum appellemus licet. 1. Acad.

Quæ viſa ſunt, & quaſi accepta ſenſibus, aſſenſionem adiungere animorum, quam eſſe vult in nobis poſitam & voluntariam. 1. Aca.

Viſis

Viſis non omnibus adiungendam fidem,ſed his ſolùm, quæ propriã quandam haberent declarationem earum rerũ, quæ viderentur. Id autem viſum, cùm ipſum cerneret comprehenſibile. Quod cùm acceptum iã, & approbatum eſſet,cõprehenſionem appellari, ſimilem his rebus,quæ manu reprehenderentur. 1.*Acad.*

Quod erat ſenſu comprehenſum,idipſum ſenſum appellari, & ſi ita erat cõprehenſum, vt conuelli ratione non poſſit, ſcientiã, ſin aliter, inſcientiã,ex qua exiſteret opinio, quæ eſt imbecilla,& cum falſo,incognitoq́; cõmunis. Sed inter ſcientiam,& inſcientiã, comprehenſionẽ collocari,eamq́; neq; in rectis, neque in prauis numerari,ſed ſoli credendum eſſe. 1.*Acad.*

Senſibus fidem tribuendã, quòd comprehẽſio facta ſenſibus & vera eſſet,& fidelis. 1.*Aca.*

Naturam quaſi normam ſcientiæ,& principium ſui dediſſe, vnde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur, è quibus non principia ſolùm, ſed rationes quædam ad rationem inueniendam vitæ reperiuntur. 1.*Acad.*

Errorem,& temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & ſuſpicionem à virtute ſapientia e remouendam. 1.*Acad.*

Naturalem legem,diuinam eſſe,eamq́; vim obtinere recta imperantem,prohibentemq́; contraria. 2.*de Finib.*

Rationem quandam per omnia pertinentẽ, naturam vt diuinam eſſe. Aſtris hoc idem tribuendum,tum annis,mẽtibus, animorumq́; mutationibus. 1.*de Nat.Deor.*

Mundum animantem ratione regi, ſapientem alioqui ex ſe non poſſe animantem,compotemq́;

temq́; rationis procreare. 2. & 3. de Nat Deo.

Ipſius mundi, qui omnia complexu ſuo coercet & continet, naturam, non artificioſam ſolùm, ſed planè artificem, conſultricem, & prouidam vtilitatum, opportunitatumq́; omnium. 2. de Nat. Deor.

Contrahi animum & quaſi labi, atq; concidere & ipſum eſſe dormire. 2. de Diuin.

Omnem vim loquendi in duas diuiſam partes: Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem. 2 de Finib. & in Orat.

In vna virtute, quæ eſt ingenij præſtantia, omnia quæ ad beatam vitam pertinent, poſita. In Luc. 5. de Finib. & 5. Tuſc.

Cętera autem etſi nec bona, nec mala eſſent, tamen alia ſecundùm naturam, alia naturæ cõtraria ijs ipſis, alia interiecta, & media. Vide in Luc. ſub finem. & 4. de Finib.

Eſſe verum quoddam & ſimplex bonũ, quod non poſſit ab honeſtate ſeiungi. In Luc.

Sapientem, etiam ſi mendicus ſit, non beatum modò, ſed diuitem, ſemperq́; beatiſſimum. 5. de Finib.

Nihil malum, niſi quod turpe & vitioſum ſit. 2. Tuſc.

Virtute non poſſe conſtare ſi in cæteris rebus eſſet quicquam, quod aliud alio melius eſſet, aut peius. 4. de Finib.

Dolorem aſperum contra naturam, difficilẽ perpeſſu, triſtem, durum. 2. Tuſc.

Perturbationem, ſiue quod πάθος ille dicit, eſſe auerſam à recta ratione, contra naturã animi commotionẽ, vel appetitum vehementiorẽ, qui procul abſit à naturæ conſtantia. 4. Tuſc.

Pythago-

Pythagoras.

PYthagoras Pherecidis diſcipulus fuit præſtanti ſapientia & nobilitate, ſumma autoritate, ſine vlla hilaritate. Quietem atque ocium ſequutus à regendis ciuitatibus totum ſed ad cognitionem rerum trãſtulit. Cumq; vbi quid eſſet, quod diſci poſſet, eò iudicaret veniendum, vltimas terras peragrauit. Aegyptum luſtrauit, & Perſarum Magos adijt, difficiles Barbarorum regiones pedibus obijt, multa maria tranſmiſit. Venit etiam Phliuntem, & cũ Leone Principe Phliaſiorum doctè & copiosè quædam diſſeruit, non ſine admiratione eius ingenij & eloquentiæ. Philoſophi nomen primus inuenit, cùm ante eum ſapientes & haberentur, & nominarentur, qui in rerum contemplatione ſtudia ponerent. Inde, Superbo regnante, in Italiam, in qua fuit temporibus ijſdem quibus L. Brutus patriam liberauit: tenuitq; magnam Græciam cum honore, & diſciplina, tũ etiam autoritate: ac eam & priuatim, & publicè exornauit præſtantiſſimis & inſtitutis & artibus. Locus, ſedesq;, vbi vitam edidit, in Metaponto eſt. Doctrina verò cum longè lateq; flueret, Romam permanaſſe dicitur, idque cum coniectura probabile eſſe, tum quibuſdam etiã veſtigijs indicari, ait Cicero. Quis enim eſt, qui putet, cum floreret in Italia, Græcia potentiſſimis & maximis viribus ea, quæ magna dicta eſt, in hisq; primum ipſius Pythagoræ, deinde poſtea Pythagoreorum tantùm nomen eſſet, vt nulli alij docti viderentur, Romanorum ad eorum doctiſſimas voces, aures clauſas fuiſſe? Quinetiam arbitratur propter Pythagoreorum admirationem

admirationem Numam quoque regem (etſi annis permultis ante fuit, quàm Pytagoras) Pythagoreum à poſterioribus exiſtimatum. Nam cum Pytagoræ diſciplinam, et inſtituta cognoſcerent, regisq; eius æquitatem, & ſapientiam à maioribus ſuis accepiſſent, ætatem & tempora ignórarent propter vetuſtatem, eum qui ſapientia excelleret, Pytagoræ auditorem fuiſſe crediderunt, Pytagoreos autem (qui Philoſophi Italici nominantur) carminibus ſolitos eſſe dicunt, & præcepta quædam occultius tradere (ſolebant enim multa celare alienos) & mentes ſuas à cogitatione intentionem cantu fidibusq; ad tranquillitatem traducere. Præterea ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex ex ijs quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. Ipſe autem, erat Pythagoras. Tantùm opinio præiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret autoritas. Eius ſunt hæ ſententiæ.

Ex numeris & Mathematicorum initijs proficiſci omnia. 1. Acad.

Aram deorum ſanguine non aſpergendam, 1 de Natura Deorum, vide in Diogene Laer. μετεμψύχωσιν.

Animum Deum per naturam rerum omnẽ intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur. 1. de Nat. Deo. vbi refellitur: delibatos animos ex vniuerſa mẽte diuina. de Sen.

Tum maximè pietatem, & religionem verſari in amicis, cùm rebus diuinis operam demus. 2. de Legibus in Acad.

In iuſſu Imperatoris Dei de præſidio & ſtatione vitę non decedendum. 2. de Legib.

primus a rebus occultis, & ab ipſa natura inuolutis, (vt ſunt numeri, motuſq́ue, & vnde omnia oriantur, quòve recedant, ſiderum magnitudines, interualla, curſus, & cuncta cœleſtia) in quibus ante eum Philoſophi occupati fuerunt auocauit Philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, vt de virtutibus, & vitijs, omninoq́ue de bonis rebus, & malis quęreret: cœleſtia autem vel procul eſſe à noſtra cognitione cenſeret, vel ſi maximè cognita eſſent, nihil tamen ad benè viuendũ conferre, ob eamq́ue cauſam eum aiunt Philoſophiam de cœlo deuocaſſe, & in domos introduxiſſe. In omnibus ferè ſermonibus, qui a Platone: & Xenophonte, & Aeſchine prę ſcripti ſunt diligenter, ita diſputat, vt nihil affirmet ipſe, refellat alios, nihil ſe ſcire dicat, niſi idipſum, eoq́ue pręſtare cęteris, quod illi, quę neſciant, ſcire ſe putent. Ipſe ſe nihil ſcire, id vnũ ſciat, ob eamq́ue cauſam, ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum, quòd hęc eſſet vna ſapientia, non arbitrari ſe ſcire quod neſciat. Quę cum diceret conſtanter, & in ſententia permaneret, omnis eius oratio tum in virtute laudanda, & in omnibus hominibus ad virtutis ſtudium cohortandi conſumebatur; perfectum ſibi opus eſſe ratus, ſi quis ſatis eſſet concitatus ſua cohortatione ad ſtudium cognoſcendę, percipiendęq́ue virtutis. Quibus enim id perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe, quam bonos viros, ijs reliquam facilem eſſe doctrinam. Sophiſtarum, qui arrogantibus ſanè verbis docere ſe profitebantur, quemadmodum cauſa inferior fieri ſuperior poſſet, opiniones percontando

&

& interrogãdo (vt ex Platone intelligi poteſt) elicere ſolebat, vt ad ea, quæ hi reſpondiſſent, ſi quid videretur diceret, de omnibus diſputans. Hac enim ratione contra alterius opinionem diſſerendo facillimè, quòd veriſſimum eſſet, inueniri poſſe iudicabat. Xantippe eius vxor prædicare ſolita eſt, eodem vultu ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo & reuertentẽ. Cùm enim mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio, erat quoque ſemper idem vultus, eademq; frõs. Inductione, quæ ex pluribus collationibus peruenit quò vult, quęq; Græcè παραγωγὴ nominatur, plurimùm eſt vſus in ſermonibus & ſocietatibus faceta etiam, & eleganti ironia diſſimulãtiaq; longè omnibus præſtitit. Homo enim minimè ineptus, & idem etiam facetus, cùm de ſapientia diſputaretur, hanc ſibi ipſe detrahebat, eis tribuere illudens, qui ea ſibi arrogarent, vt apud Platónem, in cęlum fert laudibus, Prothagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, & cæteros, ſe autem omnium rerum inſcium fingit, & rudem. Dicuntur ab eo diſſociati diſerti à doctis, & deinceps à Socraticis omnibus philoſophi eloquentiam diſpexiſſe, oratores ſapientiam, hincq; diſſidium illud extitiſſe quaſi lingua atque cordis, vt alij nos ſapere, alij dicere, docerent. Scelere tandem & iniquitate iudicum in carcerem coniectus eſt: in quo nec patronum quæſiuit ad iudicium capitis, nec Iudicibus ſupplex fuit (quorum magiſter & domus, videbatur eſſe potius quàm ſupplex aut reus) adhibuitq; liberam contumaciam à magnitudine animi ductam, non à ſuperbia, & ſupremo vitæ die: de immortalitate animo

rum

rum multa diſſeruit, & paucis ante diebus, cũ facile poſſet educi è cuſtodia, noluit: cumq; pene iam manu mortiferum illud teneret poculum; locutus ita eſt, vt non ad mortem trudi, verum in cęlum videretur aſcendere. Critoni verò ſuo familiari dixit, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum: vidiſſe enim in ſomnis pulchritudine eximia fœminam, quæ ſe nomine appelans, diceret Homericum quondam eiuſmodi verſum.

„ *Tertia te Phtiæ tempeſtas læta locabit.*

Quod vt eſt dictũ, ſic ſcribit Plato cõtigiſſe.

Vide de ſepul. et Lyſia oratione in Apoph.

Huius ferè decreta ſunt hæc apud Ciceronem.

Animos hominum eſſe diuinos, eorumq; duplices curſus è corpore excedentiũ. Impijs quod dam iter eſſe ſecluſum a concilio deorum: bonis verò & caſtis, ad deos a quibus eſſent, profecti, facilem reditum patere. 1. Tuſc. & de Amic.

Bonos beatos, improbos miſeros. 5. Tuſ. Vide Apoph.

Bonorum vitam beatam. 5. Tuſc.

Inter Alcibiadem ſummo loco natum, & quemuis baiulum, niſi virtutẽ haberet, nihil intereſſe 3. Tuſcul.

Vtilitatem a natura non eſſe ſeiungendam. 1. de Legibus. & 3. Offi.

Voluptatem nullo loco munerandam. Cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim. 2. de Finibus & 5. Tuſc. in Apoph

Omnes in eo, quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes. 1. de Orat.

Plato.

PLato Iſocratis fuit æqualis. Homo varius, & multiplex, & copioſus, doctus, & planè ſapiens

logi dicuntur (in quibus locutio & ſi abſit à verſu, tamen quod incitatius feratur, & clariſſimis verborum luminibus vtatur, potius poema putanda, quàm comicorum poetarum) nihil affirmatur,& in vtranque partem multa diſſeruntur,de omnibus quæritur,nihil certi dicitur,omnibus fore Socrates exprimitur. Iniquitate Dioniſii Siciliæ Tiranni, cui ſe commiſerat, in maximis periculis, inſidiysq́; verſatus eſt. Tandem verò vno & octogeſimo anno ſcribens mortuus. Ab eo vna & conſentiens duobus vocabulis Philoſophiæ forma inſtituta eſt: De qua diximus in Academicis, & Peripateticis. Huius ferè decreta ſunt hæc à Cicerone notata.

Deum:
- Α'σώματον,id eſt,ſine corpore vllo. 1.de Nat.Deor.
- Opificem, ædificatoremq́; mundi. De Vniuerſ.
- Patrem huius mundi, qui quid ſit, inquirendum non eſſe. 1. de Natura Deorum.
- Donis ab impiis non eſſe placandum, cùm vir nemo probus ab improbo ſe donari velit. ſecundo de Legibus.

Caſta dona Deo conſecranda. Vide 2. de Legibus.

Ex materia in ſe omnia recipiente mũdum eſſe factum à Deo ſempiternum. In Luc.

Mentem,ideam ſolam,cui crederetur, quia ſola cerneret id, quod ſemper eſſet ſimplex, & vnius modi,& tale quale eſſet. 1.Acad.

Deos eſſe motus,vnum ſuum, alterum exter-

Titanum è genere eſſe eos, qui vt illi cœleſtibus, ſic hi aduerſantur magiſtratibus. 3. de Leg.

Quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecuturam. 3. de Legib. & 1. Epiſt. Famil.

Ei, qui Reip. præfuturus ſit, duo tenenda, vnum, quicquid agitur, ad vtilitatem ciuium referendum: Alterum, totum corpus Reip curandum. 1. Offic.

Naturales quaſdam eſſe conuerſiones rerump. 2. de Diui.

Philoſophos in veri inueſtigatione verſari, eoſque iuſto. 5. Tuſc.

Nihil præter virtutem bonum. 5. Tuſ.

Oculorum ſenſum acerrimum. 2. de Finibus.

Poetas ex ciuitate eijciendos, quòd neruos omnes virtutis elidant. 2. Tuſc.

Bonos beatos, improbos miſeres. 5. Tuſc.

Sapientem effici neminem, ſi bis in die ſatur fiat, nec vnquàm pernoctet ſolus. 5. Tuſc.

Nihil tam effluere in animos teneros atque molles, quàm varios canendi modos. 2. de Leg.

Muſicorum cantibus mutatis, mutari ciuitatũ ſtatus. 3. de Leg.

Iuſta funerum ad interpretes religionũ pertinere, ſepulchrorum nullam partem ex agro culto, eòve, qui coli poſſit, ſumendam. 2. de Legibus.

Sic ad ſomnum proficiſcẽdum corporibus affectis, vt nihil ſit, quod errorem animis perturbationemq́; afferat. 1. de Diuin.

Voluptatem, malorum eſcam. de Senec.

Vim neque parenti, neque patriæ afferendã. 1. Epiſt. Famil. vide reliqua in Apoph.

Y Ariſto-

Ariſtoteles.

ARiſtoteles Stagirites longè omnibus (Platone excepto) ingenio & diligentia præſtans, in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acerrimus, admirabili quadam ſcientia & copia cæterorum ſtudia reſtinxit. Platonis alumnus fuit. A quo tamen vno (vt quidã aiunt) diſſentiens, in tertio philoſophię libro multa turbauit: modò enim menti tribuere omnem diuinitatem, modò alium præfeciſſe mundo, eiq́; eas partes tribuiſſe aſſerunt, vt replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur, tum cæli ardorem Deum eſſe, dixiſſe, cùm non intelligeret cælum mundi eſſe partem, quẽ alio loco deſignarit Deum, & primùm eas ſpecies, quas mirificè magiſter Plato erat amplexatus, labefactaſſe. Veteres Philoſophos accuſans, qui exiſtimaſſent philoſophiam ſuis ingenijs eſſe perfectam, dicebat eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe, ſed ſe videre, quòd paucis annis magna acceſſio facta eſſet, breui tempore philoſophiam planè abſolutam fore. Itaque vitæ degendæ ratio maximè quidem illi placuit quieta, in contemplatione, & cognitione poſita rerum: quæ quia Deorum erat ſimillima, ſapiente viſa eſt digniſſima, atque ijs de rebus, & ſplendida eſt eius & illuſtris oratio. Duo genera eius librorum ſunt, vnum populariter ſcriptum, quòd ἐξωτερικον *appellatur: alterum limatius, quod in commentarijs relictum eſt. Perſecutus eſt omnium animantium ortus, victus, figuras: tum omnium ferè ciuitatum non Græciæ ſolùm, ſed etiam Barbariæ mores, inſtituta, diſciplinas: qualem in Rep.*

principem eſſe conueniat, qui eſſet optimus Rei pu. ſtatus docuit, omneſq́; hunc ciuilem locum poſt Platonem principem illuſtrauit. Grauiter, & verè eos reprehendebat, qui has effuſiones pecuniarum non admirentur, quæ ſunt ad multitudinem deliniendam. Tandem verò cum florere Iſocratem (cui paulò infenſius aduerſatus fuiſſe videtur) nobilitate diſcipulorum videret, quod ipſe ſuas diſputationes a cauſis forenſibus & ciuilibus, ad maiorem ſermonis eloquentiam tranſtuliſſet, mutauit repente totam formam propè diſciplinæ ſuę, verſumq́; quendam de Philoctete paulò ſecus dixit. Ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum Barbaris, hic autem cum Iſocratem pateretur dicere. Itaque ornauit, & illuſtrauit doctrinam illam omnem, quam promeridianis horis docebat, rerumq́; cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. De Rethorica ſcripſit accuratè, eiuſq́; originem ſic docuit. Cum ſublatis in Sicilia Tyrannis rei priuatæ longo interuallo iudicijs repeterentur, tum primum (quod eſſet acuta illa gens, & controuerſa natura) artem & præcepta Siculos Coracem & Tyſiam conſcripſiſſe. Nam antea ſolitum neminem viæ nec arte, ſed accuratè tamen & de ſcripto, pleroſq; dicere, ſcriptaſq́; fuiſſe, & paratas a Protagora rerum illuſtrium diſputationes, quæ nũc cõmunes dicuntur loci. A principe igitur illo, atq; inuentore Tyſia veteres artis ſcriptores repetitos vnum in locum conduxit, et nominatim cuiuſq́; pręcepta magna conquiſita cura conſcripſit, atq; enodata diligenter expoſuit: ac tãtum ipſis inuentoribus ſuauitate, & breuitate dicen-

di præſtitit, vt nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes, qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quaſi ad quendam multò commodiorem explicatorem re uertantur. Huius mos in docendo fuit, vt adoleſcentes non ad Philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam Rethorum in vtrã que partem, vt ornatius & uberius dici poſſet, exerceri. Idemq́; vt in omni cauſa duas contra rias rationes explicarent, locos (ſic enim appel lat) quaſi argumentorum notas, tradidit, vnde omnis argumentatio, & ad Philoſophorum diſputationem, & ad hanc, qua in cauſis, vtimur, inueniretur. Quo factum eſt, vt Philippus Rex ſapientiſſimus hunc filio ſuo Alexandro doctorem acciperit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & eloquendi. Cùm verò argumentandi genus, quod per ratiocinationem expolitur, ſummè ab eo eſſet frequentatum, poſtea Stoici, qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt. Ciceronis temporibus ab ipſis phi loſophis, præter admodum paucos, ignorabatur. Quos in Topicis reprehendit Cicero, quod non modo rebus his, quæ ab illo dictæ, & inuenræ ſunt, allici debuerunt, ſed dicendi quoque quadam cum copia, tum etiam ſuauitate. Huius ſunt decreta hęc notata à Cicerone.

Deos eſſe huius mũdi moderatores. 2. de Natura Deorum.

Mundum non eſſe ortum, quod nulla fuerit nouo cõſilio initio iam pręclari operis inceptio. In Luc. 4. & 1. Tuſcul.

Quintum eſſe genus vacans nomine è quo ſint aſtra, menteſq́; ſingulares, quatuor elemen

torum

torum diſſimile. 1.*Acad.*1.*Tuſc.*

Animũ ἐντελεχίαν *nouo nomine,id eſt quan dam continuatam & perennem motionem*. 1. *Tuſcul.Vide* 1.*de Diuin.de anima in Eudemi ſomnio*.

*Quæ mouentur aut natura moueri omnia, aut vi,aut voluntate.*2.*de Nat.deo.*

*Ortum quorundam animalium in igne vel æthere, quod ſit ad gignenda animalia aptiſſimus.*2.*de Nat.deor.*

Somnia fieri ex reliquijs inhærentibus earũ rerum quas vigilans geſſeris,aut cogitaris. 2. *de Diuin.*

Omnes ingenioſos,melancholicos, habere etiam aliquid in animis prҿſagiens ac diuinum. 1.*Tuſcul.*

Apud Hypanem fluxium, qui ab Europæ parte in pontum influit, beſtiolas quaſdam naſci, quҿ vnum diem viuant. primo Tuſculanarum.

Grues cum loca calidiora petentes, maria tranſmittunt, trianguli formam efficere: eius enim ſummo angulo aerem ab aduerſo pelli, deinde ſenſim ab vtroque latere tanquàm remis, ita pennis curſus auium leuari. 2.*de Natu.deo.*

Omnia,quҿ ſecundùm naturam ſint, bona, quæ autem, contrà,mala. Diuitias bonum. 4. *de Finibus.*

*Honeſtatem non ſolùm expetẽdam,ſed omni pondere grauiorem eſſe habendam, quàm reliqua omnia.*3.*Offic.*

*Virtutem ad ſupplicium cum beata vita in Taurum deſcendere.*3.*Tuſc.*

Rhetoricam quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ. in Orat.

Tribus in generibus rerum verſari rhetoris officium, demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali. 1. de Inuent.

In deliberatiuo finem eſſe vtilitatem. 2. de Inuent.

In oratione numerum, non verſum eſſe debere. Orat.

Qui pedes ſeruandi ſint, vide ibidem.

Eam figuram, quam Rhetores Hypallagen appellant, metonymiam grammatici, vt cum pro Afris immutamus, Africam, tranſlationi ſubiungi, & abuſionem, quam catacriſim vocant, vt cum minutum dicimus animum pro paruo. in Orat.

Speuſippus.

SPeuſippus a Platone auunculo relictus eſt, quaſi philoſophiæ hæres cum Xenocrate in Academia. Cenſuit vim quandam eſſe, qua omnia, regantur, eamq; animalem, volens euellere ex animis cognitionem deorum. 1. de Natur. Deor.

Xenocrates.

XEnocrates Ariſtotelis diſcipulus de natura Deorum libros ſcripſit, in quibus nulla ſpecies diuina deſcribitur. Tantopere virtutem exaggerauit, & extenuauit cætera: & abiecit, vt inde philoſophorum grauiſſimus ſit habitus, cum tamen eſſet hebes, & tardus ingenio. Hinc ciues, eum teſtimonium dicentem, iurare prohibuerunt. Vide eius Apoph. Huius verò hæc ſunt preſepta.

Nullam eſſe animi figuram: & quaſi corpus,

verum

verum numerum, cuius, vis in natura maxima eſſet 1. Tuſc.

In virtute non beatam modò vitam, ſed etiã beatiſſimam. 5. Tuſc.

Deos eſſe octo: quinque eos, qui in ſtellis vagis nominantur: vnũ qui ex omnibus ſideribus, quę infixa cœlo ſunt, ex diſperſis quaſi membris ſimplex: ſi putandus Deus ſeptimum Solem: octauum Lunam. 2. de Nat. deor.

Polemo.

P*Olemo Athenienſis cum in adoleſcentia voluptarius eſſet & impudicus, Xenocratis oratione de temperantia ſeipſum collegit, & eum poſtea inſequutus. Diſputauit cum Zenone, ſummumq́; bonum eſſe dixit ſecundùm naturam viuere, finiri tamen adiuncto aliquo, vide 4. de Finibus.*

Crantor.

C*Rantor Solenſis, Xenocratis auditor, Polemoniſq; ſocius in docendo fuit in veteri Academia, vel in primis nobilis. Scripſit de luctu aureolum, & vt Tuberoni Panætius præcepit, ad verbum ediſcendum libellum, vbi illud erat. Teringum quendam Eleſium, cùm grauiter filij ob mortem mœreret, veniſſe ad Pſycomanlium, quærẽtem quę fuiſſet tantę calamitatis cauſa, huic in tabulis tres huiuſmodi verſiculos datos,*

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euthynous potitur fatorum munere lęto.
Sic fiet vtilius finiri ipſiq́; tibiq́;.

Nullam poſſe eſſe indolentiam tenuit.

Nam iſtud nihil dolere, immanitatis in animo, ſtuporis in corporis. 2. Tuſc.

Chryſippus.

CHriſippus Solenſis, Cleanthis diſcipulus, homo fuit acerrimo ingenio, qui fulcire porticum Stoicorum dictus eſt, in quibus ab eo nihil prætermiſſum putabatur.

Contra Academicos & Ariſtonem de ſummo bono diligentiſſimè diſputauit. De quo putabat tres ſolas eſſe ſententias, quæ defendi poſſint: aut enim honeſtatem eſſe finem bonorum, aut voluptatem, aut vtrunque. Nam qui dicāt ſummum bonum ineſſe, ſi vacemus omni moleſtia, eos inuidioſum nomen voluptatis fugere, ſed in vicinitate verſari. Quod facere eos etiā, qui illud idem cum honeſtate coniungerent: nec multo ſecus, eos, qui ad honeſtatem prima natura commoda adiungerent. De voluptate autem cum honeſtate nō magnam cum cæteris habuit contentionem. Multum operæ conſumebat dū morbis corporum compararetur morborum animi ſimilitudo. Cumq́; de perturbationibus animi diſputaret, magnam partem in ijs partiendis, & definiendis erat occupatus. Illa ſicut cæterorum Stoicorū perexigua oratio erat qua mederetur animis, nec eos turbulentos eſſe pateretur. Studioſè omnia conquiſiuit contra ſenſus, & perſpicuitatem, contraq́; omnem conſuetudinem, contraq́; rationem. In quo quæri ſolebant Stoici, ipſum ſibi reſpondentem inferiorē fuiſſe, & inde armatum Carneadem totam de diuinatione duobus libris explicauit ſententiā, vno præterea de ſomnijs, vno de oraculis, quæ innumerabilia collegit, nec vllum (vt erat in omni hiſtoria curioſus) ſine locuplete aucto

re atque teſte: Stoicorum etiam ſomniorum vaferrimus interpres fuit, & de Natura deorum libros ſcripſit: quorum argumenta ſunt primo & ſecundo de Diuinatione. Prætereà de legibus. Ex quibus tota de lege Ciceronis diſputatio ſumpta eſt, tametſi Platonis exemplo de legibus diſſeritur. Denique da Rhetorica, ſed ſic (ait Cicero) vt ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil aliud legere debeat: De dialecticis ab eo maximè eſt elaboratum. In quibus quædam proponebat, quæ ne ipſe quidem potuit diſſoluere: Quale illud eſt; Si dicis te mentiri, verumq́; dicis, mentiris igitur. Ad diſſoluendas captiones ſoritarum volebat aliquanto priùs, quàm ad multa perueniat, quieſcere nec vltra progredi quod ἡσυχάζειν, dicitur. In hac Stoicorum arte, quæ Ciceronis ætate florebat: paruum inter hunc, & Diodorum conueniebat, vt Cicero ſcribit in epiſtola quadã ad Varronem. Diodorus enim id ſolum fieri poſſe dicebat, quòd aut eſſe verum, aut futurum eſſet verum: quicquid futurum non eſſet, id fieri non poſſet. Chryſippus autem quæ non ſunt futura, poſſe fieri, vt frangi hanc gemmam, etiam ſi id nunquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corinthi, quãquam id millеſimo ante anno Apollinis oraculo editum eſſet. Contagionem etiam probabat, rerum conuenientiam ex coniunctione naturæ, & quodam tanquam contractu, cum ipſa rerum natura continuata ſit & cohærens, συμπάθειαν Græci vocant. Itaque fati aſſertor, voluntatis libertatem retinebat. Fatum enim non ex neceſſarijs cauſis, & principalibus

 mediis,

necti, ſed ex ijs, quæ præcurſionem afferunt, & anteceſſionem, ſine quibus res effici non poſſit. De quo ſic Cicero de Fato: Cum, inquit, duæ ſententiæ fuiſſent veterum Philoſophorum, qui cẽſerent omnia ita fato fieri, vt id fatum vim neceſſitatis afferat, in qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles: altera eorum, quibus viderentur ſine vllo fato eſſe animorum motus voluntarij, Chriſippus tanquam arbiter honorarius, medium ſe ferre voluit, ſed applicat ſe ad eos potius, qui neceſſitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis vtitur ſuis, delabitur in eas difficultates, vt neceſſitatem fati confirmet inuitus. Itaque æſtuans, laboransq́; orationis genus inſolens, & ignotum Medicis, Geometris, & reliquis ſequebatur, negationes infinitarum coniunctionum potius, quam infinita connexa ponens, hoc modo. Non & natus eſt quis oriente Canicula, & is in mari morietur. In Ceramico ſtatua eius erat ſedentis, porrecta manu. Quæ manus ſignificabat illum in hac eſſe rogatiuncula delectatum. Nunquid nam manus tua tua ſic affecta, quemadmodum nunc eſt, deſideratꝰ nihil ſanè. At ſi voluptas eſſe bonum, deſideraret. Ita credo. Non eſt igitur voluptas bonum. Præcepta ab eo ſunt eiuſmodi.

Deum homine meliorem, quòd res cæleſtes, omneſq́;, quarum eſt ordo ſempiternus, confecerit, quæ ab hominu confici non poſſunt. 2. & 3. de Nat. Deor.

Mundo undique perfecto ineſſe mentem & rationem & propriam virtutem, & proinde ſapientem, & Deum. 2. de Nat. Deor.

Vim

Vim diuinam in ratione eſſe poſitam & vniuerſæ naturæ animo, atque mente, ipſumq; mundum Deum eſſe, & eius animi fuſionem vniuerſam tum eius ipſius principatum, qui in mente & ratione verſetur, communemq; rerũ naturam vniuerſam, atq; omnia continentem fatalem vmbram ob neceſſitatem rerum futuram Ignem præterea, & eum, quem antedixi & æthera: tum ea, quæ natura fluerent, atque manarent, vt aquam & terram & aera, Solẽ, Lunam, ſidera, vniuerſitatemq; rerum, qua omnia continerentur atque homines: iam eos, qui immort. &c. vide 2. de Diuin.

Diuinationem eſſe vim cognoſcentem, & videntem, & explicantem ſigna, quæ à Dijs hominibus protendantur. Officium autem eius eſſe, prænoſcere, Dij erga homines mẽte qua ſint, quidq; ſignificant, quemadmodumq; ea procurentur, atque expientur. 2. de Diuin.

Somniorum coniectionem eſſe vim cernentem, & explanantem, quæ à Dijs hominibus ſignificentur in ſomnijs. 2. de Diuin.

Ad hoſtiam deligendã ducem eſſe vim quãdam ſententiam, atque diuinam, quæ tota mundo confuſa ſit. 2. de Diuin.

Animantium alia corpore excellere, alia autem animo, nonnullas valere vtraque re. Cũ autem homo in eo genere ſit, vt ei tribuatur animi excellentia, ſummum bonum eſſe non excellere animo ſed vti, nihil eſſe præter animũ. 4. de Finibus.

Cætera nata eſſe hominum cauſa, & deorũ, eos autem communicatis, & ſocietatis ſuæ, vt beſtijs homines vti ad vtilitatem ſuam poſſint

ſine iniuria. Qui id conſeruaret eum iuſtum, qui migraret, iniuſtum fore. 2. de Finib. & 3. de Nat. Deorum.

Fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium cauſa, animantes item hominum: Hominem autem ortum ad mundum contemplandum, & imitandum, nullo modo perfectum, ſed quandam particulam perfecti, id eſt mundi. 11. de Natur. Deor.

Sui animali, ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam eſſe. 3. de Nat. Deor.

Aegritudinem λύπιν, *quaſi* λύσιν, *ſolutionem totius hominis appellari. 3. Tuſc.*

Ad recẽtes quaſi timores animi remedium non adhibendum. 4. Tuſc.

Fortitudinem eſſe ſcientiam perferendarum rerum, vel affectionem animi in patiendo, vel perferendo, ſummæ legi parentem ſine timore. 4. Tuſcul.

Quod prouiſum ante non ſit, id fieri vehemẽtius. 3. Tuſc.

Detracta vtilitate, ne digitum quidem bonæ famæ, vel gloriæ cauſa porrigendum eſſe. 2 de Finibus.

Omnia vera in p̃teritis neceſſaria. de Fato.

Non valere in omnibus. Si quod primum in connexo eſt, neceßarium eſt, fieri etiam quod conſequitur, neceßarium. 1. de Finib.

Fato omnia fieri, vide ibidem quibus rationibus vtatur.

Omnem enunciationem, aut veram, aut falſem eße. de Fato.

In rebus quædã ſimplicia, quædã copulata. Simplex eße: Morietur eo die Socrates, copula-

tum

tum & confatale, Naſcetur Oedipus Laio: quia ita fatum ſit & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. de Fato.

Cauſarum alias perfectas, & principales, alias adiuuantes & proximas. de Fato.

Theophraſtus.

THeophraſtus à diuinitate loquendi nomē inuenit, multa enim diſcrtè, copioseq́; dixit vir & oratione ſuauis, & ita moderatus, vt præ ſe probitatem quandam & ingenuitatem ferret. Inſtitutus ab Ariſtotele locum ciuilem, quem πολιτικὸν dicimus, illuſtrauit, & de magiſtratibus multa quæſiuit ſubtilius. Athenis vixit, vnde cum percontaretur ex anicula quadam quanti aliquid venderet, & reſpōdiſſet illa atq; dixiſſet, Hoſpes non poſſum minoris, tulit moleſtè. ſe non effugere hoſpitis ſpeciē, cùm Athenis ætatē ageret, optimeq́; loqueretur. De libris eius ſic accepimus. Primū tractauit locos ab Ariſtotele ante tractatos. Stirpiū naturas, omniumq́; ferè rerū, quæ è terra gignerentur, cauſas atq; rationes perſecutus eſt, qua ex cognitione facilior facta eſt inueſtigatio rerum occultiſſimarū. De beata vita librum ſcripſit, & de diuitijs, in quo multa præclarè, illud abſurdè. Eſt enim multus in laudanda magnificentia & apparatione popularium munerum, taliumq́; ſumptuum facultatem, fructum diuitiarum puta: recte laudata eſt hoſpitalitas. Cæterùm taxatus eſt & libris, & ſcholis omnium Philoſophorum, quòd in Calliſtene laudarit illam ſententiam: Vitam regit fortuna non ſapientia. Calliſtenes autem illi ſodalis erat. Cuius interitum deplorans, reb. Alexandri proſpe-

ris

ris angebatur. Itaque dicebat, Calliſtenem inci diſſe in hominem ſumma potẽtia, ſummaq; fortunā, ſed ignarum quemadmodum rebus ſecundis vti conueniret. In eo etiam inconſtantiæ notatur, quod modò menti tribueret diuinū principatum, modò cælo. tum ſignis, ſideribusq; cæleſtibus Et cùm ſtatuiſſet verbera, tormenta, cruciatus, patriæ euerſiones, exilia, orbitates magnam vim habere ad malè, miſereq; viuendū, non eſt auſus elatè, & amplè loqui, cùm humiliter, demiſſeq; ſentiret. Quàm bene non quæritur, conſtanter quidem certè ait Cicero. Tauriſcum quendam dixit actorem auerſum ſolitum eſſe dicere, qui in agendo contuens aliquid pronunciaret. Tandem moriens accuſare naturā dicitur, quod ceruis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet, hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet. Quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt omnibus, perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Quærebatur enim tum, cum quædam videre cœpiſſet, extingui. Huius ſunt hæ ſententiæ.

Eſſe quædam & corporis, & fortunæ mala, in quibus omnibus qui ſit, beatum fore, ſi ſapiẽs ſit. 2 *Acad.*

Cum fortuna, dolore, cruciatu corporis, beatam vitā nullo modo coniungi poſſe. 5. *de Fin.*

In ſola virtute non eſſe poſitum beatè viuere. 1. *Acad.* & 5. *de Finib.*

Orationem, quæ quidem ſit polita, atq; facta quodammodo, non aſtrictè ſed remiſſius numeroſam eſſe oportere. 3. *de Orat. item ornatum illud ſuaue, & affluens. Orat.*

In

In verba verecundam tranſlationem. 16.
Eiſt.Famil.

Arceſilas.

CVm iam Philoſophorum diſciplina grauiſſimè conſtitiſſent, tum exortus eſt, vt in optima Rep. T. Gracchus, qui otium, ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam euerteret, & in eorum autoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquam ſciri, aut percipi poſſe. Cùm enim Polemonem audiſſet, copiaq́; rerum & dicendi vi, ac ingenij acumine plurimum valeret, multa apertè, perſpicueq́; & peruerſa, & falſa perſuaſit, ac ex varijs Platonis libris, ſermonibusq́; Socraticis, hoc maximè erripuit, nihil eſſe certi, quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſit. Hinc recentior Academia emanauit cuius ratio primò non admodum probata eſt. Sic igitur inſtituit omne animi, ſenſusq́; iudicium aſpernatus (vnde illa neceſſariò nata eſt ἐποχὴ, id eſt, aſſenſionis retentio) non quid ipſe ſentiret, oſtendere, ſed contra id, quod quiſque ſe ſentire dixiſſet, diſputare. Itàque Zenoni, qui tum florebat, ſe vehementer oppoſuit, eiusq́; definitiones labefactare conatus eſt, & ei obtrectari, nihil noui reperienti, ſed emendanti ſuperiores immutationes verborum. Quod feciſſe dicitur non pertinacia, aut ſtudiò vincendi, ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerunt Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagorã, Empedoclem, qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt, anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, opinionibus, & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relin-

relinqui, deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerunt. Hoc ſic intelligi dicit Cicero in Lucullo. Nemo vnquam ſuperiorum non modò expreſſerat, ſed ne dixerat quidem poſſe hominem nihil opinari: nec ſolùm poſſe, ſed ita neceſſe eſſe ſapienti Viſa eſt Arceſilæ tum vera ſententia, tum honeſta, & digna ſapiente. Quæſiuit de Zenone fortaſſe, quid futurũ eſſet, ſi nec percipere quicquam poſſet ſapiens; nec opinari ſapientis eſſet. Ille credo, nihil opinatur quoniam eſſet quod percipi poſſet. Quid ergo? id eſt viſum credo. Quale igitur viſum? Tum illum ita definiuiſſe, ex eo, quod eſſet, ſicut eſſet impreſſum & ſignatum, & effectum. Poſt requiſitum etiam ne ſi eiuſmodi eſſet viſum verum, quale falſum. Hic Zenonem vidiſſe acutè nullum eſſe viſum, quod percipi poſſet: ſi id tale eſſet, ab eo quod eſt, vt eiuſmodi ab eo, quod non eſt, poſſet eſſe. Rectè conſenſit Arceſilas ad definitionem additum, neque enim falſum percipi poſſe, neque verum ſi eſſet tale, quale vel falſum. Incubuit autem in eas diſputationes: vt doceret nullum tale viſum à vero, vt non eiuſdem modi etiam à falſo poſſit eſſe. Is cum arderet podagrè doloribus, viſitaſſetq; hominem Carneades epicuri perfamiliaris, & triſtis exiret, mane quæſo, inquit, Carneade noſter, nihil illinc huc peruenit: oſtendit pedes, & pectus: attamen hic malebat non dolere. Huius hæc ſunt decreta.

Omnia falſa eſſe, quæ ſenſibus videantur. 1. de Nat. Deor.

Sapientem non opinari, & proinde nulli rei aſſentiri. 2 Acad.

Sapien-

Sapientis vim eſſe maximam cauere, ne capiatur, ne fallatur, videre. 2. *Acad.*

Carneades.

C*Arneades Cirenæus in nouis Academicis quartus ab Arceſila numeratur. Audiuit enim Egeſinũ, qui Euandrum audiuerat, Lacidis diſcipulum, cum Arceſilę Lacides fuiſſet. Diuina celeritate ingenij, dicendiq́; copia vir fuit, nullius philoſophiæ partis ignarus, & memoria diuina, dicebat enim ſe tanquam literis in cera, ſic imaginibus in locis, quos haberet, quæ meminiſſe vellet, præſcribere. Multos auditores Athenis habuit, vt Q. Metellum clariſſimum virum, & Romæ Scæuolam, qui admodum floruerunt. Itaq; cum multa diſſereret. nouam Athenis Academiam obtinens cum Clitomaco & Aeſchine, excitauit homines non ſocordes ad veri inueſtigandi cupiditatem. Ab Athenienſibus legatum miſſum eſſe ad ſenatũ cum Diogene, dicit Cic. 4. Tuſc. Epicureus Zeno quanquam ab eo plurimum diſſentiebat, vnum tamen præter cæteros mirabatur, incredibili quadam fuiſſe facultate. Hinc Cic. 3. de Orato. ait, Si eximiam dicendi ſpeciem amaret Orator, Carneadeam, aut Ariſtoteleã vim eſſe comprehendendam. Et de Vniuerſ. Fuit, inquit, vir ille cũm cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent, ornatus omnibus, tum acer inueſtigator & diligens earum rerum, quæ à natura inuolutæ videntur. Denique ſic iudicio poſt illos nobiles Pithagoreos, quorum diſciplina extincta eſt quodammodo, cum aliquot ſæcula in Italias, Siciliaq́; viguiſſent, hunc extitiſſe, qui illam reuocaret. In diſputationibus*

Decreta.

MOrtale omne animal, & diſſolubile, & diuiduum, neceſſariò, quod habeat patibilem naturam. 3. de Nat. Deor.

Nullum corpus ſempiternum. 3. de Natura Deorum.

Non fato fieri quęcunq; fiunt: eſſe enim multa in noſtra poteſtate. de Fato.

Diuinationem non eſſe, etſi immutabilitas in futurorum veritate ſit; niſi in ijs, quæ naturalibus, & neceſſarijs cauſis continerentur. An enim Iupiter Cornicem à læua, Coruum à dextra canere iuſſit? de Fato.

Ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea, quorum cauſas natura ita contineret, vt ea fieri neceſſe eſſet. Quid enim ſpectans Deus ipſe diceret? de Fato.

Duo eſſe viſorum genera. In vno hanc diuiſionem: alia viſa eſſe, quæ percipi poſſint; alia, quæ non poſſint: in altero autem, alia viſa eſſe probabilia, alia non probabilia. Itaque quæ contra ſenſus, contraq; perſpicuitatem dicantur, ea pertinere ad ſuperiorem diuiſionem; contra poſteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere, tale viſum nullum eſſe, vt perceptio conſequeretur: vt autem probatio multa. Item contra naturam eſſet, ſi probabile nihil eſſet. In Luc.

Virtutem ſatis habere ad beatam vitam præſidij. 5. Tuſc.

Sapientem interdum opinari. In Luc.

Nihil improbè faciendum, etiam ſi impunè fieri poſſit. 2 de Finib.

Eos, qui Rhetores nominarentur, & qui di-

cendi

cendi præcepta traderent, nihil planè ſcire, neque poſſe quenquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui Philoſophorum inuenta didiciſſet. 1. de Orat.

Philo.

Philo Antiochi magiſter, vir magnus fuit, & Academiæ nouæ patrocinium ſuſcepit. Cumq́, ille tum Athenienſium optimatibus Mitridatico bello domo profugiſſet, Romamq́, veniſſet, Ciceronem habuit auditorem. Negabat duas Academias eſſe, erroremq́, eorum, qui ita putabant, vehementiſſimè coarguebat. Alio tempore Rhetorum præcepta tradere, alio Philoſophorum inſtituit; atque harum cauſarum, quæ vniuerſæ ſunt, vel temporibus, locis, ac re definitæ, cognitionem, exercitationemq́, celebrauit. Epicureos verò ferre non poterat, aſpernari molles, & delicatas voluptates. Summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri ſententias ijs ipſis verbis, quibus erant ſcriptę. Porrò à Catullo reprehenſus eſt. Dum enim (ait Cice. 1. Acad.) noua quædam commouet, quod ea ſuſtinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur, & apertè mentitur &, vt docuit Antiocus, in idipſum ſe induit quòd timebat. Cùm enim ita negaret, quicquam eſſe, quod comprehendi poſſet (id enim volumus eſſe) ſi illud eſſet, ſicut Zeno definiret, tale viſum (iam enim hoc prouerbium ſatis hodierno ſermone tribuimus) viſum igitur impreſſum, effectumque ex eo vnde eſſet, quale eſſe non poſſet, vt ex eo vnde non eſſet, id nos à Zenone definitum rectè, certiſſimè dicimus &c.

Antiocus.

ANtiocus Philonis, vt dixi, auditor cùm in genio, ſcientiaq; excellere putaretur, cum Lucullo Quæſtore fuit, & poſt aliquot annos Imperatore, vt eſt in Lucullo Ciceronis: vbi de Antioco multa, quæ hic breuitatis cauſa omiſimus, variè dicuntur, & aliquot locis reprehenditur, quòd cùm Academicum ſe veterem profiteretur, tamen à diſciplina veteris Academię deſciſceret, quæ cenſebat ſapientem interdum opinari, & inconſtantiæ notatur, quòd cùm Academiam nouam diu laudaſſet, poſtea vituperauerit. Qua in re videbatur nominis Academia veteris dignitatem, cùm à re deſciſceret, retinere voluiſſe, quod erant qui illum gloriæ cauſa facerent ſperare, etiam fore, vt ij, qui ſe ſequerentur, Antiochij vocarentur. In Bruto ſic ſcribitur: Sex menſes cum Antioco veteris Academiæ nobiliſſimo, & prudentiſſimo philoſopho fui, ſtudiumq; philoſophiæ nunquam intermiſſum, à primaq; ipſius adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſum ſummo autore, & doctore renouaui. Poſtquam verò ipſe cœpit, qui ſe audirent habere, à Philone præceptore non diſceſſit modò; ſed contra eum ſcripſit, & maximè perturbatum dixit. Cæterum Stoicorum fuit aſtipulator, quanquam ab ijs quibuſdam in rebus diſſentiebat, librumq; ſcripſit, in quo Stoicos cum Peripateticis re conuenire dicebat, verbis diſcrepare. De quo ſic Balbus, ad quem miſſus fuerat, ait libro 1. de Natura Deorum. Miror Antiocum, hominem in primis acutum non vidiſſe, intereſſe plurimùm inter Stoicos, qui honeſta à commodis

non

non nomine, ſed genere toto diſtinguerent; & Peripateticos, qui honeſta commiſcerent cum commodis: ut ea inter ſe magnitudine, & quaſi gradibus non genere different. Hæc enim eſt non verborum parua, ſed rerum per magna diſſenſio.

Decreta præcipuè ſunt hæc.

In una virtute poſitam beatam vitam, ſed non beatiſſimam. 5. Tuſc. In Luc.

Omnia peccata non eſſe paria. In Luc.

Præter honeſtatem multa bona, præter turpitudinem multa mala, quæ & venientia metuat ſapiens neceſſe eſt, & veniſſe doleat. In Luc. cætera ibidem quære.

Cleantes.

Cleantes, de quo in libris de Natu. Deorũ multa dicuntur, cum primùm pugil fuiſſet, Athenas venit, Zenonemq; audiuit unà cũ Ariſtone, & quaſi maiorum fuit gentium Stoicus, ingenio obtuſo atque hebeti, ſed laborum patiens, vnde & φρεάντλης Græcè dictus eſt, quod noctu exhauriens puteis vitam ſibi quæreret. Librorum, quos ſcripſit contra voluptatem, Cicero mentionem fecit, in quibus fingebat formam quandam, & ſpeciem Deorum, tum diuinitatem omnem tribuebat aſtris. Verbis etiam pingere tabulam ſolebat. Iubebat eos, qui audierant, ſecum ipſos cogitare in tabula voluptatem, pulcherrimo veſtitu & ornatu regali, in ſolio ſedentem: præſtò eſſe virtutes, vt ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuum officium ducerent, niſi, vt voluptati miniſtrarent, & eum tantùm ad aurem admonerent (ſi modo id picturę intelligi poſſet) vt caue-

ret,

ret, ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quicquam, è quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem ad virtutes ſic nati ſumus, vt tibi ſeruiremus, aliud nihil nego cij habemus. Cęterum hęc eum prǽcepiſſe ait Cicero.

Mundum, deum eſſe, tum totius naturę menti atque animo hoc nomen tribuendum, tum vltimum & altiſſimum, vndiq; circumfuſum & extremum, omnia cingentem atque complexum ardorem, qui ęther nominetur, Deum certiſſimum. 1. de Nat. deor.

Sidera ignea, idq; duorum ſenſuum teſtimonio confirmari, tactus & oculorum. 2. de Nat. Deor.

Ali Solem, Lunã, reliquaq; aſtra aquis alia dulcibus, alia marinis. Cauſam verò eſſe, cur ſe ſol referat, nec longius progrediatur a ſolſtitiali orbe, itemq; brumali, ne longius diſcedat a cibo. 3. de Nat. Deor.

Solem dominari, & rerum potiri. in Lu.

Magnam caloris vim ineſſe in omni corpore, quòd nullus ſit tam grauis cibus, qui is die, & nocte concoquatur, cuius etiam in reliquis ineſt calor, quas natura reſpuerit. 2. de Natu. Deor.

Quatuor de cauſis in animis hominum informatas deorum notiones. Vna eſt: quę eſt orta ex prǽſenſione rerum futurarum. Altera ex perturbationibus tempeſtatum, & reliquis motibus. Tertia ex commoditate rerum, quas percipimus, & copia. Quarta ex actorum ordine & conſtantia. 3. de Nat. deor. vide hęc latius explicata. 2.

Nihil ratione diuinius. 1.*de Nat.Deor.*

Nihil eſſe malum, quod turpe non ſit. 3. *Tuſculanarum.*

Conſolantis officium, malum illud omnino non eſſe,ſuadese. 3.*Tuſc.*

Diogenes.

D*Iogenes Babilonius, magnus & grauis Stoicus, cum Carneade ad Senatum ab Athenienſibus miſſus eſt legatus, quòd in eo principes temporibus illit, ſingularis fuiſſe ſtudiæ doctrinæ viderent. Is fuit qui diceret, artem ſe tradere bene diſſerendi, & vera, & falſa dijudicandi, id eſt Dialecticam, Quam qui audire vellent, minam vt daretur, fecerat. Chriſippea quædam retinuit, vt cùm in eo libro, qui de Minerua inſcribitur, partum Iouis, ortumq; virginis ad Phiſiologiam traducens diſiungit à fabula. Decreta verò reliquit huiuſmodi.*

Aliquid prædici poſſet, duntaxat quali quiſque natura, & ad quam quiſque maximè rem aptus futurus ſit, cætera nullo modo poſſe ſciri. 2.*de Diuinat.*

Diuitias nõ eam modò vim habere, vt quaſi duces ſint ad voluptatem, & ad valetudinem bonam, ſed etiam vt ea contineant, non idem facere eas in virtute, neque in cæteris artibus, ad quas eſſe dux pecunia poteſt, continere autem non poteſt. 3.*de Finib.*

Bonum eſſe id, quod eſſet natura abſolutum. 3.*de Finib.*

Eudoxus.

E*Vdoxus Aeſchini filius, Cnidius, Platonis auditor, geometra, medicus, legum la*

tor, & in aſtrologia, indicio doctiſſimorum hominum, facilè princeps, in ſcriptis reliquit Caldæis (id eſt Matematicis, qui ex natalitio ſidere futura præſagiunt, quòd illa ratio ſiderum obſeruandorum peritiſſima fuerit) in prædictione, & in notatione cuiuſque vitæ ex natali die minimè eſſe credendum. 2. de Diuin.

Hecato.

HEcatonis Rhodij, qui Panætium audiuit, & eum ſecutus de officijs libros ſcripſit, præcepta ſunt hæc. 3. Offic. *vtilitate officium dirigi magis, quam humanitate. & alio loco eiuſdem libri.*

Sapientis eſſe, nihil contra mores, leges, inſtituta facere, habere rationem rei familiaris.

Alcmæo.

ALcmæo Crotoniates & Pithagoræ auditor primus, autore Phauorino, de naturæ ratione ſcripſiſſe videtur, exiſtimauit verò, Soli, Lunæ, reliquisq; ſideribus, animoq; præterea diuinitatem ineſſe. 1. de Nat. Deor.

Panætius.

PAnætius Rhodius, Poſſidonij doctor, diſcipulus Antipatri Stoicorum princeps fuiſſe dicitur, quorum tamen decreta omnia rata habebat. Nam & vim eſſe diuinandi dubitauit, & an mundus ad extremum ignoſceret, humore conſumpto, non eſt auſus affirmare. Præterea Stoicorum triſtitiam, atque aſperitatem fugiens nec aſperitatem ſententiarum, nec diſſerendi ſpinas probauit, fuitq; in altero genere mitior, in altero illuſtrior. Eum de officijs Cicero, correctione quadam adhibita, potiſſimum ſecutus eſt. De officijs enim ſine controuerſia

diſputauerat accuratiſſimè, vt eſt libro 3. Offic. Quos libros poſteaquam edidit, triginta vixit annos. Scripſit etiam ad Q. Tuberonem, de dolore patiendo, quid eſſet, & quare quantumq; in eo eſſet alieni, deinde quæ ratio eſſet perferendi. Platonem omnibus locis diuinum, ſapiētiſſimum, ſanctiſſimum, Homerum deniq; Philoſophorum appellare ſolebat, à quo tamen de immortalitate animorum diſſentiebat. Hæc præcepit.

Quicquid natum ſit, interire; naſci autem animos, quod declarat eorum diſſimilitudo, qui procreantur: quæ etiam in ingenijs, non ſolùm in corporibus appareat. Præterea, nihil eſſe, quod doleat, quin in ægrum eſſe quoque poſſit, quod autem in morbum cadit id etiam interiturum: dolere autem animos. Ergo etiam interire. 1. Tuſc.

Animum ex igne conſtare. 1. Tuſc.

Dubium eſſe, an ad extremum omnis mundus ignoſceret. 2. de Nat. Deor. vide Stoic.

Dubium an eſſet aſſentiendum, & credendum augurijs, quæ cæteri Stoici putabant veriſſima In Luc. & 1. de Diui.

Prædicta Aſtrologorum reijcienda: Archelaum enim, & Caſſandrum ſummos aſtrologos illius ætatis, cum in cæteris aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non vſos. 2 de Diuin.

Tria genera exquirendi officij eſſe, vnum cū deliberamus, honeſtum, an turpe ſit: alterum vtile, an inutile: tertium cùm hæc inter ſe pugnare videantur, quomodo iudicandum ſit, qualis cauſa Reguli, cedere honeſtum, manere vtile, de

le,de duobus primis, tribus libris præclarè diſſeruit: de tertio pollicetur ſe deinceps ſcripturum,ſed nihil ſcripſit. Quem locum Poſſidonius in commentarÿs breuiter tractauit. vide 1.2.Offic.16 Epiſt ad Att.& 3.Offic.vbi hic locus copioſè explicatur.

Solum bonum quod honeſtum ſit: quæ autem huic repugnent ſpecie quadam vtilitatis,eorum neque acceſſione meliorem vitam fieri,neq; diſceſſione. 3.Offic

Ea, quæ videntur vtilia, cum honeſtis pugnare aliquando poſſe. Nihil verò vtile, quod non idem honeſtum, nec honeſtum quod non idē vtile ſit. 3.Offic.

Xenophon.

XEnophon Grilli filius Athenienſis, Archieus;philoſophus fuit Socraticus,cuius voce Muſas quaſi locutas ferunt. Aiunt eum (autore Laertio) cum Socratem in angiportu quadam habuiſſet obuium,porrecto baculo trāſire prohibitum,percontanti verò,vbi nam venirent, quæ humanis vſibus ſunt neceſſaria, cum ille reſpondiſſet, rurſus vbi nam boni, ac probi homines fierent,hærente illo, dixiſſe Socratem,ſequere igitur, & diſce,ex eo tempore Socratis auditor factus. Cuius ſermones diligentiſſimè ſcripſit. In quibus (ait Cicero.1.de Nat.Deor.)facit Socratem diſputantem, formam Dei quæri non oportere: eundemq; & ſolem & animum Deum dicere,& modò vnum, tum autem plures Deos: qui ſunt ÿſdem in erratis fere, quibus ea, quæ de Platone diximus. & 2.& 3. de Natura Deorum. Quærit apud Xenophontem Socrates, vnde animam arripuerimus,

in mundo? de Natura Deorum.

Animum immortalem,& Deum non apparere, ſed ex ijs rebus, quas gerit,intelligi qui cùm omni adiūctione corporis liberatus, purus & integer eſſe cœperit,tū ſapiens erit. de Sen.

Deos hanc mundi pulchritudinem tueri & regere. Ibidem. Eoſdem labores non eſſe æquè graues imperatori & militi, quod ipſe bonū laborem leuiorem faceret imperatorum. 2. Tuſc.

Democritus.

DEmocritus Milleſius Xerxe rege magos quoſdam & Caldæos audiuit, ſimiliſq; philoſophus quinque certaminum victor habitus eſt. Erat enim verè πένταθλος, id eſt quinque certaminum, cum in Phyſicis,philoſophia morali,matematica, liberalium diſciplinarum rationibus, artiumq; omnium cognitione excelleret. Hicq; ferè ab omnibus, præterquam ab Epicuro, cum tamen fontibus hortulos ſuos irrigauerat, laudatus eſt. de quo ſic Cicero in Lucullo. Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre poſſumus, non modò ingenij magnitudine, ſed etiam animi, qui ita ſit auſus ordiri? Hæc loquar de vniuerſis. Nihil excipit, de quo non profiteatur. Quid enim poteſt eſſe extra vniuerſa? Quis hunc philoſophum non anteponit Cleanthi, Criſippo, reliquiſque inferioris ætatis? Qui mihi cum illo collocati quintæ claſſis videntur. Pauca de virtute dicit, nec ea ipſa enucleatè. In omnibus verò libris,quos multos emiſit, ſermone vſus eſt eleganti,& ornato. Atomorum autor fuit, ſiue etiam Leucippus,vt eſt apud Laertium, & primo de natura Deorum. Qui ſic eſt amplexa-

tus, vt accipere maluerit, neceſſitate omnia fieri quam ab iis naturales motus euellere. Poſuitq́; vim quandam motus impulſionis, quam plagam ille appellat, Græcè Plutarcus γένς τῆς κινήσεος κατάπηγλὴν Gloriabatur, à gloria ſe abſuiſſe, Veni (inquit) Athenas, neque me quiſquam ibi agnouit. Denique cum putaret impediri animi aciem aſpectu oculorum, dicitur oculis ſe priuaſſe, vt quam minimè animus à cogitationibus abduceretur. Patrimonium neglexit, agros deſeruit incultos, nihil aliud quærens niſi beatam vitam. Itaque cum alij ſæpe quod eſſet ante pedes, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate conſiſteret. Sententiæ, & præcepta ſunt eiuſmodi.

Naturam in profundo veritatem penitus abſtruiſſe, in Luc. Animum, cœlum, terras, omnia denique atomis, id eſt leuibus & rotundis corpuſculis, indiuiduis propter ſoliditatem, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito effici. Corpuſcula autem illa, quædam læuia, alia aſpera rotunda, alia partim angulata, curuata quædam, & quaſi adunca. 1. de Natura Deor. 1. Tuſcul. & 1. de Finib. Nulla cenſet eſſe Cicero.

Innumerabiles eſſe mundos, & quidem ſic quoſdam inter ſe non ſolùm ſimiles, ſed vndiq; perfectè & abſolutè ita pares, vt inter eos nihil prorſus interſit: omnes verò oriri, & interire quotidie. In Luc. & .de Finib.

Simulacra, et imagines diuinitate præditas ineſſe vniuerſitati rerum, tum principia, menteſq́;, quæ ſunt in eodem vniuerſo, Deos eſſe: tū animan-

animantes imagines, quæ vel prodeſſe nobis ſolent, vel nocere: tum ingentes quaſdam imagines tantasq́, vt vniuerſum mundum complectantur extrinſecus. Quod videtur, Deos eſſe, quodam pacto negare. 1. & 2. de Nat. Deor. & alio loco. Imagines, aerumq́; circuitus, in Deorum numero refert, tum illam naturam, quæ imagines fundat, ac mittat, tum ſcientiam, intelligentiamq́, noſtram, imagines denique illas à corporibus ſolidis, & à certis figuris fluere.

Nihil eſſe ſempiternum, quia nihil ſemper ſuo ſtatu maneat. 3. de Nat. Deor.

Animos in ſomniando externa, & aduenientia vi pulſari. 2. de Nat. Deor.

Omnia ita fato fieri, vt id fatum vim neceſſitati afferat. de Fato.

Habitu, & colore extorum declarari pabuli genus, & earum rerum, quas terra procreet, vel vbertatem: vel tenuitatem, ſalubritatem etiã, aut peſtilentiam. 1. & 2 de Diuin.

Sine inflammatione animorum, & ſine quodam afflatu quaſi furoris, poetam magnum eſſe non poſſe. 1. de Diui. & de Orat.

Ante lucem gallos cantare, hac de cauſa, quòd depulſo de pectore, & in omne corpus diuiſo, & modificato cibo, cantus quietè ſatiati edunt, qui quidem ſilẽtio noctis, vt ait Ennius, fauent ruſſis: cantu, plauſuq́; premunt alas. 2. de Diuinat.

Atomos in infinito inani, in quo nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec vltimum, nec extremum ſit, ita ferri, vt concurſationibus inter ſe cohæreſcant, ex quo efficiantur ea, quæ ſint, quæq; cernantur omnia; eumq́; motum

Non omni malo ægritudinem effici, ſed inſperato nec opinato malo. 3.Tuſc.

In tactu doloris, aut voluptatis, & eo quidem interiore, veri eſſe iudicium, quia ſentiatur. In Luc.

Anacarſis.

A*Nacarſis Scythes Gauri filius, Caduidæ Scytharum regis frater, Soloni amicus, dixit vitem vuas tres ferre, primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mæroris: & tantum abeſſe à morte qui nauigant, quanta eſt nauis craſſitudo, pro nihilo pecuniam duxit. Cuius epiſtola hæc apud Ciceronem eſt. 5.Tuſculanarum.*

ANACARSIS *Hannoni ſalutem. Mihi amictus eſt Scythicum tegmen, calceametum ſolorum callum, cubile terra, pulmentum fames: lacte, caſeo: carne veſcor. Quare vt ad quietum me licet, venias. Munera autem iſta, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel dijs immortalibus dona.*

Anaxagoras.

A*Naxagoras Aegeſibuli filius, Clazomenius ab Anaximene accepit diſciplinam. Maxima fuit & grauitatis, & ingenij gloria, quem ferunt nunciata morte filij, dixiſſe, Sciebam me genuiſſe mortalem. Quæ vox declarat, ijs eſſe hæc acerba, à quibus non fuerunt cogitata. Et cum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis, vellet ne Clazomenas in patriā ſi quid accidiſſet, afferri. Nihil neceſſe eſt, inquit. Vndique enim ad inferos tantundem via eſt. Commentus eſt* ὁμοιομερίαν, *id eſt ſimilitudinem partium, veluti ſiluam, & materiam*

Græcè ὕλην, *rerum omnium gignendarum. Cenſuit enim in ſingulis rebus particulas ineſſe ſimiles infinitas, ex quibus compoſitæ ſint, resq́; omnes gigni & interire congregatione & ſeiunctione particularum ſimilium. Vnde ſui operis principio de mente diuina ita ſcripſit: Omnia ſimul erant: deinde mentis infinitæ vi, ac ratione omnium rerum deſcriptio, & modus deſignatus eſt, & confectus: contra quod diſputat Ariſtot. 4. primæ Philoſophiæ, & Cic. 1. de Nat. Deor.*

Huius igitur decreta ſunt hæc,

Materiam infinitam, ſed ex ea particulas inter ſe minutas: eas primùm confuſas, poſtea in ordinem adductas mente diuina. In Luc. & 1. de Nat. Deor.

Niuem eſſe nigram, quod perſpicuum ſit aquam nigram eſſe, vnde illi cōcreta ſit, & quod oculi continenter in ea defixi, mutentur, & ſe colorem nigrum cernere credant. In Luc.

Anaxarcus.

ANaxarcus Abderites Democritius fuit. Qui cum in manus Neocreontis tiranni incidiſſet, cui in conuiuio coram Alexandro iniuriam fecerat, nullum genus ſupplicij deprecatus eſt, neque recuſauit. Cum enim mortuo Alexandro eum in ὅλμον *iniecisſet Neocreon, iuſſiſſetq́; ferreis malleis cædi, ingeminauit: Tunde, tunde Anaxarchi vaſculum, nam Anaxarcum nihil teris. Iubente verò illo ipſius præcidi linguam aiunt præciſam dentibus in eius faciem conſpuiſſe, tandem excarnificatum eſſe, Cicero 2. Tuſc. & 3. de Nat. Deorum. Laertius de vita Philoſoph.*

Ana-

Anaximander.

ANaximander Milleſius ſummus fuit in Phyſicis, in primis gnomonem inuenit & ὡροσκόπια fabricatus eſt, ac primus terræ, ma risq́ circuitus deſcripſit, & ſphæram conſtruxit. Cicero ait primo de Diuinatione ab eo monitos fuiſſe Lacedæmonios, vt vrbem, ac tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terræmotus inſtaret, tum cum & vrbs tota corruit, & ex monte Taygeto, extrema montis quaſi puppis euulſa eſt. Huius eſt hæc opinio.

Natiuos eſſe Deos, longis interuallis Orientes, Occidenteſq́, eoſq́ innumerabiles eſſe mundos. 1. de Nat. Deor.

Infinitatem naturæ eſſe, è qua omnia gignũtur. In Luc.

Anaximenes.

ANaximenes Euriſtrati filius, Milleſius, Anaximandri æditor, cenſuit aera Deũ, eumq́ gigni, eſſeq́ immenſum, & infinitum, & ſemper in motu. primo de Natura Deorum. ſed ea, quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex ijs omnia. In Luc.

Antipater.

ANtipater Tyrius, Stoicus fuit, ſummus in Dialecticis, ſed opinioſiſſimus. Reprehenſus eſt, quòd multus fuiſſet in diſputando cum Academicis, præſertim cùm id minus ſubtiliter faceret, & nulla ratio eſſet cum ijs, qui nihil probarent, diſputando. Duos libros ſcripſit de Diuinatione, in qua probanda, qua ratione vſus ſit, vide primum de Diuinatione.

Athenis tandem mortuus eſt. Cenſuit verò duo præcepta à Panætio prætermiſſa, valetudinis curationem, & pecuniæ. 2. *Offic.*

Antiſthenes.

A*Ntiſthenes Antiſthenis filius, Athenienſis fuit, homo acutus magis, quàm eruditus ab eo, qui patientiam & duritiem in Socratico ſermone adamarat, Cynicorum primũ, deinde Stoicorum penè Cynicorum ſecta perfecta eſt. Quorum ratio tota eſt eijcienda: eſt enim inimica verecũdiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum: reprehendunt enim & irrident, quòd ea, quæ turpia re non ſint, verbis flagitioſa dicantur: illa autem, quæ turpia ſunt, nominibus appellentur ſuis, vt eſt.* 1. *Offic. Inter cætera in eo libro, qui Phyſicus inſcribitur, cenſuit.*

Populares Deos multos, naturalem vnum eſſe. 1. *de Nat. Deor.*

Architas Tarentinus.

A*Rchitas Tarentinus magnus in primis & præclarus vir fuit. Eum* 4. *Tuſc. Cicerò ait, cùm villico factus eſſet iratior, dixiſſe: Quo te modo accepiſſem, niſi iratus eſſem? & de Amicitia: Verum illud eſt, quod à Tarentino Archita poſitum, noſtros ſenes commemorare audiui ab alijs ſenibus auditum: ſi quis cælum aſcendiſſet, naturamq́; mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuauem illam admirationem ei fore quæ, iucundiſſima fuiſſet, ſi aliquem cui narraret, habuiſſet. Nearcus Tarentinus, ſe à maioribus natu accepiſſe dicebat, illum oratione, quæ eſt in libro de Senectute, perſuadere voluiſſe, nullam capitalio-*

rem peſtem, quàm corporis voluptatem homini bus à natura datam. Cui ſermoni interfuit Plato Athenienſis, quem Tarentum veniſſe L. Aemilio, Appio Claudio conſulibus, eodem loco ait Cicero.

Archimedes.

ARchimedes ex Siracuſana vrbe ſummo ingenio fuit ac diſciplina, in quo tantus ſtudij ardor fuit, vt dum in puluere quædam deſcriberet attentius, ne patriam quidem à Marco Marcello captam eſſe ſenſerit, cuius interitum princeps tulit moleſte. Eum arbitrantur ait, Cice. 2. de Natur. Deor. plus valuiſſe in imitandis ſphæræ conuerſionibus, quàm naturã in efficiendis, præſertim cùm multis partibus ſint illa perfecta quàm hæc ſimulata ſolertius. & 1. Tuſc. Cùm Archimedes Lunæ, Solis, quinque errantium motus in ſphæram alligauit, effecit idem, quod ille qui in Timæo mundum ædificauit Deus, vt tarditate & celeritate diſſimillimos motus vna regeret conuerſio. Quòd ſi in hoc mundo fieri ſine Deo poteſt, vt in ſphæra quidem eoſdem motus Archimedes ſine diuino ingenio potuiſſet imitari. Idem dicit 5. Tuſculanar. ſe, cùm quæſtor eſſet, ignoratum à Siracuſanis, cum eſſe omnino negarent, ſeptum vndique ac veſtitum vepribus, & dumetis indagaſſe ſepulcrum. Tenebam enim, inquit, quoſdam ſenarioles, quos in eius monumento eſſe inſcriptos diceperam, qui declarabant in ſumma ſepulcro ſphæram poſitam eſſe cum Cylindro. Cenſuit.

Multis partibus ſolem, qui Deus eſt, maiorem eſſe quàm terram. In Luc.

Ariſtoxenus.

ARiſtoxenus Philoſophus ætatem ferè conſumpſit in muſicis. Putauit animum eſſe Harmoniam: intenſionem enim ipſius corporis quandam velut in cantu, & fidibus, ſic ex corporis totius natura, & figura varios modos cieri, tanquàm in cantu ſonos. 1. Tuſc. vbi refellitur.

Ariſtippus.

ARiſtippus Cyrenaicus cùm Socratis famā communi omnium ſermone in dies percre breſcere videret, Athenas ad eum audiendum profectus eſt. Qui cùm ſe totum voluptati dediſſet, quaſi animum nullum haberet, voluptatem ſummum bonum poſuit. Ob eamq; cauſam Xenophon in eum ſcripſit contra voluptatem, eamq; Socrati diſputationem tribuit. Plato quoque in libro de anima illum conuitij agit. Non erubuit, cum eſſet obiectum habere eum Laida; Habeo, inquit, Laida, non habeor à Laide: Cicero in epiſtolis, & ſecundo de Finibus. Omnes ſimplices ſententias eorum, in quibus nulla eſt virtutis adiunctio, omnino à philoſophia ſemouendas puto. Primùm Ariſtippi, Cyrenaicorūq; omnium, qui ab eo ſunt profecti, quos nō puduit in ea voluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moueret, ſummum bonum ponere, contemnentes iſtam vacuitatem doloris. Hi non viderūt, vt ad curſum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, ſic hominem ad duas res, vt ait Ariſtoteles, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalem Deum: contraq; vt tardam aliquam, aut languidam pecudem ad paſtum, & procreandi voluptatem hoc diuinū

animal

animal ortum eſſe voluerunt: quo nihil mihi videtur eſſe abſurdius. Atque hęc contra Ariſtippum, qui eam voluptatem non modò ſummam, ſed ſolam etiam dicit, quam omnes vnam appellamus voluptatem, idq; ex eo intelligi volebat, quòd omne animal ſimulatque natum eſt, voluptatem aſciſcat vt ſummum bonum, & reprobet dolorem vt ſummum malum. Indolentiam autem & doloris vacuitatem, non putabat voluptatem, vt dixi, neque priuationem voluptatis dolorem, quia voluptas & dolor verſantur in aliquo motu iucundo aut aſpero. Sapientem verò & beatum eſſe, non qui ſit in perp[illegible] tis voluptatibus, ſed qui maiore ex parte ijs fruatur. In Luc. 1. & 2. de Finibus 2 Tuſc. 3. Offic. & 3. de Orat.

Ariſtonei.

TRes potiſſimum ſectæ à ſcholis exploſæ, & eiectæ fuerunt, Herilliorum, Megacicorum, ſiue Eretriacorum, & Ariſtoneorum, ſiue Pyrrhoneorum. Ariſtonei ab Ariſtone Chio profecti ſunt. Is cum Zenonis fuiſſet auditor, reprobauit illa, quæ ille pro verbis tulit nihil eſſe bonum, niſi virtutem, neque malum, niſi quod uirtuti eſſet contrarium. Rerum delectum nullum ponebat: exequabat omnia. De quo ſic eſt apud Ciceronem quarto de Finibus: Ex his anguſtijs iſta euaſerunt deteriora, quam Ariſtonis, illa tamen ſimplicia, veſtra verſuta. Roges enim Ariſtonem, bona ne ei videantur hęc, vacuitas doloris, diuitiæ, valetudo? nihilo magis. Zenonem roges: reſpondeat totidem verbis. Admirantes quæramus ab vtroque, quonam modo vitam agere poſſumus, ſi nihil intereſſe noſtra putemus,

valeamus, ægri ne ſimus; vacemus, an crucie-mur dolore; frigus tamen propulſare poſſimus, necne poſſimus. Viues, inquit Ariſto. magnificè, atque præclarè: quod erit cunque viſum ages, nunquam angere, nunquam cupies, nunquam timebis. Quid Zeno? portenta hæc eſſe dicit. Item ſecundo de Finibus Ariſtoni & Pyrroni viſum eſt, vt inter optimè valere, & grauiſſime ægrotare nihil prorſus intereſſet. Contra quos rectè iampridem deſitum eſt diſputari. Dum enim in vna virtute ſic omnia eſſe voluerunt, vt eam rerum ſelectione expoliarēt, nec ei quicquam, aut vnde oriretur, darent, aut vbi niteretur: virtutem ipſam, quam amplexabantur ſuſtulerunt. Hoc tenuit.

Formam dei intelligi non poſſe, neq; in Dijs ſenſum eſſe: dubium etiam omnino, Deus animans necne ſit. 1. de Nat. Deo.

Summum bonum, in rebus neutràm in partem moueri: quæ ἀδιαφορὰ ab ipſo dicitur. in Luc. Quo verbo ſignificatur indifferentia, vt ſiquis indifferenter vixerit & promiſcuè inter virtutem, & vitium, nulla habita ratione huius vel illius. vide 2. 3. 4. & 5. de Finibus, & 1. Officiorum.

In medijs ea momenta, quæ Zeno voluit, nulla eſſe in Luc.

Eſſe quædam, quibus commotus ſapiens appeteret aliquid quod cuique in mentem incideret, & quodcunque tandem occurreret: quarto de Finibus.

Nihil differre aliud ab alio, nec eſſe res ullas præter virtutes & vitia, inter quas quicquam omnino intereſſet. 4. de Finibus.

Præter

Prꝺter vitia, atque virtutes nullam eſſe rem aut fugiendam, aut appetendam. 5. de Finibus.

Nocere audientibus philoſophos ijs, qui bene dicta malè interpretarentur: poſſe enim aſotos ex Ariſtippi, acerbos è Zenonis ſchola exire. 3. de Nat. Deor.

Bias.

BIas vnus è ſeptem ſapientibus habitus eſt. Cuius illa eſt ſententia, nullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quàm eius, qui dixiſſet, ita amare oportere, vt aliquando eſſet oſurus. de Amic. vide Apoph.

Calipho.

CAliphonem reprehendit Cic. 3. Offic. qui diremptururum ſe ſectarum controuerſiam putauerat, ſi cum honeſtate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulauiſſet: quanquam honeſtatem ſic eſt amplexus, vt omnia, quæ ſine ea ſint, longè ac retro poſuerit. Hoc igitur vnum eius perpetuum decretum fuit, Ad honeſtatem adiungi voluptatem oportere. 2. & 5. de Finibus & 5. Tuſcul. vbi omnium ferè ſentẽtias de ſummo bono numerat. Quæramus, inquit vnamquamque reliquorum ſententiam, ſi fieri poteſt, vt hoc præclarum quaſi decretum beatæ vitæ poſſit omnium ſententijs, & diſciplinis conuenire. Sunt autem hæ de Finibus vt opinor, retentæ defenſæq; ſententiæ. Primùm ſimplices quatuor, nihil bonum, niſi honeſtum vt Stoici: nihil bonum niſi voluptatem, vt Epicurus: nihil bonum niſi vacuitatem doloris, vt Hieronymus: nihil bonum, niſi naturæ primis, bonis, aut omnibus, aut maximis frui, vt Carneades contra Stoicos diſſerebat Hæc igitur ſimplicia,

plicia, illa miſta, tria genera bonorum, maxima animi, ſecunda corporis, externa tertia, vt Peripatetici, nec multò veteres Academici ſecus. Voluptatem cum honeſtate Clitomachus, & Calipho copulauit. Indolentiam autem honeſtati Peripateticus Diodorus adiunxit. Hę ſunt ſententiæ quæ ſtabilitatis aliquid habent. Nam Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumq́; aliorum euanuerunt.

Clitomacus.

Clitomacus Pœnus, valde ſtudioſus ac diligens, vſque ad ſenectutem cum Carneade præceptore fuit: cui tãdem ſucceſſit in Academia & eius dicta maximè illuſtrauit. Scripſit librum ad C. Lucilium poetam, cùm ſcripſiſſet iiſdem de rebus ad L. Cenſorium, eum qui cũ M. Manilio Conſul fuit, in quo hęc ſunt, autore Cicer. in Luc. Academicis placere rerũ eiuſmodi ſimilitudines, vt alię probabiles videantur, aliæ cõtra. Id autem non eſſe ſatis, cur alia percipi poſſe dicas, alia non poſſe: propterea quòd multa falſa probabilia ſint, nihil autem falſi perceptum, & cognitum poſſit eſſe. Itaque aut vehementer errare eos, qui dicant ab Academicis ſenſus eripi a quibus nunquàm dictum ſit, aut colorem ſaporem, aut ſonum vllum eſſe. Illud ſit diſputatum, non ineſſe in his propriã, quę nunquam alibi eſſet, veri, & certi notam. Quę cùm expoſuiſſet, adiungit, dupliciter dici aſſenſus ſuſtinere ſapientẽ: vno modo, cùm hoc intelligatur, omnino eum nulli rei aſſentiri: altero, cùm ſe a reſpondendo, vt aut probet quid, aut improbet ſuſtineat; vt neque neget aliquid neque aiat. Id cùm ita ſit: alterum placere,

vt

vt nunquàm aſſentiatur: alterum tenere, vt ſequens probabilitatem, vbicunque hęc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam non reſpondere poſſit: nec placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat ſe ab aſſentiendo, moueri, tamen & agere aliquid: reliquit eiuſmodi viſa, quibus ad actionem excitemur. Item ea, quæ interrogati, in vtranque partem reſpondere poſſumus, ſequentes tantummodo quod ita viſum ſit, dum ſine aſſenſu, neque tamen omnia eiuſmodi viſa approbari, ſed ea, quę nulla re impedirentur, de Carneade ſcripſit ita. Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade, quòd vt feram, & immanem beluam, ſic ex animis noſtris aſſenſionem, id eſt opinationem, & temeritatem extraxiſſet. Item Carneadem dicere ſolitum, nuſquā ſe fortunatiorem, quam Præneſte vidiſſe fortunam. Miſit etiam, euerſa Chartagine librum conſolandi cauſam ad captiuos ciues ſuos. In eo eſt diſputatio ſcripta Carneadis, quam ait in cōmentarium retuliſſe cum ita poſitum eſſet, videri fore in ægritudine ſapientem patria capta: quę contradixerit Carneades ſcripta ſunt: tenuit Academiam cum Carneade & Aeſchine, & voluptatem cum honeſtate copulàuit.

Cratippus.

CRatippus Ciceronis familiaris, eiusq́, filij preceptor, quem ſummis Peripateticis parem iudicabat, ſumma autoritate, & eruditione vir fuit, Atheniśq́, docuit illius ætatis philoſophorum princeps. De quo ſcriptum ita eſt. 16. Epiſtol. Famil. Cratippo me ſcito non vt diſcipulum, ſed vt filium eſſe coniunctiſſimum, nā cum & audio eum libenter, tum etiam eius pro-

priam

priam ſuauitatem vehementer amplector. Expoſitis exemplis verarum vaticinationum, & ſomniorum, ſolebat rationem concludere hoc modo: Si ſine oculis non poteſt extare officium, & munus oculorum, poſſunt tamen aliquando oculi non fungi ſuo munere: qui vel ſemel ita eſt vſus oculis, vt vera cerneret, is habet ſenſum oculorum vera cernentium. Item igitur, ſi ſine diuinatione non poteſt, & officium, & munus diuinationis extare, poteſt autē quis, cùm diuinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere, ſatis eſt ad confirmandam diuinationem ſemel aliquid ita eſſe diuinatum, nihil vt fortuito cecidiſſe videatur. Sunt autem eius generis innumerabilia: eſſe igitur diuinationem. Cenſuit etiam animos hominum quadam ex parte extrinſecus eſſe tractos, & hauſtos. vide 1. & 2. de Diuin. 1. 2. & 3. Offi. & Brut.

Critolaus.

CRitolaus, *qui ſimul cum Diogene fuit, Ariſtotelem imitari voluit, & quidē eſt grauitate proximus, & redundat oratio: tamen in patrijs inſtitutis manet, vt ait Cicero 2. de Oratore, & 5. de Finibus. Is cum ad alteram lancem libræ animi bona imponeret, in alterā corporis, & externa, tantùm propendere illam boni lancem putabat, vt terram & maria deprimeret. 5. Tuſc.*

Diagoras.

D*Iagoras omnino deos eſſe negabat: hinc Atheos dictus eſt, poſteaq; Theodorus. 1. & 3. de Nat. Deor.*

Dicear-

Dicearcus.

DIcearchus Peripateticus magnus fuit, & copioſus, Ariſtoxeni æqualis & condiſcipulus. Ei magna controuerſie fuit cum Theophraſto, quod ille id vitæ genus, quæ in actione poſita eſt, longè omnibus anteponeret, hic autem quæ in contemplatione. Multa ſcripſit, in primis tres libros, qui Lesbiacì vocantur, quod Mitilenis ſermo haberetur. Primo libro multos loquentes facit duobus Pherecratem quendam Patriotam ſenem, quem ait a Deucalione ortum, differentem inducit, nihil eſſe omnino animum; hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque animalia, & animantes appellari: neque in homine ineſſe animum, uel animam, nec in beſtia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus uiuis æqualiter eſſe fuſam, nec ſeparabilem à corpore eſſe, quippe quę nulla ſit, nec ſit quicquam corpus vnum, ſimplex ita figuratum, vt temperatione naturæ vigeat, & ſentiat, ad quod credendum inductus eſt, quia difficilis erat animi quid & qualis ſit intelligentia. Scripſit etiam & de interitu hominis, vt eſt 1. Officio. & duo genera diuinandi probauit. vide 1. Tuſculan. 1. de Natura Deorum & ſecunda. Epiſtol. ad Attic.

Dinomacus.

DInomacus voluptatem adiunxit ad honeſtatem. 5. de Finibus.

Diodorus.

DIodorus fuit valēs, vt ait Cicero, dialecticus: Is enim fuit, quem Laertius cognomento Chronum appellatum fuiſſe dicit, philoſophus,

loſophus, ex Magarica ſchola eorum, qui ἐριστικοὶ & διαλεκτικοὶ dicebantur. Cuius dialectica imbutus Arceſilas fuerat. Is cum locus eſſet, in philoſophia multò etiam magis aſſiduè, quàm antea verſabatur, & cum fidibus Pythagoreorum more vteretur, cumq; ei libri noctes, et dies legerentur, quibus ſtudijs oculis non agebat, tamen quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde quo quamque lineam ſcriberent. Hunus ſententia aduerſus Stoicos vtebantur Academici περὶ δυνατῶν, vt vera ex æternitate futura eſſent, ſine naturalium cauſarum anteceſſione: ac proinde Carneades diuinationem eſſe negabat. Cenſebat enim Diodorus, quod futurum dicunt, eſſe neceſſarium, a Chryſippo diſſentiens, qui voluit, fieri poſſe vt non eueniat: vide Ciceronem de Fato, & in Chryſip.

Diogenes Apolloniates.

D*Iogenes Apolloniates, qui Anaxagoræ temporibus vixit, ſummus fuit in Phyſicis Anaximenis auditor. Aere vtitur deo. 1. de Nat. Deorum.*

Diogenes Cynicus.

D*Iogenes Cynicus improborum poſteritates, ſecundasq; res, redarguere vim omnem deorum ac poteſtatem dixit 1. & 3. de Natura deo.*

Dioniſius Heracleotes.

H*Eracleotes Dioniſius cùm à Zenone fortis eſſe didiciſſet, a dolore deuictus eſt. Nam cùm ex renibus, vel (vt eſt 5. de Finibus) oculis laboraret, ipſo in eiulatu clamitabat,*

bat, falſa eſſe illa, quæ antea de dolore ipſe ſenſiſſet. Quem cùm Cleanthes condiſcipulus rogaret, quænam ratio eum de ſententia deduxiſſet, reſpondit, quia cùm tantum operę philoſophię dediſſem, dolorem tamen ferre non poſſem, ſatis eſſe argumenti, malum eſſe dolorem. Plurimos annos in philoſophia conſumpſi, nec ferre poſſum: malum eſt igitur dolor. 1. Tuſc.

Empedocles.

E*Mpedocles Agrigentinus, Parmenidis æmulus, vel vt Hermippo placet, Xenophanis, carminibus Gręcis vaticinatus eſt, & Phyſicè docuit. Qualia ſunt.*

Quę in rerum natura, totoq; mundo conſtāt, quæq; mouentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare concordiam, de Amic.

Quatuor naturas, ex quibus omnia conſtārent diuinas eſſe. 1. Tuſc.

Animum, cordi ſuffuſum ſanguinem, primo Tuſcul.

Abſtruſa eſſe omnia, nihil nos ſentire, nihil cernere, nihil omnino, quale ſit, poſſe reperire. In Luc.

Epicarmus.

E*Picarmi Siculi hæc ſunt ſententiæ, Neruos, atque artus ſapientiæ, non temerè credere. de Petitione conſulatus: vnde illud 1. Epiſt. ad Attic.* νῆφε, μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Item illud, emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil exiſtimo. 1 Tuſc.*

Heraclides.

H*Eraclides Ponticus Platonis, Speuſipi, Ariſtotelis, Pithagoreorumq; auditor fuit, & diſciplulus. In libris ſcripſit modò mundum,*

dum, tum mentem diuinam eſſe: errantibus etiam ſtellis diuinitatem tribuit, ſenſuq; Deum priuat, & eius formam mutabilem eſſe vult: ibidemq; rurſus terram, & cœlum refert in Deos. 1. de Nat Deor.

Heraclitus.

HEraclitus cognomento *ἀπαθείας, de natura conſultò dixit obſcurè, ne quid diceret, intelligere quiſquam poſſet. Dixit vniuerſos Epheſios eſſe morte mulctandos; quod cùm principem ſuum Hermodorum ciuitate expellerent, ita locuti ſunt: Nemo de nobis vnus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit. 5. Tuſc. cenſuit ignem eſſe principiũ. In Luc. & animum ignem.*

Herillus.

HErillus *Zenonis auditor ſcientiam ſummum bonum eſſe tenuit, nec rem vllam aliam per ſe expetendam. In Luc. 2. 4. & 5. de Finibus.*

Hieronimus.

HIeronimus *Rhodius cùm à Peripateticis, quos ſequi videri volebat, in ijs rebus, quæ ſecundùm naturam eſſent, poſuiſſent non dolere, hoc ſummum bonum eſſe dixit. 2. & 5. de Finibus.*

Metrodorus.

MEtrodorus *Chius, penè aliter Epicurus fuit, ſapientis nomen haud profeſſus, ſed cùm ita appellaretur ab Epicuro, tantum beneficium repudiare noluit. Beatum eſſe, deſcribit ijs ferè verbis, cùm corpus bene cõſtitutum ſit, & ſit exploratum ita futurum. 2. de Finib. In Luc. 3. Offic. 2. & 4. Tuſc.*

Par-

Parmenides.

PArmenides Xenophanis diſcipulus duas in Phyſicis cauſas ſtatuit, ignem & terram & illum quidem opificis, hunc verò materiæ rationem habere cenſuit. In Luc. & 1. de Nat. Deor.

Commentitium quiddam coronæ ſimili udine efficit; Stephanem appellat continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum, quem appellat Deum, in quo neque figuram diuinam, neque ſenſum quiſquam ſuſpicari poteſt, multaq́; eiuſmodi monſtra, quippe qui bellum, qui diſcordiam qui cupiditatem, cæteraq́; generis eiuſdem ad Deum reuocat, quæ vel morbo, vel ſomno, vel obliuione, vel vetuſtate delentur, eademq́; de ſideribus.

Perſeus.

PErſeus Zenonis auditor, eos dicit habitos eſſe Deos, à quibus magna vtilitas ad vitæ cultum eſſet inuenta, ipſasq́; res vtiles, & ſalutares. Deorum eſſe vocabulis nuncupatas, vt ne hoc quidem diceret, illa inuenta eſſe Deorum; ſed ipſa diuina. primo de Natura Deorum.

Pherecides.

PHerecides Sirus Pithagoræ magiſter, primùm quod literis extet, dixit animos hominum eſſe ſempiternos Is cum vidiſſet aquam è puteo hauſtam, terræmotum dixit futurum. 1. Tuſc. & 1. & 2. de Diuin.

Pittacus.

PIttacus, qui in ſeptem ſapientibus eſt numeratus, omnino accedere quenquam vetabat in funus aliorum. 1. de Legib.

Piſiſtratus.

PIſiſtratus primus Homeri libros confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe dicitur, vt nunc habemus. 3. de Orat.

Poſſidonius.

POſſidonium ferè ſemper, cum de eo loquitur, familiarem ſuum appellat Cicero. De Natura Deorum libros ſcripſit, in quorum quinto diſſeruit, nullos eſſe Deos Epicuro videri. Præterea quinque de Diuinatione, & ſphærã effecit, cuius ſingulæ conuerſiones idem efficiebant, in Sole & Luna & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo ſingulis diebus & noctibus. Cenſuit vero.

In natura ſigna quædam eſſe rerum futurarum. 1. Offic.

Omnem vim diuinandi, rationemq́; primum repetendam à Deo, deinde à fato, deinde à natura. 1. de Diuin.

Tribus modis, Deorũ appulſu homines ſomniare vno, quod præuideant ipſi per ſeſe, quippe qui Deorum cognatione teneantur: altero, quod plenius aer ſit immortalium animorum, in quibus tanquam inſignitæ notæ veritatis appareant: tertio, quod ipſi dij cum dormientibus colloquantur: idq́; facilius euenit appropinquante morte, vt animi futura augurentur. 1. de Diuinat.

Nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum. 2. Tuſcul. Dolorem non eſſe malum, ibidem.

Prodicus.

PRodicus Chius Phyſicus ea, quæ prodeſſent hominum vitæ, Deorum in numero habita eſſe dixit. 1. de Nat. Deor.

Pro-

Protagoras.

ABderites Protagoras Sophiſtes temporibus illis vel maximus, cùm in principio libri ſic poſuiſſet, De dijs, neque vt ſint, neque vt non ſint, nihil habeo dicere, Athenienſium iuſſu vrbe, atque agro eſt exterminatus, libriq́; eius in concione combuſti. Tenuit, id cuiq; verum eſſe, quod cuique videatur. In Luc. & 1. de Nat. Deor.

Pirrho.

PIrrho Elienſis, à quo Pirrhonij nominati ſunt, omnia exæquauit, nihilq́; virtute conſtituta, quod appetendum ſit reliquit: & introduxit ἀπάθειαν*. id eſt vacuitatem affectum, vt ſapiens omni perturbatione liberatus, nihil appetat, nihil fugiat, nec hoc potius quàm illud ſequatur, ſed omnibus in rebus indifferenter, & ſine vllo affectu ſe habeat. In Luc. & 3. & 4 de Finibus.*

Simonides.

DE Simonide poeta non ſolùm ſuaui, verum etiam docto ſapienteq́; cum quæſiuiſſet Tirannus, quid, aut qualis eſſet Deus, deliberandi cauſa ſibi vnum diem poſtulauit. Cum idem ex eo poſtridie itidem quæreret, biduum petiuit. Cum ſæpius duplicaret numerũ dierum, admiransq́; Hiero quæreret, cur ita faceret, Quia quantò, inquit, diutius conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior. Cum enim multa venirent in mentem acuta, atque ſubtilia, dubitans quid eorum eſſet veriſſimum, deſperauit omnem veritatem. Primus memoriæ artem protulit. de quo vide 2. de Oratore 1. de Diuinatione.

Solon.

SOlon Athenienſis vnus è ſeptem ſapientibus fuit, & ex ijs ſolus legum ſcriptor. Viguit Seruio Tullo regnante: qui quo & tutior vita eſſet, & plus aliquando Reip. prodeſſet, furere ſe ſimulauit. Areopagitas præterea primus conſtituit. Negabat velle ſuam mortem dolore amicorum, lamentiſque vacare. Dicebat tum denique iudicari beatùsne quis fuerit, cum extremum vitæ diem morte confecerit, & capite ſanxit, ſi qui in ſeditione non alterútrius partis fuiſſet 10. *Epiſt. ad Atticum.* 15. *ad Brutum, & de ſenectute.* 1. *Officiorum de Diuina. &* 3. *de Finibus.*

Stilpho.

STilpho vel rectius Stilpho à Cicerone in Academicis dicitur, qui non ſolùm Megarenſis fuit, verum etiam ſecta Megaricus. Nã Megarici quidem philoſophi ab Euclide ſunt appellati. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum, & mulieroſum fuiſſe: neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potius ad laudem: vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum, neque in eo veſtigium libidinis viderit. de Fato.

Strato.

LAmpſacenus Strato Theophraſti auditor Phyſicum ſe voluit: in quo etſi magnus eſt, tamen noua pleraque, & perpauca de moribus, attulit. Huius Liſias oratione locuples, rebus ipſis ieiunior. Concinnus deinde, & elegans huius Ariſto. Sed ea quæ deſideratur à magno philoſopho, grauitas in eo non fuit.

Scripſit ſanè & multa polita: ſed neſcio quomo do autoritatem oratio non habet. Dixit vacationem Deos habere, & vim diuinam in natura cenſuit eſſe ſitam, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu, & figura. In Luc. & Acad. 5. de Finib. & 1. de Diuin.

Thales.

Thales Mileſius vnus è ſeptem ſapiētibus, cui ſex reliquos conſenſiſſe ferunt: primus de natura rerum diſputaſſe quibuſdā videtur. Is vt obiurgatores ſuos conuincéret, oſtēderetq́, etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniam etiam facere poſſe, omnem oleam, antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio cœmiſſe dicitur. Animaduerterat fortaſſe quadam ſciētia, olearum vbertatē fore, & quidem primus defectionem ſolis, quæ Aſtiage regnante facta eſt, prędixiſſe fertur. Aquam dixit eſſe initium rerum, deum autem eam mentem, qui ex aqua cuncta fingeret. In Luc. 1. de Nat. & 1. & 2. de Diuin. & 3. de Orato.

Xenophanes.

Xenophanes Colophonius vnus, qui Deos eſſe diceret, diuinationem ſuſtulit funditus. Putauit habitari in Luna, eamq́ eſſe terrā multarum vrbium & montium. In Luc.

Zeno Epicureus.

Zeno Epicureus, quem Philo Corypheum appellare Epicureorum ſolebat, Athenis docuit. Is non eos ſolum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, cæteroſq́ figebat maledictis, ſed Socratem ipſum parentem philoſophiæ, Latino verbo vtens, aſcurram Atticū fuiſſe dicebat.

Contendere & magna voce dicere ſolebāt eum eſſe beatum, qui præſentibus voluptatibus frueretur, conſideretq́; ſe fruiturum, aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente. 3.Tuſc & 1. de Natura Deorum.

F I N I S.

NOMINA AVTORVM, E QVIBVS SENTENTIAE EXCERPTAE ſunt.

A

Academici
Accius
Aeſchines
Alcmæo
Alexander
Anacarſis
Anaxagoras
Anaxarcus
Anaximenes
Anaximander
Annibal
Anniceriius
Antigenidas
Antimacus
Antiocus
Antipater
Antipater Cirenaicus
Antiſtenes
Apollo Pythius
Arceſilas
Architas Tarētinus
Archimedes
Ariſtipus
Ariſtonæi
Ariſtoteles
Ariſtoxenus
Aſclepiades

B

Bias

C

Cæcilius
Caius Lælius
Caius Lucilius
Caius Pontius Samnis
Calipho
Callicratides
Carneades
Cato Cenſorius
Catullus
Chriſippus

Cleantes
Clitomacus
Crantor
Cratippus
Critolaus
Curius
Cirenæus
Cirenaicus
Cireneus Theodorus
Cyrus maior
Cyrus minor

D

Darius
Democritus
Demoſthenes
Diagoras
Dicearcus
Dinomacus
Diodorus
Diogenes
Diogenes Apolloniates
Diogenes Cinicus
Dion Heracleotes
Dioniſius

E

Empedocles
Ennius
Epicarmus
Epicurei
Eudoxus
Euripides

F

Fabius Maximus

H

Hecato
Hector Næuianus
Heraclides
Heraclitus
Herillus
Heſiodus
Hieronimus
Homerus

I

Iſocrates

L

Lacedæmonius
Lacæna
Lacedæmonius
Leonidas
Leontinus Gorgias

M

Marco Cicero

Marcus

Marcus Craſſus orator
Marcus Craſſus diues
Marcus Antonius
Metrodorus

P

Panætius
Parmenides
Pericles
Peripatetici
Perſeus
Philippus Macedo ad filium
Philo
Pittacus
Piſiſtratus
Plato
Polemo
Poſſidonius
Protagoras
Ptolemæus
Pirrho
Pithagoras

S

Scæuola
Scipio Aphricanus
Scipio minor
Scipio Naſica
Silenus
Siculus
Socrates
Solon
Sophocles
Speuſippus
Statius Cæcilius
Stilpho
Stoici
Strato
Simonides

T

Telamon
Terentius
Teuce
Thales Milleſius
Temiſtocles
Theophraſtus
Theramenes
Theſeus
Timotheus Athenienſis

X

Xenocrates
Xenophanes
Xenophon

Z

Zeno
Zeno Epicureus.

FINIS.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. A a.

Omnes ſunt Sexterniones, præter ✠ & A a Terniones.

VENETIIS,
Excudebat Aegidius Regazola.
M D LXXIII.

Iuſta funerum ad interpretes religionū pertinere, ſepulchrorum nullam partem ex agro culto, eòve, qui coli poſſit, ſumendam. 2. de
Sic ad ſomnum proficiſcēdum corporibus affectis, ut nihil ſit, quod errorem animis pertur... afferat. 1. de Diuin.
...tatem, malorum eſcam. de Senec.

120

232